This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 868,754

ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

COMPLEMENTUM

On souscrit, à Paris,

CHEZ P. A. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16, au Marais.
DIDOT, frères, imprimeurs de l'Institut, rue Jacob, n° 56.

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBRI SEX

EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,
INSTITUTI REGII FRANCIÆ TYPOGRAPHI,
VIA JACOB, 56.

C 16

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBRI SEX

CUM SELECTIS OPTIMORUM INTERPRETUM
ADNOTATIONIBUS

QUIBUS SUAS ADJECIT

P. AUG. LEMAIRE

VOLUMEN PRIUS

PARISIIS

COLLIGEBAT OLIM NIC. ELIG. LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXVIII

MANIBUS

SUMMI VIRI ET AMANTISSIMI MAGISTRI

N. E. LEMAIRE,

IN BENEFACTORUM

ET ANIMI PATERNI MEMORIAM

HOC PIETATIS SUÆ MONUMENTUM

D. D. D.

BENE MEMOR ET IN PERPETUUM LUGENS

FRATRIS FILIUS

NOVI EDITORIS PRÆFATIO.

Quum, viginti abhinc annis, vir nunquam satis mihi pio luctu et memori amore desiderandus Bibliothecam classicam latinam, sive *Collectionem auctorum classicorum latinorum*, omnibus indefessi animi viribus et ipsius vitæ impendio exigendam susciperet, non commiserat profecto, ut inter primores linguæ romanæ scriptores oblivisceretur Lucretium. Sed decretoria tunc supremæ potestatis voluntas damnatum impietatis poetam ex illo magnorum ingeniorum concilio ablegari jubebat. Nec quidquam profuit vetus *illa* laus et fama vatis, quem patruus meus, reclamante una litteratorum omnium judicio, defendebat et facundo sic excusabat carmine*:

> Ille autem, scelerum pleno qui natus in ævo,
> Sanguineos inter Marii Syllæque furores,

* Vide in Bibliotheca classica latina Epistolam dedicatoriam, primo Cæsaris volumini præfixam.

Carnificum rabiem dominari impune videbat
Mactarique bonos, tunc numina credere nulla
Maluerat, quam non justa aut ignara Quiritum.
Sed summis errasse suæ cum civibus urbis,
Contempsisse deos et templa tonantia cœli,
Pœnitet : insanas nunc ipse Lucretius artes,
Insanam mentem ejurat : quam nollet Olympo
Detrusisse Jovem ! nunc sese damnat et odit,
Qui sceleri pœnam, miseris solatia, regem
Regibus, æterni mundo rectoris habenas,
Et morti vitæ spes immortalis ademit.....
Arbiter et veterum judex, ne dejice Pindo,
Quem Maro, quem Flaccus vatem agnovere magistrum.

Hinc mihi, quasi hæreditatis jure, incumbebat religiosa quædam Lucretium edendi necessitas, ut tunc demum *Bibliotheca classica latina* plane absolveretur.

Minime utique decuit ex hoc linguæ latinæ monumento prorsus abesse nomen, quod in porticus fronte inscribi debuerat : minime decuit summum poetam *tanto magis* inter alios *præfulgere, quod non viseretur.* Numquid enim sine piaculo omitti potuit vir ille, qui primus inter Romanos Musarum laudem in tantum extulit, primus materiam difficilem, et aridis scientiæ argumentis refertam, ditissima leporum omnium segete ornavit; primus, etsi quædam nimis dure

et obsolete dixerit, maximas tamen poeseos opes et largam venustatum copiam, nunc facili vena, nunc torrente impetu, nunc pleno abundantis ingenii flumine profudit; primus denique magnum sæculum quasi patefecit ac reseravit, Virgilii antecessor et magister?

Sed de Lucretii laudibus *omnia jam vulgata;* multaque mox affatim subjicientur. De meo qualicumque labore pauca dicenda sunt: qui tandem, insumptis jam sex annis, in lucem proditurus est; felicibus, spero, auspiciis, siquidem patrui mei memoriæ pietas eum dicaverit.

Plures in edendo Lucretii carmine studia impenderunt doctissimi viri; sed duo tantum in hac opera primas tenent, Wakefieldus scilicet et Forbiger. Nam Lambinus, qui multa olim acute et feliciter restituit, nimia tamen corrigendi et immutandi temeritate sæpenumero abripi se passus est; ita ut eruditi nunc cum Eichstædtio fateantur, « quum ante Wakefieldum librariorum « stupor et editorum audacia Lucretium nobis « pæne eripuissent, hunc demum criticum, dijudicatis revocatisque optimorum librorum lectionibus, præclare effecisse ut Lucretium in « Lucretio agnosceremus. » Anglus enim editor et post hunc Forbiger omnia ad manuscriptorum

fidem revocavere : itaque, si quid prior omiserat aut neglexerat, si quid vel ingenii humani infirmitate, vel nimia cupidine corruptelas omnes resarciendi, imprudens aliquando deliquerat, alter demum supplevit, emendavit, meliori jure constituit.

Eamdem quoque provinciam, ineunte hoc sæculo, sibi susceperat Eichstædtius, qui, post doctam de Lucretio et ejus carmine dissertationem, textum jam et indicem cum quibusdam vocabulorum interpretationibus concinnaverat; sed emisso tantum uno volumine, notas nunquam, ut credo, edidit; ideoque de ipsius labore vix quidquam dijudicandum et pronuntiandum est.

Idem etiam, sed parcius et breviter tentavit Orellius, qui in Eclogis poetarum latinorum nonnullos tantummodo, etsi non mediocres, Lucretii locos varietate lectionum et notis optime illustravit.

Post hos igitur tam diligentes et sagaces viros, de constituendo textu nihil pæne supererat agendum, etiamsi me non omnino defecissent auxilia. Nullus autem mihi præsto fuit Lucretii MS, nisi, quem unicum possidet Bibliotheca regia (sub n° 999 suppl. lat.), chartaceus codex, exeunte circi-

ter XV sæculo scriptus : cui recensendo operam insumere non est visum, quia, quotiescumque ab eo opem aliquam et lumen quæsivi, exspectationem meam semper, exhibitis vulgaribus jam lectionibus, frustratus est. Forbigerum itaque ducem in omnibus fere sequutus, unam tamen aut alteram lectionem immutavi, aliorum obiter judicio et auctoritati magis obsecundans; sed vix semel et in desperatis admodum locis de meo penu quidquam infercire ausus sum.

In notis igitur plurimus labor exsudatus est. Rem enim eo jam adduxere doctissimorum virorum studia et elucubrationes ut, qui munus suum bene sustinere velit veteris cujuscumque auctoris editor, nunc debeat nullam relinquere verborum difficultatem quin explanetur, nullas sententiarum ambages quin resolvantur, nullam argumenti obscuritatem quin illustretur, nullum denique in opere toto vulnus quin sanandum, si qua ratione potest sanari, suscipiatur. Hac equidem mente labori accinctus, nolui commentarium plane novum, et quem omnino meum jactarem, conficere : sed non minori forsan onere suscepto, modestiorem certe professus operam, auxilia undequaque collecta in hujus editionis utilitatem et ornamentum vertere studui,

omnesque aliarum editionum expressos quasi succos et sapores una admiscere.

Quamobrem hic invenies, Lector benevole, optima quæque ex Lambini, Creechii, Wakefieldi, Forbigeri, Orellii, aliorumque notis selecta : et quum sua cuique reddita vellem, auctoris nomine pleraque signantur, exceptis tantum quibusdam notulis, quas equidem ab aliis mutuatus paulum immutaverim aut refecerim, ut jam nec alienæ, nec meæ sint. Unum autem forsan erit quod tibi mirum videatur, nomen scilicet Fayi sæpius adhibitum, quem ceteri editores despiciunt ac respuunt, quamquam forsan non adeo semper de Lucretio male meritum. Neque me fallit eum plurima e Lambino, Gassendo, et aliunde expilata corrasisse; sed quum pleraque, sic expilata, per compendium in rem suam haud absurde contulerit, notas ab eo concinnatas aliquando exscribere proposito meo magis congruum fuit. Cetera, quibus ipse proprii judicii periculum feci, editoris (Ed.) nomine subscribuntur.

Argumenta, libro cuique præmissa, Wakefieldianæ editioni accepta refero.

De scribendi ratione præivit Forbiger; sed in re tam operosa et ardua me aliquoties hæsitasse fateor.

Indicem denique verborum, ab Eischtædtio singulari cura conflatum, ea ratione adhibui, ut, integra manente rerum materia, immo additis quas ipse immutaveram lectionibus, nimia tamen vocabulorum luxuries compesceretur.

Quod superest, si non semel in materia tam difficili offenderim, si maculas quasdam in longo opere non satis caverim, quidquid istud erit, Lector benevole, aut incuriæ non voluntariæ quidem, aut humanæ infirmitati benignius te condonaturum spero. Vale.

Scribebam Parisiis, prima julii mensis die, 1838.

WAKEFIELDI PRÆFATIO.

Debitum, scite lector et erudite, Lucretianorum carminum, curis meis expolitorum, atque justæ recensionis ope ad pristinum cultum nitoremque, in quantum per scriptos codices atque mediocritatem sagacitatis meæ et doctrinæ licuerit, reformatorum, dudum promissione susceptum, tandem tibi, sed serius aliquantulo quam vellem, spe trepidus, et, si quis unquam, diffidens mei, repræsento. Sic profecto se res habet: quum animum ad has pretiosissimas Latinarum literarum reliquias exornandas primitus adjecissem, secundæ magis relaxationis, quam negotiosæ virium contentionis, mihi munus spondens, non nisi de breviore commentario cogitabam: postea tamen, operis limine vix inito, hunc et amplissimum philosophum, et gravissimum poetam, tanta commentitiarum lectionum fœditate devenustatum deprehendi, ea adulterini scabitudine sermonis multis de causis incrustatum, ut occasionem, haud instrenue obeundam, sed plane dignissimam mihi viderer nactus, in quam facultates omnes qualescumque, tum eruditionis tum ingenii mei, studiosissime collocarem; nullos labores defugiendos esse, nullam non libenter efferendam esse sollicitudinem, mecum statuens, si modo fructus inde aliquis bonis literis forte fortuna provenire posset. Tandem vero, re gradatim procedente, ac materia se latius, ut fit, in omnes partes aperiente, cum tot tantisque difficultatibus mihi esse conflictandum vidi, tam propter molestias operi tanto proprias, quam innumerabiles adventitias ex editorum prio-

rum vel socordia, vel inscitia, vel temeritate denique, ὑπὲρ μόρον cumulatas, ut de conatus mei successu, adhibitis etiam studio improbissimo et sedulitate morosissima, plane desperarem; debilitatus animi, atque cœptis audacibus pæne consternatus, dum naviculam meam, immensa cujusdam vastitatis solitudine fluctuantem, tremebundus contemplarer: « maria undique, et undique cœlum! » Etenim, mirentur licet inexperti, vere mihi dicturus videor, ne unum quidem ex illis omnibus, qui per ævi flumen ad usque nostra tempora devoluti sunt, scriptoribus Lucretio minus emendatum vulgo manibus lectorum teri; aut in cujus textu, quem dicunt, concinnando magis susque deque habitam vetustorum librorum fidem passim senties. Nam, ut concesserim, Cari nostri argumentum non ea esse amœnitate, quæ turbam lectorum, de rerum natura et abditis philosophiæ parum sollicitorum, suis illecebris sponte trahat; simplicitas tamen orationis purissimæ inaffectata, ingenii lactea ubertas, in omnigenos lepores late diffluens, sincerissimus insuper elegantiarum poeticarum gustus, nativo quodam sensu rectissimo delibatarum; et varietas numerosa versuum, lapsu facili decurrentium, et melle Museo vere contactorum: hæc omnia severitatem subtiliorum disceptationum deliniunt usque adeo, ac devincunt, « Molliter austerum studio fallente laborem », ut nemo sit ingeniis non fucatis, atque elegantibus, demerendis accommodatior; nemo, qui diligentiam fideliter tractantium pleniore proventu remunerabit. Nimirum, si rerum, de quibus disputat, obscuritatem et jejunitatem liberaliter intuearis, Lucretius auctor est philosophiæ poeticus longe longeque dilucidissimus; nec sunt, nisi rarissimi, in opere toto loci, qui desiderent interpretem, aut lectorem modice perspicacem morari queant: hoc autem, ob depravationes potissimum, poetæ non imputandas: id quod, expertus usu rem, tutemet haud ægre confiteberis. His igitur de causis, vehementer equidem mirari

soleo, tam paucos literatorum hominum exstitisse, qui versaverint Lucretianam Naturam rerum ; tam paucos, qui pro meritis admirati sint artificem Musarum consummatissimum, et post Ennium (cujus operum jactura vulnus longe altissimum et immedicabile prorsus philologiæ inflictum est), Latinæ poeseos parentem : sed miror vehementius, etiam paucos ex iis paucis indolem styli Lucretiani percepisse : vix enim, confidenter loquor, vel unus reperietur criticorum doctrina celeberrimorum, qui felicem in eum conjecturam periclitatus sit : quod in operis decursu, et maxime incredulis, liquidissime patebit.

Ceterum, ut mea in hoc officio explendo subsidia singillatim persequar ; Lucretius noster primum post renatas literas typis evulgatus est Bresciæ, per Ferandum, sine anni mentione : de quo libro tamen inaudivi tantum ab hominibus rerum typographicarum, et exemplarium veterum, callentissimis. Hujusce editionis ne unum exemplar quidem in Anglia asservari creditur : et de illa nihil amplius comperti memet habere fateor. Lucem vidisse perhibetur circa annum salutis MCCCCLXXII (1).

Editio secunda, in folio, quæ vulgo princeps existimatur, ad calcem sic inscripta est :

T. Lucretii Cari, poetæ philosophique antiquissimi
De rerum primordia natura ad Memmium
Liber sextus et ultimus explicit fœliciter.
Paulus hunc impressit *Fridenperger* in *Verona*,
Qui genitus est in *Patavia Alœ magnæ* (2).
Ab incarnatione Christi : MCCCCLXXXVI
Die vigesimo octavo septembris calen. octobris.

Quam sit omni genere corruptelarum refertissimus hicce liber, apprime tamen utilissimus, nostra lectionum variarum

(1) De hac editione vide infra in Recensu editionum p. 92.
(2) Vide infra in Recensu editionum p. 93.

recensio satis indicabit. Aliquoties profecto, sed rarissime, vitia quædam, longe crassissima, prudens silentio præterii, nullum omnino usum habitura, sed nitori nostrarum solummodo paginarum dehonestamento fœdissimo futura, et paritura porro tædium lectoribus. Sic, exempli gratia, si *pueorum* offendissem pro *puerorum*, et *præssis* pro *pressis*, atque hujusce farinæ subinde alia, malui conticescere: quod nihilo minus monendum habeo, ne pretiosissimis quibusdam varietatibus fraudatum se lector curiosus putet. Hanc prius editionem, quam mihi fors eam obtulerit ære proprio redimendam, in meos usus commodaverat ex bibliotheca ejus sumtuosissima, et exquisitissimis, omne genus, libris adimpleta, CLAYTON CRACHERODE.

Optimi ejusdem viri humanitas me devinxit insuper monstratione Venetæ editionis, quæ tertia est, et Hieronymi Avancii cura procurata prodiit apud Aldum, quartæ formæ, anno MD. Monstratione dixi; nam usus ulterior supervacaneus fuisset, quum profiteatur editor, se nullum exemplar antiquum adhibuisse manu scriptum, sed conformavisse textum ex Veronensi; parallelis aliorum scriptorum locis, cum Aristotelis operibus, aliisque scriptis veterum, in subsidium convocatis.

Denuo typis cusus est Lucretius Venetiis, in iisdem ædibus Aldinis, forma duodecima, anno MDXV, ex recensione atque castigationibus Andreæ Naugerii: qui nullorum interea librorum Mss. præsidio se suffultum esse prædicat; et solummodo « cursim dicitur, propter ipsius occupationes, et importunam impressorum festinationem, tamen accurate, recensuisse ».

Ad Aldinæ prioris normam Juntina (1) potissimum com-

(1) Hoc neutiquam verum est, quum facillimo negotio ex uno quovis libro plures quam centum locos afferre possim, in quibus utraque dissentit; ita ut potius viri doctissimi negligentiæ sit tribuendum, quum non nisi paucas scripturæ discrepantias inter utramque deprehendisse se

posita videtur; quæ lucem vidit Florentiæ anno MDXII, in qua licet exornanda Petrus Candidus se « vetustis exemplaribus collatis » usum glorietur, et « obelis Pontani Marullique temere inducta expungendo adhibitis », memini, me non nisi paucas scripturæ discrepantias deprehendisse, quoties operæ pretium habuerim eam componere cum hac Aldina : quas pariter nihili, si criticam commoditatem spectes (1), faciendas puto. Exemplar Juntinum, anni MDXI, quod memorant Havercampus et Fabricius, nescio quam ob rationem ad hunc annum referentes (2), ipsissima est hæc editio, de qua loquor; et, cum Aldina consimili, me possessorem habet.

Interea, cum magno commentariorum apparatu, Lucretius prodierat « Bononiæ, ex ergasterio Hieronymi Baptistæ de Benedictis Platonici Bononiensis, a Joanne Baptista Pio editus, anno Domini MDXI, kal. Maii ». Opes, quæ sibi ad emendandum Lucretii carmen competerent, Pius ipsemet sic percensuit : « Contulimus, non sine ærumnis vigiliisque diutinis, codicem Veneti Hermolai, et Pomponii Romani; codicemque non omnino malum, qui servatur Mantuæ, in bibliotheca quadam suburbana; qui fuit viri non indocti, gentis clarissimæ Strotiorum. Non defuit Philippi Beroaldi, præceptoris quondam mei, nunc collegæ, impressus

confirmat. Imo editione Juntina cum utraque Aldina et Bononiensi accurate comparata, intellexisse mihi videor, Candidum qui editionem illam curavit, in veris lectionibus constituendis non solum libris MSS., sed prioribus etiam editionibus, Pii imprimis emendationibus, diligentissime usum fuisse, ita tamen, ut pro more ætatis suæ in locis dubiis et conclamatis sæpissime suas et aliorum conjecturas, interdum nimium audaces, textui inferret; unde factum ut ejus editio longe aliam, quam priores omnes, præ se ferat speciem, et caute adhibita multis locis quam maxime prodesse possit. FORBIGER.

(1) Non multum abest quin credam, inter ipsam editionem, quum jam secundi voluminis plagulæ sub prelis artificum sudarent, Wakefieldo, ipso usu melius edocto, venisse æquiorem de Juntina opinionem; quæ suspicio eo etiam comprobari videtur, quod inde a libro IV demum ejus lectiones a Wakef. sæpius adferuntur et libentius examinantur. FORB.

(2) Vide infra p. 94.

quidem, sed tamen perpense examinatus : Codri quoque, grammatici Bononiensis; cujus copia mihi per Bartholomeum Blanchinum, virum eloquii excultissimi, facta est: Marullique poetæ industria mira castigatum, non defuit exemplar, Severo, monaco Placentino, græce latineque perdocto, Musarum athleta, non gravatim offerente. Ex quibus, sicuti Zeuxis, ex quatuor diversis corporibus, unam, et, ut arbitror, integerrimam formam Lucretio præstitimus ».

Optimæ frugis hæc est editio, et nobis per fidelissimam diligentiam tractata : nec addubitem tamen, aliorum exemplarium testimoniis devictus, quin Pius ad arbitrium, nec admonitis lectoribus, poetæ contextum plurifariam immutaverit; et, an levibus de causis hanc sententiam inimiciorem pronuntiem, penes alios, perlectis omnibus ac perpensis, sit judicium.

Obertus Gifanius uberibus magis, quam accurate doctis, commentariis, indice tamen philologico perutili, Lucretium instruxit. « Scripturas veterum librorum plus quam octo se perpendisse » jactat, et nactum esse « non paucas emendationes, variasque in poetam nostrum lectiones, quas vir doctissimus Antonius Goldinghamus, homo Anglus, ex libris calamo exaratis in patria sua studiose ac sedulo collegerat », uti Gifanius opinabatur. Hoc utcumque sit, limato judicio, sine quo frustra critice exercetur, destitutus ille vir, diligens quamvis et eruditus, parum contulit, me saltem judice, ex quo Lucretii contextus emendatior evaserit.

Non alius post hos esse videtur editor, qui contextum Lucretianum ad libros scriptos exegerit, præter Lambinum, Creechium nostratem, et Havercampum.

De Lucretio primus istius triumviratus doctis animadversionibus præclare meritus est; Lambinum dico : qui usus est, ut ipsius verba proferam, « in Lucretio restituendo, Romæ quidem tribus libris Mss., uno Vaticano; altero, qui

fuit Gabrielis Faerni; tertio, quem Scipio Tertius Neapolitanus ei commodato dedit : Lutetiæ vero duobus, uno Memmiano; altero, Adriani Turnebi libro, ad Bertinianum codicem diligentissime et accuratissime usque ad librum sextum duntaxat comparato».

Equidem non is sum, qui virum ingenuis artibus penitius imbutum, et amatoribus Lucretii necessitudine multorum officiorum devinctissimum, fidei sublestioris libenter arguam: nefas tamen esset, et crimen publicum, dissimulare, multa mihi in hoc munere defungendo scrupulum super hac re, manu scriptis scilicet exemplaribus Lambini, non levem injecisse; in quæ lectores ultro occursabunt, et de quibus suum judicium, hactenus summonitos, præstiterit integros exercuisse : res igitur a me relinquitur in medio. Hoc interea de plano nullus dubitaverim affirmare, me neminem novisse, qui contextum scriptoris cujuslibet, auctoritate membranarum leviter conculcata, propriis conjecturis inferciendis, per effusiorem licentiam, atque inconsultam magis temeritatem, passim præfractius vitiatum et deturpatum dederit.

Creechii in Lucretium merita longe inferius jacere, quam quod vulgus soleat existimare, memet habeo persuasissimum. Eum alicubi, ut Gassendi plagiarium, Valckenaerus insimulavit : ea vero utcumque se res habeat, certe iniquior esset, qui laudem, utilibus ejus ad illustrandum Lucretium collectaneis philosophicis acquisitam, cuperet deterere, si modo, quæ citra controversiam sumserit aliunde, promtiore animo ad auctores primos referre vir ingeniosus ille se paratum ostendisset.

In maxima parte meritorum Havercampi pono, quod codicum Lugdunensium diligentiorem nobis collationem repræsentaverit, et amici sui Preigeri nonnullas animadversiones, eruditas illas acutasque, protraxerit in lucem : nam doctissimus editor de penu proprio paucissima, nec ea quidem magni pretii, depromsit.

Verum enimvero, ne quis, mores meos haud expertus usu, censuræ severioris fortasse postulet, libet Ernesti judicium, super hac re in Bibliotheca Latina Fabricii factum, vice propugnaculi, subjungere : « Omnino hoc opus suum peritioribus non valde probavit Havercampus. Inter omnes editores principatus debetur Lambino et Creechio; huic ad intelligendum maxime, illi etiam ad criticam rationem. Sed, qui has res recte tractare possit, is, si suscipere novam editionem velit ἀκριβείᾳ ea, quæ hodie peritis probatur, et cujus exempla recentioris temporis habemus, magnam laudem parare sibi possit. Sed absit usitata nostris temporibus festinatio, et lucri cupido ».

Hæ sunt omnes editiones Lucretii, quantum equidem intellexerim, ope codicum Mss. procuratæ; si modo singularem excipias, de qua mox dicetur. Nihil igitur tandem superest, nisi ut exponam, quibus denique novis adjumentis suffultus, quibus præsidiis animatus ac vallatus, ipsemet ad hoc munus exsequendum, grave profecto, difficile, et ærumnosum ! accedere non expalluerim.

Jam decem fere anni lapsi sunt, ex quo Fabri Lucretium emerim, formæ quartæ, quum bibliotheca Ricardi Bentleii, qui summi Bentleii voluntatem testamentariam exsecutus est, et magna ex parte librorum hæreditatem adiit, actione publica divenderetur. Hujusce exemplaris primæ plagulæ rationem sequentem nescio quis præfixit :

« Hic liber est Ricardi Mead : notæ vero Mss. in margine, sunt magni illius critici Ricardi Bentleii, ex ipsius codice exscriptæ ».

Vir magnus nimirum, inter paucos doctrinæ copiis instructus, sed sagacitate subtiliore, et acutissimi ingenii velocitatibus, quodam modo suis, criticorum omnium, me judice, præcellentissimus, diligenter versaverat Lucretium; sed neque libros manu exaratos, neque vetustius impressos, nullum denique præter unum Fabri exemplare videtur

adhibuisse; quum sæpius imitationes priorum poetarum margini alleverit, Lambino et aliis jam dudum occupatas, cum locis quibusdam Diogenis Laertii pervagatis. Animadversiones itaque, quas ille coryphæus criticorum subinde sparserit, non erant severiore judicio perpensæ, secundisve cogitationibus maturatæ; in uno autem atque altero loco per acumen, vere Bentleianum, quasi divinitus vir summus rem expedivit: quæ suo tempore comparebunt; nam supervacaneum esse arbitramur, immorari rebus, in operis decursu lectoris sententiam subituris: quam ubique liberrime de nostris exerceri velimus.

Codicem chartaceum manu scriptum, in-folio, nitidissimum, vetustum, et optimæ notæ, quum solus castigatissimis et antiquissimis exemplaribus sæpiuscule consentiat, ex publica bibliotheca mihi Alma Mater, quondam mea, Academia Cantabrigiensis, subministravit: opes suas haud invidens eruditis; neque, ut soror ejus Oxoniensis, exemplo nimis erubescendo, thesauros Museos, qui debent, ut aer et sol, omnibus communes esse, propriis parietibus, (inclusos dicam, an abditos ac sepultos?) in æternum continens. Hic autem codex olim erat Askevianæ bibliothecæ χειμήλιον· unde pretio redemit Academia. Tractationem ejus mihi impetravit amicus meus, semper ac maxime colendus amandusque, Robertus Tyrwhitt.

Secundus, mihi collatus, Ms. codex in Museo Britannico servatur; forma minima, membranaceus, pulchre scriptus, sæculi xv.

Eadem bibliotheca instructissima mihi tertium exemplare Ms. ætatis ejusdem cum priore, suppeditavit, chartaceum, in-quarto; qui deficit tamen infeliciter cum versu 232 libri VI. Scatet erroribus scriptionis codex iste plurimis; sed orthographiæ vetustioris præ ceteris omnibus, saltem meis, tenacissimus videtur.

Tertium denique Ms. librum, chartaceum, et forma si-

mili, sed sæculi sequentis, eidem bibliothecæ debeo. Recentior est profecto, quam cui tuto, reliquis dissentientibus, confidi possit : nec tamen hic etiam omnino fructu suo caruit.

Sed et alium insuper scriptum librum, de quo nihil cogitaveram, mihi permisit evolvendum vir humanissimus Edvardus Poore, cum promtissima benignitate, a laudabilibus in bonas literas affectibus derivata. Nimirum manus recentior hunc codicem exaravit; quum vero cujusvis impressi typis libri non sit apographon, sed codicem quemdam Ms. certissime in exemplar habuerit, non spernenda est ejus auctoritas, quoties antiquiorum librorum lectionibus in subsidium accedat. Utrum plures sint Lucretii codices Mss. in bibliothecis Anglicis, vel publicis, vel privatis, plane nescio : et causæ sunt, qua theologicæ, qua politicæ, cur nostrates eruditi non sint ad me fovendum, et conatus meos promovendos, nimis propensa voluntate : has autem, quod impensissime lætamur, ac serio triumphamus, jam jam evanescentes video; ut, exorto sole, matutini rores evaporantur : quod ideo in transcursu monitum volui, ne nimis incuriosi fortassis, aut indiligentioris cujusdam, crimen apud aliquos, calumniis inhiantes, immerito subirem.

Anno mdcclxxxvii Lucretius impressus est Viennis ad codicem Vindobonensem, curante Francisco Carolo Alter, gymnasii Vindobonensis professore. « Extat hic codex membranaceus in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, et sæculi md scriptura nitet quidem elegantissima, sed multis adeo vitiis fœdata, ut in calce operis longam satis vitiorum seriem iis hominibus adjungerem, qui codicum Mss. vitiis delectari, verius dicam, nugari, consueverunt. »

Scilicet inter illos nugatores, qui scripturam ipsissimam vetusti codicis, sive sincera sit, sive demum vitiosa, fideliter repræsentatam velint, egomet nimis velim nomen profiteri meum : et gratias ago libenter maximas, habeoque,

huic *nugatori*, quod *vitia* hujusce codicis notaverit; quum genuinas aliorum librorum lectiones, atque haud dubie Lucretianas, sæpiuscule confirment. Utinam, σύζυγε γνήσιε! somnus tibi, tuum munus exsequenti, non aliquoties subrepsisset; nec commentitias recentiorum emendatorum divinationes loco *vitiorum codicis*, in contextu nimium nimium negligenter, uti vehementer suspicor, reliquisses: quod sane te subinde quidem, quamvis inconsulto forsitan, fecisse, mihi est in omnium longe persuasissimis. « Unum hoc maceror, et doleo tibi, Carole, deesse. »

Idem editor non est etiam dedignatus adscribere codicis alterius *vitia*, nugatores criticos ex abundante demereri cupidus. Hicce codex, in eadem bibliotheca repositus, continet « fragmenta Lucretii ex libris II, III et VI, a vs. 743 usque ad finem; et in principio sæculi XIV exaratus videtur ».

In brevi notitia literaria de variis editionibus Lucretii, quam professor ille, deliciæ nugatorum, suæ præfixit, mentio facta est exemplaris in bibliotheca Vindobonensi, Venetiis impressi per Theodorum de Ragazonibus, anno MCCCCLXXXV, quam editionem equidem nunquam vidi: sed eo minus hoc infortunium dolendum est, quod expressa sit ad editionem Veronensem, judice professore nostro; quum « multis in locis, atque adeo in lacunis, cum illa exacte conveniat ».

Jam vero, quo melius caveremus, ne moles inutilis editioni nostræ ex prolixis repetitionibus accresceret, et pretium pariter incenderetur; libros illos, qui varietatibus codicum Mss. sint instructi, et ipsos codices tractatos nobis, compendiariis characteribus significandos esse duximus: quorum nunc in ordine ratio reddenda est.

V. ed. literæ designant editionem illam Veronensem, de qua modo, quot habuerim dicenda, dixi.

Bodl. designat codicem Bodleianum Oxonii, cujus accuratam atque novam collationem se nactum esse gloriatur

Havercampus; nam Creechius prior adhibuerat. Cum hoc codice et editione Veronensi tanta est consensio varietatum, ut valde suspicatus sim dolum aliquem collatoris; neque prius hac suspicione sum solutus, quam ad secundum librum meas animadversiones continuaveram : tum demum vir amplissimus, Gulielmus Jackson, B. D., falsam et iniquam opinionem, isto de codice, non ex vanis rationibus susceptam tamen, me benigniter dedocuit. Re vera in bibliotheca Bodleiana ille codex hodieque asservatur; sed non magnam vetustatem jactat, neque multæ frugis sunt, quæ referuntur, variationes ejus : ideoque non modo minus pœnitet indiligentius recensiti, sed angor levius, inhumanissimas bibliothecæ Bodleianæ leges, mihi liberam tractationem ejus haud permisisse. Ceterum, satis saltem constat, exemplari Bodleiano, et editioni dictæ Veronensi, unum codicem, vel ejusdem prorsus familiæ, pro archetypo primitus exstitisse.

Gottorp. fr. Gottorpianum est fragmentum, Havercampo atque aliis eruditis celebratum, ætatem attingens 800 vel 900 annorum; quod infauste tamen explicit cum versu 454 secundi libri.

P. Pii est editio Bononiensis, de qua supra.

Vind. literæ exemplar Vindobonense, modo memoratum nobis, indicant: *Vind. fr.* vero, fragmentum codicis, ibidem declaratum, quod incipit ad lib. II vs. 658, interrumpitur ad lib. III vs. 614; nec prius de novo exorditur, quam ad lib. VI vs. 747 devenias; unde ad finem libri continenter pergit.

Voss. L. B. prior liber Ms. membranaceus duorum pulcherrimorum ac vetustissimorum, quondam Isaaci Vossii, qui in bibliotheca universitatis Lugduni Batavorum asservantur, a me designatus est;

Voss. vet. (vel *M*) autem posterior liber : quorum varietates recensuit Havercampus.

O. codex est Domini Poore, supra laudati : prius autem

ad paginam quadragesimam (lib. I, vs. 150) volumen hoc progressum est, quam hicce liber mihi in manus venerit.

Cant. (vel Ω) Cantabrigiensis liber est.

Mus. B. 1, 2, 3 (vel Δ, Π, Σ), codices Musei Britannici, ad ordinem recensionis nostræ, super illis habitæ, in præcedentibus.

Valde laboravi in orthographia textus Lucretiani constituenda; ut ἀρχαιοπινῆ nitorem illum, ac florem ferrugineum venerandæ vetustatis, importunis correctorum manibus passim detersum, in quantum sana grammaticorum priscorum judicia et subinde codicum auctoritas suffragarentur, redaccenderem. Res hæc erat ostentationis quidem parvæ, sed perquam ærumnosa, et multæ diligentiæ ac industriæ, ut rationes ejus ad liquidum perducerentur, et aliquo tandem modo constarent sibi : sed hæc diligentia et industria, nisi simile negotium fungentibus, non comparebunt tamen. Pro officio nimirum habui multam et ingratam operam in hac re ponere; sed, tantis tenebris hæc tota ratio involuta est, ut malim lectoris ad indulgentiam confugere, quam censuram provocare. Quoties fax librorum scriptorum mihi præluceret, in plurimis haud dubitabam sequi : sed multa sunt adhuc in hac re rectius constituenda; de quibus meo judicio manus trepida non ausa est obsecundare. Quum vero sententiam meam in commentariis super hac disputatione sæpenumero interposuerim, non necesse est, ut in hoc loco tempus teram; itaque ad alia me transferam, quum te ad Vossium demandavero, de hoc orthographiæ negotio scite statuentem, in Art. gramm. I, 43, init. atque, prout ingenuum virum decet, commonuero, unam et alteram dictionem esse in primis plagulis aliter, atque in sequentibus, memoriæ vitio, exaratam; quamvis secundas partes ageret impendio viriliter perdiligens inspector operarum; cujus acumini non paginæ solummodo, sed commentationes meæ, tempestivam aliquoties expurgationem debent. Nihil autem dissimulan-

nullam operam impertiuntur. Quoties vero cessaverim, et intentionem animi videbor remisisse, mihi vehementer gratulabor, ac cum meis studiis feliciter actum esse existimabo, si, liberalibus atque vere eruditis errores benevole monstrantibus, malignam cavillatorum intemperiem potero lucrifacere.

In universum sane, hoc vel in maximis omnium a memetipso obtinendum esse arbitratus sum, ut ne quid me putem scire, quod nesciam; quæramque semper addiscere, quod ignorem: quum sentiam, minus prodesse perite quid facere, quam obesse perperam fecisse. Nimirum, in his temporum angustiis, nemo debet admiratione commoveri, nedum indignari debeat, si, laboribus suis victitantes, et re familiari arctiore vigiliis addicti, nec non (quod rei caput est) inter librorum vetustiorum raram nimis nimis supellectilem tenebricose dispalati; si scilicet, his incommoditatibus pressi districtique, quædam emittant nimium deproperata, neque ad unguem præsectum, quemadmodum vellemus, complanata. Alia sunt insuper, meas vitæ rationes attingentia, et magnam apud mentes benignas humanitus admissorum excusationem habitura: de quibus tamen melius tacere puto, quam questibus ambitiosis inaniter indulgere.

Porro, ne me fortassis, ab tali puerili φιλαυτίᾳ remotissimum, lector existimet propriis ingenii fœtibus plus æquo delectari, quod eum toties ad Silvam meam Criticam remiserim; docendus restat, me compertum habere, ex usu literarum maturiore, plurima in istis lucubrationibus inveniri, quæ sint juveniliter temeraria, ἀπροσδιόνυσα prorsus, et homine critico indigna; sed quæ in sitientem famæ, rure tamen abditum, et a libris sermonibusque doctorum disjunctissimum, facillime possent cadere: sunt autem rursus plurima rite excogitata, qualia viros harum rerum callentes jucunde morabuntur, et ætatem ferent: ea potissimum, quæ in Novi Fœderis monumentis explicandis atque illustrandis

occupantur; alibi, nisi fallor, haud temere reperienda: quod serio triumphamus. Non enim ii sumus, qui sacros libros vel cum nobilissimis ethnicorum veterum in eadem trutina velimus ponere, aut eodem studio commentandos, ac meditandos, cordatis saltem hominibus autumemus: πολλοῦ γε καὶ δεῖ·

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Jam vero prius libet brevissime disquirere, quam huic præfationi finem ponam, utrum Lucretius noster alia ingenii monumenta quæpiam literis mandaverit, quæ in hoc ævum non perduravere. Certe, eum in animo habuisse de situ et qualitate sedium sanctarum, quas numina Deorum tenent, de tenuissima itidem ipsorum natura, prorsus intactili, neu admittente tactum utique, nec vicissim exercente, non perfunctorie disserere, suo ipsius etiam testimonio liquidissime colligitur, in lib. V vss. 147-158, quum argumentorum propositorum seriem, qui sequitur, versus claudat: « Quæ tibi posterius *largo sermone* probabo ». Sed enim an absolverit promissum, et ingens opus, quantivis æstimandum pretii, ruinæ temporum oppresserint; an consilium mutaverit; an rursus id agentem mors intercluserit acerba; nullus equidem de plano affirmaverim. Commentaria sane Serviana, ad Virgil. Æn. VI, 596, suspicionem injiciunt haud levem, hos etiam, quibus fruimur, libros sex De natura rerum aliquatenus imperfectos ad ætatem nostram descendisse : de qua re paucula submonuimus in nostris animadversionibus ad lib. III vers. 991, quo se lectores conferant :

ἐχθρὸν δέ μοί ἐστιν
Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

Aliud carmen, Lucretio relictum, olim exstitisse, Varronis testimonio saltem probabile efficitur; cujus verba, prout leguntur in lib. IV sect. 3 De ling. Lat. non pigebit adscri-

psisse : « A qua bipartita divisione, Lucretius suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc : Ætheris et terræ genitabile quærere tempus ». Si sanus sit hic grammatici locus, nec nomini proprio scripturæ vitium insideat; qua voce, quo fletu, tantum literarum infortunium, nullis artibus medicabile, lugebimus? Tempus! vastator omnium, tibi profecto felix, nimium felix, visus est Musarum chorus, hæc si dona propria fuissent; nam Lucretium meum, vel ingenii viribus, vel elegantia doctrinæ, cuivis veterum fortiter opposuerim :

quis est crudelior in nos
Te Deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis!

Denique, ob grandissimos operis hujusce sumtus, mihi gravissime incumbentes, prius volumen, ut antecursorem quemdam, qui publicam opinionem speculari quiret, et gratiam aucupari, necessum habui præmittere : et actum est profecto de fortunis meis, et editionibus poetarum veterum per sudores meos in futurum procurandis, nisi sit hoc specimen lautis judicibus liberaliter exceptum : quod sane vel ad omni luxu typographico condecorandum, quo pulchrius veniret elegantibus formarum spectatoribus commendatum, apparatus ne sumtuosissimi quidem cessaverunt. Interea, candide lector, et erudite! indices duo, alter criticus omnium in commentariis notabiliorum uberrimus, et alter locupletissimus verborum, libro sexto subjicientur. Quæ supersunt autem, prelum strenuissime exercent, et paucis abhinc mensibus hoc volumen, Deo favente, insequentur. Vale!

GILB. WAKEFIELD.

HENR. CAR. ABR. EICHSTAEDTII

DE TITI LUCRETII CARI

VITA ET CARMINE

DISSERTATIO.

De vita Lucretii, quum sileant veteres, perpauca sunt, quæ probabiliter dicantur : sed de ejus carmine, quia res ipsa loquitur, dici aliquanto plura possunt. Ad neutrum argumentum Gilbertus Wakefieldus animum applicuit, sive, quod critica eum materies ab ejusmodi disquisitionibus abstraxerat, sive alias ob caussas, quas hoc loco exquirere nihil attinet. Nos, quoniam Lucretii eam paramus editionem, quæ priorum omnium veluti delibatas dotes offerat, hoc utemur temperamento, ut, quum Petrus Crinitus, Baptista Pius, Lilius Gyraldus aliique nonnulli de vita et carmine Lucretii parum accurate et propemodum inquinate scripserint, Dionysius autem Lambinus, ejusque perpetuus imitator, Obertus Gifanius, in hoc genere conjunctam cum doctrina elegantiam ostenderint, horum disputationes, in brevem summam redactas, observationibus nostris auctas, nostroque, si fas est id addere, judicio limatas, lectoribus proponamus.

Titum Lucretium Carum, patria, ut ex ipsius testimonio (I, 39, 831; III, 259) cognoscitur, Romanum, Eusebius Pamphili natum esse tradidit Olymp. CLXXI, 2, hoc est, ex vera quidem computatione temporum (1), anno U. C. 659,

(1) Eam tenuere, qui Chronicon Eusebii Hieronymianum in his sequuti sunt, Tho. Creechius in Præfatione Lucretii; Jo. Alb. Fabricius in

ante Christum 95. Alii (1), nescio quo auctore, natales ejus referunt ad a. U. C. 658, quo anno, coss. L. Licinio Crasso et Q. Mucio Scævola, nobilissima illa lex Licinia et Mucia de civitate lata, præstantissimusque Jureconsultus, Rutilius, a publicanis in exsilium missus est. Sed natalem annum etiamsi certo constituere non liceat, tamen illud dubio caret, M. Tullium Ciceronem Lucretio nostro aliquot lustris majorem fuisse, si quidem illum Q. Servilio Cæpione et C. Atilio Serrano coss. in lucem editum constat. Efficitur quoque ex hac temporum putatione, præter Ciceronem, de quo diximus, Hortensium, Crassum, Cottam, Sulpitium, moxque Brutum, Calidium, Cœlium, Calvum, et proximum Ciceroni Cæsarem, eorumque velut alumnos, Corvinum ac Pollionem Asinium; æmulumque Thucydidis, Sallustium, auctoresque carminum, Varronem Atacinum ac Lucretium, neque ullo in suscepti operis forma minorem Catullum, haud multis diremtos gradibus ætatis floruisse. Quæ Lucretii ætas etiam Cornelii Nepotis (in vita Attici XII, 4) atque Velleii Paterculi (Historiæ Romanæ II, 56) disertis testimoniis confirmatur.

De parentibus autem omninoque familia ejus nihil usquam relatum legitur. Adeo in Nostrum quoque cadit, quod dicunt, priscos vates ipsa natalium suorum ortusque obscuritate aliquam divinitatem affectasse. Lucretiorum nomen in Romanis monumentis vetustissimum esse ac percelebre,

Bibliotheca latina I, p. 74, et Christ. Saxius in Onomastico literar. I, p. 145. Sed Lambinus et Gifanius Olympiadi illi apposuerunt annum U. C. 657; dixeruntque, Lucretium Cn. Domitio Ahenobarbo et C. Cassio Longino consulibus lucem vidisse. Quod chronologicis rationibus repugnat, docente etiam Petr. Bayle, *Dictionnaire historique et critique*.

(1) In primis Gifanius in Vita Lucretii, caute tamen effugiens antesignani sui, Lambini, errorem, qui anno illi adjunxerat Olymp. 172. Etiam hæc exagitavit Baylius l. c., simul alia, præsertim Phil. Brietii in libro de poetis latinis p. 9, delicta notans, qui natum esse Lucretium a. U. C. 543, defunctum a. 584, contenderat.

neminem fugiet, qui ex hac gente cognorit Tricipitinos, Cinnas, Vespillones, Ofellas, alios. Ad cognomentum autem Nostri quod attinet, quamquam illud rarius in fastis cæterisque monumentis invenitur, Romanum tamen esse, ex Ovidii et Valerii Martialis aliquot locis recte colligitur. Acumine abutitur Lambinus, ut tenebras, familiæ Lucretii per tot sæcula offusas, discutiat. Nec vero succedere conatus potest, qui argutiis pro demonstratione, conjecturis et hariolationibus pro historicis argumentis utatur. Poteramus itaque ab his abstinere : sed ne lectores, argutiarum quam veri cupidiores, se ulla bona re per nos frustratos doleant, etiam hæc Lambini verba fideliter referamus. « Credibile est, inquit, hujus familiæ Lucretios, equestri ordine contentos, populi honores non magnopere expetisse : quod nemo mirabitur, qui legerit, C. Mæcenatem Vipsanium, quum et Cæsari Augusto, et M. Agrippæ carissimus atque adeo intimus esset, ideoque amplissimos honores capere, atque ad senatorium ordinem pervenire posset, angusto clavo tamen contentum fuisse. Licet etiam dicere, Lucretium nostrum e Vespillonum aut Ofellarum familia fuisse, duoque cognomina habuisse, quum ad commune totius familiæ cognomen aut Vespillonis aut Ofellæ, cognomen Cari accessisset, vel propter ingenii magnitudinem et præstantiam, vel propter morum suavitatem et comitatem, vel propter aliquid tale. Quod ut facilius credam, facit vel Q. Lucretius Vespillo, juris peritus, quem commemorat M. Tullius in Bruto (cap. 48, 4), vel Q. Lucretius Ofella, quem idem ibidem scribit aptiorem contentionibus fuisse, quam judiciis : de quo fortasse et Velleius Paterculus libro II (c. 27, 6) verba facit : vel potius alter Lucretius Vespillo, cujus M. Tullius mentionem facit libro VIII Epistolarum ad Atticum, epistola 5, et C. Cæsar libro I, cap. 18, et III, cap. 7, De bello civili : ut credibile sit, Lucretium nostrum horum alicujus fratrem germanum aut patruelem fuisse. Neque me

movet, quod Cæsar libro I, cap. 18, De bello civili, Lucretium illum senatorem appellat : fieri enim poterat, ut ex eadem familia alius esset equestris, aut etiam plebeii ordinis, alius senatorii. Quod si cui mirum videatur, consideret, M. Tullium Ciceronem et Q. Tullium, ejus fratrem, equestri loco esse natos. Finge igitur, ex his duobus fratribus alterum se ad honores petendos et rem publicam gerendam contulisse, alterum luce populari carere, suum negotium agere, et intra pelliculam se continere voluisse (quod tamen secus factum est), sed finge ita evenisse. Procul dubio is, qui ædilitatem majorem, prætoram, consulatum adeptus esset, ut Marcus, senatorii ordinis factus esset; ille alter, qui nullum magistratum gessisset, in equestri ordine mansisset. Hoc idem de nostro Tito dicere licet, eum equestri ordine contentum fuisse, quum ejus propinqui, quod se ad rem publicam administrandam et ad magistratus gerendos contulerant, senatores facti essent. Quo posito et concesso, licebit eum referre in familiam aut Vespillonum, aut Ofellarum, ut præter prænomen Titi, et nomen Lucretii, et cognomen Cari, vel sic appelletur, T. Lucretius Vespillo Carus, vel sic, T. Lucretius Ofella Carus. De duobus cognomentis autem dubitari non debet. Nullum enim dubitandi relinquunt locum P. Lentulus Cornelius Sura, P. Lentulus Cornelius Spinther, Q. Fabius Maximus Verrucosus, L. Cornelius Sulla Felix, L. Calpurnius Piso Frugi, alii, quos longum sit enumerare. » — Hæc Lambinus : quæ omnia, ut dixi, in conjecturis admodum incertis versantur.

Etiam hoc est in conjectura, quamquam veri similiore, positum, quod addunt, Lucretium adolescentulum, quum ad philosophiam potius, quam ad poesin natus esset, ingenioque suo indulgens et naturam ducem sequutus, Epicuream disciplinam præ cæteris approbasset, quo solutiore animo et commodius philosopharetur, Athenas migrasse, ibique doctrinam Epicuri, a Zenone, scholæ illius coryphæo,

et Phædro, homine, ut Cicero ait, humanissimo, sibi traditam, perdidicisse. Cæterum tempus, quo carmen suum panxerit poeta, e libri primi exordio, vs. 30-43, intelligitur, ubi respicitur ad Catilinæ et Clodii furiosas machinationes, quibus ita fuit res publica Romana afflicta, ut non multo post tota concideret.

Præter hæc ne suspicari quidem de Lucretii vita quicquam licet (1). Nec liquet, quo mortis genere exstinctus sit poeta aut quoto ætatis suæ anno in vivis esse desierit. Vix enim fidem inveniat, quod Eusebius narrat, eum amatorio poculo (2) in furorem versum, quum aliquot libros per intervalla insaniæ conscripsisset, sua se manu interfecisse anno ætatis quadragesimo quarto. Hoc unde duxerit Eusebius, nescimus : sed item nescimus, quo tandem argumento nitatur, quod recentiores aiunt, Lucretium vel tædio vitæ, quod patriam suam ambitione, avaritia, luxuria, discordia et aliis, qui proprii sunt civitatum jam senescentium, morbis afflictari videret, vel ægritudine animi, quod Memmii sui, in exsilium ejecti, tristissimum casum æqua mente perferre nequiret, sibimet ipsum manus intulisse. Eusebius mortuum ait a. U. C. 703, ante Christum 51. Donatus au-

(1) Commentitiam esse inscriptionem Cæsenatem, quæ legitur in Aldi Manutii Orthographia p. 129, et Fulvii Ursini Imaginibus, atque apud Gruterum p. ccccxxxii, 2, laudaturque Mabillonio in Itinere Italico p. 42, et Bernardo Manzonio in Chronologia Cæsenæ, Thesaur. Italiæ tom. IX, P. viii, pag. 126 : « A. Lucretii Historici ac Poetæ Conditoris verissimi, cui ob excellentiam ingenii statua condonata, ac Civitati Cæsenæ, Roman. Coloniæ deductæ, in hoc sacro monte dedicata, » constat inter eruditos, et monitum est in Fabricii Bibliotheca latina I, p. 86.

(2) Pomponius Sabinus ad Virgil. Geo. III, 202, hippomanem bibisse narrat. Addunt alii, poculum illud ipsi porrectum esse a Lucilia, sive uxore, sive amica, quæ ab eo amari, non ei necem inferre, aut mentem adimere vellet. Fluxit fabula ex Hieronymi verbis, quæ exstant in dissuasoria ad Rufinum : « Livia virum suum interfecit, quem nimis odit ; Lucilia suum, quem nimis amavit. Illa sponte miscuit aconitum ; Lucilia decepta furorem propinavit pro amoris poculo ». Ita crescit fabula narrando. Apud Statium vero Sylv. II, 7, 76, *furorem* Lucretii poeticum intellige.

tem, seu quisquis est vitæ Virgilianæ auctor (1), a. U. C. 699, ante Christum 55, Cn. Pompeio Magno II et M. Licinio Crasso II consulibus, eo ipso die, quo Virgilius togam virilem sumserit. Utrumque testimonium Lambinus ac Gifanius rejiciunt, de conjectura, quam nullo argumento firmarunt (2), morti poetæ assignantes annum U. C. 701, quo anno, Cn. Pompeio Magno III et Q. Cæcilio Metello Pio consulibus, maximas in civitate Romana turbas excitarunt Clodii cædes a Milone patrata, Memmii aliorumque multorum, qui ambitionis fuerant condemnati, exsilium, Italiæ denique per victricia Cæsaris arma vastitas.

Quod Lucretii celeberrimum carmen ætatem tulit, *De rerum natura* inscriptum et C. Memmio Gemello dicatum; id, fuere viri docti (3), qui libris aliquanto pluribus, quam sex, olim constitisse opinarentur. Ad quam opinionem et suscipiendam argumenta valde levia valuerunt, et evellendam pauca sufficient. Nempe suffulti sunt illi potissimum auctoritate M. Terentii Varronis (4), qui, « Lucretius, inquit, suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc :

Ætheris et terræ genitabile quærere tempus ».

At Lambinus jam acute perspexit, in loco Varronis corruptelam latere, sic tollendam, ut vel Lucilii, vel alicujus alius scriptoris, nomen pro Lucretii nomine substituatur. Quæ sententia non caret idoneis rationibus. Primo enim non simile est vero, Varronem a Lucretio, longe minore natu, testimonium sumsisse, quippe quod ille vix sumserit a quoquam alio inferioris ætatis scriptore. Deinde, si Euse-

(1) Editionis Heynianæ tom. V, p. 321, coll. p. 358. Hunc auctorem sequitur Is. Vossius ad Catullum p. 83. Sed Tho. Creechius obiisse Lucretium ait a. U. C. 702, eo die, quo Virgilius natus sit. Id recte confutavit Petr. Baylius l. c.

(2) Eam docte repudiavit Baylius l. c.

(3) In his Lil. Gyraldus dial. IV de poetis, Opp. tom. II, p. 197, et Gasp. Barthius Adversar. LII, 4.

(4) De lingua Latina lib. IV, p. 7 editionis Bipontinæ.

bio credimus, qui Lucretium scribit anno post Terentium Varronem quarto et vigesimo, post Tullium Ciceronem undecimo natum esse, fortassis a poeta nulladum De natura rerum litera erat facta, quum Varro suos De lingua Latina libros absolutos ad Ciceronem mitteret, aut certe illud carmen nondum prodierat in lucem et ad hominum manus pervenerat. Denique Lambinus, ac post eum Gifanius, loca complura protulerunt, in quibus Lucilii nomen varias et similes corruptelas traxisse manifestum est.

Quæ rationes etiamsi testimonium illud, a Varrone petitum, non videantur fallaciæ convincere : tamen in promtu sunt alia tria argumenta, quæ, non plures, quam sex, a Lucretio conscriptos esse De rerum natura libros, plane evincant. Ea argumenta quæ sint, ordine recensebimus.

I. Gravissima in his merito censetur vox ipsius poetæ, non loquentis, sed clamantis, eum librum, qui primus hodie inscribitur et appellatur, esse primum, neque illo priorem injuria temporis intercidisse. Nam et argumentum hujus libri, quod est de principiis seu primordiis rerum, satis declarat, Lucretium, Epicuri sui doctrinam et ordinem imitatum, non aliunde, quam ab hoc libro, initium duxisse; et confirmat id dedicatio carminis Venerisque invocatio, qua poeta, veterum morem etiam cum suo quodam incommodo probabilitatisque detrimento sequutus, exordium operis illustrandum putavit; et omnem denique animo dubitationem eximit alius Lucretii locus (1), in quo ad librum hunc, quem primum ipse appellat, lectores revocantur. Ad hanc poetæ auctoritatem si Ovidii (Tristium lib. II, v. 261) adjungamus atque Prisciani (lib. VII in Grammaticis Putschianis p. 731) loca, qui initium carminis idem, quod nos hodie, se legisse

(1) Lib. VI, v. 937, 938 : « Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res Commemorare, quod in primo quoque carmine claret ». In *primo carmine*, hoc est, in primo libro ; ubi vide vs. 330, 347 sqq.

olim, perspicue testantur : non erit verendum, ne ad caussam nostram tuendam quicquam potius sumsisse temere, quam a certo cognitis exploratisque via et ratione ad ea, quæ necessaria inde consequutione efficiuntur, processisse videamur. Commodum præterea accidit, ut idem poeta nos dubitare non sinat de libro, qui carmini olim finem posuerit. Quando enim libri sexti versu 92 *supremæ præscripta ad candida callis* currere se affirmat, et Musam hujus spatii exposcit ducem; quid aliud significat, quam librum sextum totius operis a se suscepti esse fastigium, et velut extremam laboris metam, ad quam posteaquam devenerit, se, ut ludorum Circensium victores, qui spatium feliciter decucurrissent, coronam summa omnium cum laude et plausu esse consequuturum?

His itaque, quæ de initio ac fine carminis Lucretiani disputavimus, diligenter perpensis, sententiæ illius, quam impugnamus, fautoribus unum hoc videtur relinqui, ut intermedios quosdam ex integro opere libros interiisse contendant. Relinquitur illud quidem, sed non evincitur.

II. Nam sex, qui nobis supersunt, Lucretii libris Epicuri tota doctrina, quæ quidem ad naturæ et animi explicationem, sive ad physica et psychologica pertineat, sic absolvitur, ut etiam de philosophia morum passim admixta quædam reperiantur(1). Quamquam in hac explicanda proprie non versabatur poetæ consilium, audacter magis quam callide ita instituentis, ut eam philosophiæ partem, quæ callide tractata nitescere posset, parce ac raro attingeret, in illa vero, quæ spinis esset undique obsita, operosissime elaboraret. Etenim

(1) Lucretius ipse clara voce reclamat, qui in lib. IV exordio vs. 26-45, breviter repetit trium priorum librorum argumenta, pariterque in principio libri V, vs. 56-64, summam eorum quæ in duobus proxime præcedentibus docuerat, et libri VI, 43-46, item res primarias in libro V expositas lectori in mentem revocat : ut igitur interpositi inter hos sex libros arcte cohærentes alii excidisse nequeant. *Forb.*

Lucretius quum id maxime ageret, ut Memmium suum, novi carminis lenocinio captum, ad Epicuri amplectendam sectam facilius permoveret(1); conatus est ostendere, sedationem animi, constantiam et moderationem, quæ solæ virtutes vitam hominum beent, non nisi sectatoribus Epicuri contingere, sapientissimi scilicet illius bene beateque vivendi velut architecti. Quoniam vero duabus potissimum rebus sollicitari vitam conturbarique putabat, primum religione, hoc est, metu deorum inani, tum mortis formidine : his duabus animorum pestibus eximi eos demonstrat Epicureæ doctrinæ beneficio, quæ primo nullam esse rerum providentiam; deinde hanc omnium rerum compagem et universitatem non mente numineque divino factam, sed atomorum fortuita concursione concretam, et mundos esse innumerabiles, eodem modo natos, eosque omnes esse interitum habituros; denique nullum sensum post vitam remanere, animosque pariter esse mortales, multis validisque argumentis doceat. Qui errores(2), indigni sane illi hominum ingenio et altitudine, ne explicari quidem probabiliter et infundi in mentes incautorum poterant, nisi rerum occultarum ignoratione sublata, expositaque tum rerum natura, tum animorum indole. Quapropter magistri sui exemplo in physicis dilucidandis plurimam operam posuit Lucretius. Nam, ut apte Cicero (De finibus bon. et mal. lib. I, c. 19) accommodateque ad Epicuri sententiam scripsit, « cognita omnium rerum natura, levamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles exsistunt sæpe formidines, denique etiam morati erimus, quum didicerimus, quæ natura desideret. Tum vero, si stabilem scientiam rerum tenebimus, servata illa, quæ quasi delapsa de cœlo est ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia judicia rerum dirigantur, nunquam ullius victi

(1) Hoc consilium Poetæ e multis locis patet, in primis I, v. 935-949.

(2) Eos ut singillatim refutemus, nemo sanus postulabit.

sententia desistemus. Nisi autem rerum natura perspecta erit, nullo modo poterimus sensuum judicia defendere». — Enimvero hæc omnia sic pertractavit Lucretius, ut, iis addi quod possit, non inveniatur. Ad quam rem vel morosioribus judicibus probandam, postulabat fortasse hic locus, ut et materiem totius carminis accurate describeremus, et fontem, e quo fluxerit, hoc est, Epicuri rationem et doctrinam patefaceremus. Sed quoniam de illa satis diximus in Argumentis, quæ singulis sunt libris præfixa, de hac autem dicendi nobis otium fecerunt præstantissimi viri (1), quorum eruditio ad illustrandas carminis singulas partes opportunius a nobis ac fructuosius adhibebitur; jam, missis ambagibus, ad susceptum iter disputationis, a quo parumper huc deflexímus, revertamur.

III. Veteres scriptores et grammatici, qui Lucretianorum

(1) Præter Stanleium, Bruckerum aliosque notos scriptores, qui historiam philosophiæ enarrarunt, in primis Petr. Gassendus, acerrimus ille Epicuri patronus ac defensor, tum in libris octo de vita et moribus Epicuri, ed. altera et correctior Hag. Com. 1656, 4; tum in Animadversionibus in Diogenem Laertium de vita et philosophia Epicuri, Lugd. Bat. 1649, f.; tum in Syntagmate philosophiæ Epicuri, cum refutatione dogmatum, quæ contra fidem Christianam ab eo asserta sunt, Amstelodam. 1684, 4. Gassendi vestigiis in explicanda Epicuri physica doctrina institere Dan. Sennertus, Franc. Bernierius, Gualterus Charletonus, cum aliis, quos Bruckerus Histor. crit. philosophiæ tom. IV, P. I, p. 503, sqq. enumeravit. Sed ad explanationem illius doctrinæ, quam Lucretius adoptavit, magis pertinent Jac. Rondel *La vie d'Épicure* et Coutures *Morale d'Épicure*, Hag. 1686, 12, idem Rondel de vita et moribus Epicuri, Amstelodam. 1693, 12. H. E. Warnekros *Apologie und Leben Epicur's*, Greifswald. 1795, 8. Chr. Meiners *über Epicur's Charakter und dessen Widersprüche in der Lehre von Gott*, in *Vermischten Schriften* II, p. 45-129. Cæteros scriptores, qui Epicureæ disciplinæ singulas partes persequuti sunt, recensuit Tennemannus noster in *Geschichte der Philosophie*, tom. III, p. 438, quo in libro (p. 347, sqq.) etiam placita illius philosophiæ magna cum diligentia et perspicuitate exposita sunt. Tirones utiliter consulent Prolegomena versionis Meinekianæ (*Vorläufige Abhandlungen über Leben, Charakter und Philosophie Epicur's*), hausta magnam partem e Gurlitti notissimo libro, sed apte ad Lucretiani carminis intelligentiam nec sine judicii dote digesta.

versuum auctoritate sæpe ac libenter utuntur, nullum commemorant ejus librum ultra sextum, quamquam passim aliquot versus afferunt, qui in sex libris, ad nostram ætatem transmissis, non inveniantur.

Lambinus quidem etiam hoc videtur negare, a grammaticis ullum ex libris Lucretii testimonium proferri, quod nostris hodie exemplaribus desit. Sed sententiæ ejus plura refragantur grammaticorum loca, quæ tametsi caussæ nostræ obessent, tamen critico non liceret callido silentio tegere. Servius enim ad Virgilii versus, qui leguntur Geo. II, 42, sq. « Lucretii, inquit, versus : *sed ille æneа vox ait, non ferrea.* » Locus in nostro carmine frustra quæritur. Idem Servius ad Virgilii Æn. VI, 596, ubi de Tityo, terræ omniparentis alumno agitur : « Sane, ait, de his omnibus rebus mire reddit rationem Lucretius, et confirmat, in nostra vita esse omnia, quæ finguntur de inferis. Dicit enim, Tityon amorem esse, hoc est, libidinem.....

.....

Per eos autem, qui saxum volvunt, ambitum vult et repulsam significari : quia semel repulsi, petitores ambire non desinunt. *Per rotam autem ostendit negotiatores, qui semper tempestatibus turbinibusque volvuntur.* » Apertum est, hæc Serviana pertinere ad Lucretii lib. III, v. 991, sqq. Sed non minus patet, in Servii exemplo præter fabulas de Tityo, Sisypho et Danaidibus, quas hodie legimus, exstitisse seriem versuum, mythum de Ixione ejusque rota allegorice explicantium : quos versus nos ægre desideramus. Alium Gifanius locum Servii adducit, in Commentariis ejus mihi nondum repertum (1), ubi Lucretio hemistichium tribuitur :

Superi spoliatus luminis aer,

quod et ipsum abest a nostris libris, nec, ubi commode reponi possit, liquet.

(1) Legitur autem ad Æn. IV, 654. *Forbig.* — Vide etiam mox p. 32 extr.

Teneant hæc loca et urgeant, qui, quum Lucretius aliquot inde versibus ditescat, eum credere malint compluribus libris olim ditiorem fuisse. At qui severiorem criticæ rationem sequi amant, eos cætera, quæ supra posui, argumenta a tali conjiciendi temeritate facile abstrahent, ad eamque reducent judicii circumspectionem, ut Lucretiani operis non integros libros, sed versus nonnullos intercidisse existiment. Nec mihi, fateor, hæc opinio ullo pacto deserenda videretur, nisi lectitando Lucretii carmine alia mentem subiisset suspicio, lubrica illa fortassis nec sat certis et gravibus argumentis roboranda, sed quæ breviter et verecunde prolata, ad studium ulterius quærendi intelligentes et gnaros reconditioris doctrinæ lectores commoveat. Certe intelligent illi, quo consilio omnis ista de re non nimis abscondita disputatio a nobis instaurata sit, exputabuntque facilius, quo Commentarii monita multa tendant.

Memini equidem, quum primo Lucretii carmen curiosius tractarem, me demirari interdum inæqualitatem quamdam et discrepantiam orationis, quæ nunc vetustissimum colorem spirare, nec nisi casca et antiquata loqui, nunc ad politioris ætatis elegantiam ita temperata esse et mitigata videbatur, ut minime succenserem Virgilio, qui non dimidiatos sed pæne integros versus in duo cultissima opera inde transtulisset(1). Perspiciebam, hujus inæqualitatis aliquam partem tribui posse ætati poetæ, cui Ennium imitanti id licuisset, quod suis ipsius imitatoribus jam non amplius liceret; neque ignarus eram fortasse, quid discrepantiæ singulis locis argumenti varietas afferret(2). Neutrum tamen ad expediendum id, quod mentem mihi sæpius tangeret in legendo, sufficiebat. Id quale sit, periti facile sentient; imperitis uni-

(1) A. Gell. Noct. Attic. I, 21.

(2) Sensit id, quod monui, sed caussam rei ab argumenti varietate unice repetiit elegantissimi vir ingenii, Merian, in libro *Von dem Einflusse der Wissenschaften auf die Dichtkunst* II, p. 312, versionis Bernoull.

versa admonitione explicari nequit. Mox alia supervenere, quæ subinde eam animo sententiam injicerent, ut Lucretiani carminis olim duas putarem recensiones fuisse, quarum altera illud exhiberet, prout de manu auctoris exisset, inchoatum et rude, altera limatum a nescio quo multisque locis politum, non item constanti et pertinaci studio perpolitum(1). Hæc posterior recensio ad nostram ætatem propagata est, ita tamen, prioris ut non omnia obliterata videantur vestigia. Quod si recte conjeci, non modo illa, quam dixi, differitas orationis facile explicabitur, sed promtum quoque judicium erit de locis compluribus, eodem sæpe sensu sic repetitis, ut in maxima simplicitate mirum studium et artificium diffingendæ orationis ac variandorum singulorum verborum eluceat(2). Laudat in his et miratur Wakefieldus gratam orationis varietatem, qua satietati occurrerit poeta : quasi a fastidio abalienet is, qui, quum totam seriem versuum sæpius iterando non dubitet memoriæ legentium impensius inculcare, singulorum verborum eas mutationes facit, quas, nisi locis illis diligenter et pæne critico studio collatis, ne attentissimus quidem lector animadvertat. Omnino aut ego prorsus fallor, et ingenium Lucretii plane ignoro, aut ista, quam Wakefieldus prædicavit, ingeniosa variatio ab austera poetæ simplicitate non minus abhorret, quam ab Ascræi vatis ratione et consuetudine peritus quisque eam judicaturus erat alienissimam. Quamobrem consultius forsan fuerit, prospicere edendo, ut omnia ejusmodi loca ad orationis quamdam concordiam revocentur. Hoc ita fecere complures et excellentes editores, a quibus equidem non discessissem, si codices addicerent, in primis ii, quorum maxima et spectatissima est in con-

(1) Aliorum quoque scriptorum duplicem editionem ad nos pervenisse haud ignorant eruditi. Testis Marklandus de Tyrii Maximi dissertationibus, et de Apoll. Rhod. Ruhnkenius Epist. crit. II, p. 190. Vide quæ infra de Lucretio disserit Forbiger p. 50 sqq.

(2) Exempla vide in Commentario ad lib. I, v. 127.

stituenda lectione auctoritas. Sed his codicibus illam in locis quibusdam variationem verborum constanter et magno consensu tuentibus, veri persimile arbitror, eam ab homine venisse, qui emendationem carminis, neque illam tamen satis constanter, factitarit : ut in altero loco, quod poeta scripsit, in altero, quod emendator reposuit, hodie legamus. Accedit, quod multa in hoc carmine loca ita sunt luxata et ordine suo perturbata, ut iniquum ac temerarium sit, unam librariorum incuriam et negligentiam accusare, præsertim, quum codicum quorumdam indicia alio ducant. Qui in singulis etiam hemistichiis et vocabulis tantas sæpe tamque enormes varietates offerunt, ut pæne incredibile sit, eas a scribis aut interpolatoribus, aut a quoquam alio, quam a primo carminis vel conditore vel emendatore, profectas fuisse. Sunt enim ferme ejusmodi, quæ sensus varietatem inducant, sententiamque priore meliorem et accommodatiorem reddant, non quæ vitiatis sana, corruptis integra sufficiant. Nunc perstringo hæc tantum, non pertracto, ne aut Commentario præripuisse matériem, aut Prolegomenorum fines temere videar transiliisse. Jam vero juncta hæc et quasi consociata argumenta si quam vim conciliare nostræ conjecturæ valeant : quid impedit, quo minus versus illos, laudatos grammaticis neque in carmine Lucretii hodie obvios, ad eamdem suspicionis velut normam exigamus? Quis incredibile putet, alios a correctore carminis sublatos esse versus, in quibus luxuries poetæ latius sese profudisset, mutatos alios, limatos, et qua verba, qua sententiam concinniores atque emendatiores factos? Patet jam probabilis ratio, quamobrem expunctus sit de Ixione locus. Hemistichium autem illud, quod Servius Poetæ attribuit : *superi spoliatus luminis aer,* quoad sensum ita congruit verbis, quæ sunt lib. IV, v. 369, *lumine cassus aer,* ut hujus loci immutationem quamdam esse factam, haud inepte conjicias. Sed luculentior quædam et tamquam insignita nota cor-

rectionis apparet in Servii scholio ad Æneid. VII, 804, ubi versus Lucretii ita exhibetur:

Tum mare velivolum; florebat navibu' pandis.

Quem versum editores, neglecta vera interpunctione, male sic refinxerunt:

Tum mare velivolum florebat navibu' pandis.

At longe elegantius est, quod in optimis codicibus repertum, Wakefieldo præeunte, tandem a nobis repositum est (lib. V, 1441):

Tum mare velivolis florebat propter odores.

De his et aliis hujuscemodi locis disputandum erit alias singulatim et accuratius, quo clarius proferatur lux veritatis. Nunc hæc breviter notasse satis habeo, magis ut, quæ sint suspicionis nostræ præsidia, quam quantum e singulis momenti caussæ accedat, cordatis judicibus perspiciatur.

Sed hanc totam disputationem, erunt forsitan, qui lusui æquiparent, quia maximum et gravissimum, quod ipsis videatur, argumentum de summa illius decedat. Silent, inquiunt, de ista Lucretiani poematis recensione vel emendatione veteres. Audio. Sed quum omnino argumentis, a silentio et omissione desumtis, haud magna sit habenda fides, tum in hac nostra caussa silentium illud neutiquam tale est, ut obscuræ famæ et vagi rumoris vestigia prorsus deficiant. Parum equidem tribuo Eusebii testimonio, qui, quod carmen Lucretius inchoatum reliquerit, a M. Tullio Cicerone profectum esse atque expolitum affirmat. Nam Ciceronis et poeticam facultatem, et magnam libros suos et merita ostentandi cupiditatem ignoret necesse est, cui de Eusebii narratione non suboriatur dubitatio. Quum enim Cicero nullam temere occasionem prætermittat, studia sua,

tiant, ut erroribus mentem levent, pravitatemque judicii corrigant, non vera esse et germana poemata, evincit pulcri notio, quam dominari in poesi scimus(1). Pulcrum vero emicat supra omnia, quæ in humanitatem cadunt, estque in se perfectum et velut interno fine pollens. Quod etsi necessitudine quadam continetur cum vero et bono, quæ ad externum quid et alienum tendunt, tamen ea cognatio non pertinet nisi ad formam, quam in arte dicimus. Si quis igitur poeta in componendo carmine id spectat, quod extra se positum est, non quod in se perfectum absolutumque in animo ipso fontem et finem habet, hoc est, si ad bonum refert omne carminis sui consilium, neque pectoris sensa et affectiones, sed ingenii inventa et cogitata expromit; næ ille recedit a germana poesi, sed tanto excusatius recedit, quanto studiosius curat, ut carmen, docendi caussa confectum, aliqua pulcri forma induatur. Quum enim in ipso argumento aut nulla sit aut perexigua vis ad animum voluptate quadam perfundendum; voluptas illa pæne tota petenda est a tractatione et ornatu, in quo tam sedulo elaborare poetam oportet, ut summam carminis hac in re posuisse, et velut magico artificio allexisse hominum animos ad contemplandum videatur (2). Quo pacto cavebit, ne carmen suum aut ad præceptionum jejunitatem, quæ expers est omnis delectationis, inepte delabatur, aut in mera consistat rerum descriptione, qua mentes legentium capiuntur aliquamdiu, nec vero cum voluptate retinentur : efficiet porro, ut res seriæ, quia suavius adumbrantur politaque et eleganti oratione proferuntur, conversæ videantur in lusum, qui pulcri omnino proprius est, faciliusque in animos

(1) Hac in quæstione quæ nostra ætas philosophiæ luce illustrari vidit, eorum multa jam Batteusius (*Einschränkung der schönen Künste auf einen einzigen Grundsatz* I, 68; II, 194) acute perspexerat, in cujus sententia limanda laborat Duschius *Briefe zur Bildung des Geschmacks* II, p. 3 seqq.

(2) Copiosius hæc et accuratius persequutus est Heynius in Procemio in Virgilii Georgica.

influant : præstabit denique, ut in rebus, quæ sunt a pulcro alienissimæ, poetico ornatu vestiendis condecorandisque ingenii lumina et multo magis ars agnoscantur.

Perspicuum ex his erit, Ciceronis de Lucretiano carmine judicium quo modo intelligendum sit, sive potius, quæ apta nostræ ætatis subtilitati disputatio isti judicio, tamquam fundamento, superstrui queat. Sed non placet copiosius de eo philosophari, ne rei veræ falsum colorem videar quæsivisse. Veterum enim plerique in æstimandis poetarum operibus longissime aberant ab Eratosthenea sapientia, tam perversa illi præcepta artis amplexi, ut non modo eum poetam omne tulisse punctum censerent, qui utile miscuisset dulci, lectorem delectando pariterque monendo, sed ut hæc præ cæteris carmina probarent et appeterent, in quibus pulcro bonum prævaleret, hoc est, quorum lectio non tam animi liberam oblectationem, quæ a pulcro gignitur, quam utilitatem præberet, e bono redundantem (1). A qua judicandi perversitate si discesserunt Cicerones, sæculum suum acumine præcucurrerunt : sin judicium illud suum aliter voluerunt intelligi, Tullio opportune hoc loco contigit, ut, quod acumini deesset, orationis non distincta satis brevitate consequeretur.

Sed manifestius etiam ex iis, quæ disputavi, apparebit, ideo non culpari poetam, aut multum de laudibus ejus detrahi posse, quod ipse, alienus ab inventionis sollertia, maluerit in placitis magistri sui acquiescere, quam libero animi impetu per ignota et intentata vagari. Erat abunde laudis meriturus, si modo in tractandis ornandisque alienis sui ingenii lumina ostendisset. Verum ut in argumento Epicurum, ita in illius tractatione ducem et auctorem sequutus est Empedoclem, Pythagoreorum omnium longe clarissimum, quem carmen *De rerum natura* multo et prius et

(1) Res satis nota, vel ex Horatii Epistola ad Pisones v. 333 et 343.

constantius nobilitavit, quam fabulosa illa audacia, qua post longam per Græciæ urbes peregrinationem, in Ætnæ se fauces, ad famam divinitatis adipiscendam, nocte intempesta præcipitem dedisse narratur (1). Hunc poetam Lucretius in animo et oculis habuit; hujus carmen et plurima laude concelebravit lib. I, v. 717-734, et assidua imitatione expressit. Quæ quam vim habuerit imitatio, etsi vix admonendos puto qui Empedocleæ poeseos naturam et didascalici carminis historiam ex indiciis veterum eruerunt, tamen cæterorum caussa juvat hoc loco paucis demonstrare.

Nimirum quum huic poeseos generi prolusum esset, non exemplum datum a Gnomicis Græcis (2); legitimi carminis didascalici prima specimina in Xenophanis, Parmenidis, Empedoclisque Περὶ φύσεως operibus eluxerunt. Abjecerunt id genus Attici, qui aversi a tali poeseos abusu, quum prosæ ad doctrinarum usum excolendæ utilius studerent, etiam hoc exemplo, quantum pulcri nativo incorruptoque sensu cæteros omnes vincerent, luculentissime declaraverunt. Mox Alexandrini, ingenio suo invitati, mirifice sibi placuerunt in rebus iis carmine exponendis, quæ a pulcro abhorrerent quam longissime, ejusque vix aliquam formam admitterent (3). Ab his autem quamvis ita perfectum esset id genus poeseos, ut postea Romani, consueta exempla imitati, naturalem illam et parum operosam, cum exquisitissimo tamen cultu conjunctam, venustatem ab iis mutuarentur, novisque ornamentis velut domesticam redderent, sibique vindicarent: tamen Lucretius noster, forsan etiam æqualis

(1) Confer omnino de hoc poeta Fabricium in Biblioth. Græca vol. I, p. 805, cum Harlesii Epimetro.

(2) Præclare hoc monuit Frid. Aug. Wolfius in Prolegomenis Homeri p. CXXVIII, not. 95, cujus viri vestigia in his explicandis secutus sum.

(3) Tritius hoc est, quam quod uberius declaretur, præsertim post Heynii dissertationem de genio sæculi Ptolemæorum, quæ inest in Opusculis academ. vol. I.

ejus, P. Varro Atacinus Narbonensis (1), qui eodem tempore philosophiam Latino carmine illustravit, ab Empedoclis tristi et sicca ratione non desciverunt. Sed Empedoclem, si adeo veteres nescierunt, utrum inter philosophos, an inter poetas numerarent (2); quid Lucretium, imitatorem ejus, miraris, absque ulla inventionis laude poetico molimine philosophantem? Illum si acer spiritus ac vis diviniorque ingenii virtus, si non in singulis locis, at in universa tamen compositione et tractatione, ita defecit, ut rhetorico (3) potius quam poetico artificio, physica magis quam poetica γοητείᾳ (4) inclaresceret; quid Romanum incusas, carminis adeo operosi auctorem, ut etiam Quintilianus, X, 1, qui elegantiam pro materiæ ratione agnosceret, ab difficultate ejus oratorum studia avertere studeret? Ego mirandum putarem, si ista Romanorum ætate secundarium opus exempli dissimile exisset.

Neque vero hoc mirationem faciat, quod, quamquam Lucretius inter Græcos Empedoclem et præterea Homerum,

(1) Dubitanter loquutus sum. Nam de carminis Varroniani, quod huc pertineat, et argumento, et forma atque tractatione ambigi potest. Editores Lucretii, qui carmen De rerum natura a Varrone scriptum esse ante Lucretium nobis narrant, fontem narrationis addere debebant. Sed tacite videntur Quintiliani auctoritate abusi, Institut. orator. I, 4, § 4. — Ingenii autem felicitate Varronem præstitisse Lucretio, suspicari licet tum ex aliis illius carminibus, maxime elegiacis, quæ magnam ab idoneis arbitris laudem tulere, tum ex eo, quod assuetior erat lectioni et studio Alexandrinorum. Nam et Aratum latino carmine donavit, et præcipue Argonauticorum Apollonii Rhodii versione celebritatem nominis obtinuit.

(2) Lactantius Institut. div. II, 12, § 4.

(3) Empedoclem primum ῥητορικὴν κατασκευάσαι, h. e. *movisse aliqua circa rhetoricen*, Sexti Empirici (adversus Mathematicos VII, pag. 370) et F. Quintiliani (Inst. Orator. III, 1, 8) testimonio constat. Idem in Sophista suo prodiderat Aristoteles, referente Diogene Laertio VIII, 57, p. 529 ed. Meibom.

(4) Empedocles γοητὰς [γόης], s. ἀλεξανέμους (cf. Valck. ad Euripidis Phœn. p. 42 sq.) multis dictus. Vide, quos laudavit Harlesius ad Fabricium in Bibliotheca Græca vol. I, p. 809, in primis Diet. Tiedemannum in dissertatione de quæstione, quæ fuerit artium magicarum origo, p. 39 seq.

inter Romanos autem Ennium imitando expresserit, tamen vix ullus supersit Romanorum poetarum, in quo tam pauca foris profecta et aliena, ita omnia reperiantur domestica et vernacula. Id enim fortunæ magis beneficio, quam ingenii propria virtute Lucretio contigit. Empedocli quantum debeat, deperditis hujus poetæ carminibus, necdum reliquiis Goensiana diligentia conquisitis curatisque, nunc ante oculos ponere non licet : Homericæ imitationis non admodum multa sunt vestigia, sed tot Ennianæ, quot in paucis hujus vatis fragmentis vix exspectaveris. Quem si fortuna nobis integrum, et Empedoclis didactica saltem carmina servasset; ne dubita, quin multo plura irrigati fontibus alienis indicia essemus deprehensuri.

Durum dicas et asperum editorem, qui poetam suum non iis solum virtutibus nudet, quas interpretum prava sedulitas carmini affinxerit, sed vituperiis adeo, in sola positis conjectura, oneret atque affligat. Non intercedo : modo ne pro vituperio habeas, quod ingenium et disciplina Romanorum non aliter ferebat, neu judicii cum severitate simul aut levitatem mihi exprobres aut perversitatem. Ita de me qui sentiant, eos placabo fortasse postrema hujus Proœmii parte, cui dotes Lucretiani carminis sic recensere propositum est, ut Ciceronianæ sententiæ veritas in clariorem lucem proferatur.

Empedoclem Aristoteles, quamvis cum Homero, inventionis puta universæque tractationis ratione habita, ne comparandum quidem censeat, tamen grandem scribit fuisse in dicendo, translationibus item cæterisque virtutibus poeticis usum (1). Quæ similiter in Romanum ejus imitatorem cadunt. Lumina enim ingenii, quorum non multa in Lucretii carmine Cicero agnovit, et multo magis artem, quam ipsi tribuit, declarant splendida singulorum librorum exordia;

(1) Aristotelis locum debemus Diogeni Laertio lib. VIII, 57, p. 529.

produnt digressiones, ornatus caussa interpositæ et ad materiem consiliumque operis exquisito cum delectu accommodatæ; ostendunt descriptiones multæ, quas egregie poeta a natura sumsit et ad illustrandum argumentum adhibuit; testatur denique rerum quarumdam ea eloquutio et repræsentatio, quæ vel sublimitate sua elevet animos et in altum extollat, vel jucunda imaginum vicissitudine teneat (1). Quamquam sublimitas illa non poetæ ingenio et phantasia enata, neque compositionis virtute exorta, sed e rebus ipsis velut emersisse videtur; imagines autem non ea vi pollent, quæ ultra descriptionum poeticarum laudem eas evehat; id quod (ne plura huc cumulem) cuivis, conferenti nobilissimum Lucretii locum, qui est de Atheniensium pestilentia, cum simili Georgicorum Virgilianorum digressione, facile patebit. Sed hoc est proprium Lucretio et insigne ad carminis commendationem, quod, quæcumque ab eo vel in cupiditates, improbas hominum et effrenatas dominatrices, vel in anilem inanemque superstitionem, vel in deos adeo eorumque cultum et reverentiam dicantur, ita sunt satirico sale perspersa (2), ut novis lenociniis capiant lectores, etiam eos, quorum animos verior religionis cognitio cohibet a temeritate assentiendi.

Quamobrem, si carmen universe spectetur, poetam nemo judicaverit prorsus alienum fuisse ab arte, quæ argumento attemperare tractationem docet. Nam, ut Lambinus et Gifanius bene monuerunt, ubi de rerum primordiis, seu corpusculis individuis, de eorum motu et figuris, de inani, de imaginibus seu simulacris, quæ e summo rerum corpore mittantur, de animorum natura, de ortu obituque siderum,

(1) Exemplorum commemoratione supersedeo: nam et obvia sunt carmen attentius legenti, et magnam partem collecta a Duschio libri citati epistola XIV et XV, et Car. Ferdinand. Schmidio in dissertatione cæteroqui valde jejuna *de Lucretio Caro*, Lips. 1769, 4. — Vide quæ citantur infra, p. 48, not.

(2) Primus id, quod sciam, sed ingeniose monuit, locisque allatis docuit Merian lib. laud. p. 315 seq.

de solis et lunæ defectu, de fulminis natura, de arcu cœlesti, aliisque hujus generis rebus disputat, subtilis, argutus, enucleatus est. At in similitudinibus nonnullis, in exemplis, in disputationibus de morte contemnenda, de amore fugiendo, de somno et insomniis, gravis, copiosus, ornatus invenitur. Mira suavitate mundi, ac terræ, cœlique et omnium animantium ortus canit. De Ætnæ ignibus quam magnifice; de avernis, de morborum caussis, de teterrima illa Atheniensium peste quam dextro penicillo aptisque coloribus omnia, tamquam in tabula, pingit! Sed nolo hæc per singula eundo persequi: poterant enim in ultimis præcipue libris multa hujus generis cum laude commemorari. Videtur autem Lucretius in ipso progressu operis, quos conceperat ingenii ignes et fovisse acrius, et expromsisse felicius. Nam in tribus istis libris, qui postremi sunt, multo erectior spiritus viget, palmam haud dubie eripiens prioribus, quorum ut argumentum a poetica expositione remotius erat, ita tractatio ad pedestris orationis tenuitatem descendit. De his itaque libris modice usurpandum est, quod ait poeta, se admiscuisse carmini aliquid nitoris et gratiæ, ut hoc alliceret magis animos ad cognitionem eorum, quorum ne jejuna atque arida traditio eos averteret ipse verebatur: utiturque in eam rem nota similitudine, lib. I, 934, et IV, 11: « Ac veluti pueris, etc. » Sed nos veremur (liceat enim Quintilianeis hoc loco uti), ne parum hæc carminis pars mellis, et absinthii multum habere videatur, sitque salubrior studiis, quam dulcior. In cæteris autem libris patefaciunt plura, quid quantumve efficere Lucretii ingenium, Epicureæ doctrinæ admiratione incitatum, potuisset, si ipse philosophicum poetam, quam versus pangentem philosophum agere maluisset. At de hoc quomodocumque existimetur, tamen omnes insignem artem agnoscimus in apta argumentorum compage, qua opus suum ita contexuit, ut nec dialecticæ fulcra respueret. Arti tribuimus lucidum ordinem, quo pri-

mus est ausus perobscuram Epicuri doctrinam versibus exponere; ingenio perspicuitatem, quam incommodo ac velut reluctanti argumento, quantum fieri posset, attulit. De sermone quid dicam, quem quum rudem incultumque, et tum poeticæ venustati, tum multo magis subtilitati philosophicæ parum congruum, accepisset, in paucis emollire cœpit rebusque ac sententiis aptare? Qua de re equidem ita statuo, prospexisse Apollinem et Musas faventes Latio, ut Lucretius ea viveret scriberetque ætate, quæ linguam Latinam nondum vidisset acumine philosophorum limatam, enucleatam, diligenter constitutam. Quum enim Noster in exponendo argumento ad poeticam elegantiam perparum, omnia retulerit ad perspicuitatis laudem persuadendique firmitatem; quid quæso eventurum fuisse putes, si linguam habuisset philosophi moliminis adjutricem? Quæ in ejus carmine raro lucent poetica lumina, ea omnia, noli dubitare, quin studium illud perspicuitatis exstincturum fuisset: ut, quum nunc legentes Lucretium naturæ obscuritatem leniter conqueramur, multo nobis gravior caussa foret ipsam disserendi subtilitatem accusandi.

Ex illa vero sermonis Latini, qui tum fuit, opportunitate sponte enata est propria poetæ dictio, non ad exquisitum nitorem exculta, sed simplex pariter ac gravis: quæ, quod venerabundam antiquitatem redolet, ipsa per se poeticum argumento colorem inducit, propriaque et velut domestica suavitate animos mulcet; quod duritatem et severitatem quamdam sequitur, materiæ apta judicatur, quippe granditate eminens et insigni cum dignitate incedens. His accedit ipsum genus numerorum, asperius illud et præfractius, sed grave, ponderosum, verbis sonans et plenum majestatis; quale et nobis hodie, vetustum carmen legentibus, nescio quo pacto, antiquum reddit animum, et Romanis olim, polita jam urbe, atque eruditissimis poetis liberalissimisque studiis affluenti, diu in deliciis fuit. Nemo enim, teste

A. Macrobio (1), ex hoc viles putabat veteres poetas, quod versus eorum scabri posteris videbantur. Sed ille stylus Enniani sæculi auribus solus placebat : et diu laboravit ætas sequuta, ut magis huic molliori filo acquiesceret (2). Cæterum utroque in genere præivit Lucretio Empedocles, qui, ut pedestris incessus humilitatem effugeret, granditatem orationis et mensuram a poetica mutuatus est.

Sed, nescio quomodo, rursus recurrit Empedocles. Itaque, ut finiam, quod disputavi, complectar brevi.

Non minorem apud nos gratiam ex eo ineat Lucretius, quod parum conspicuus ingenii gloria, pleraque omnia, non inventa per se, sed ab aliis tradita, cecinit : verum optemus modeste, ut ex argumento, quod tractandum sumsit, ea dumtaxat aut eligere voluisset, quæ non expertia essent suavitatis, aut, si illam non haberent, arte poetica nobilitare. Recte probabimus magnam simplicitatem et continentiam poetæ, ab omni affectatione et calamistris alienissimi : nec vero inficiabimur, eam simplicitatem sæpe horridam esse et jejunam; expositionem doctrinæ Epicureæ haud raro ad impellendos sensus animumque commovendum omni robore ac virtute destitui; additas denique demonstrationes vitio tractationis ita exarescere, ut doceri nos a magistro scholæ sentiamus, non a poeta delectari. Laudabimus ea, quæ Lucretius passim sententiis ac verbis locupletavit, lætiore vultu et colore exhibuit, et quum universe dici possent, vel descriptionibus ad vivum repræsentavit, vel exemplis illustravit, vel comparationibus ad sensus nostros propius admovit : sed id jure conqueremur, quod nec plures sententias hoc venustiore ornatu vestiit, neque in iis, quas vestitas esse voluit, liberaliorem varietatem expromsit. Condonabimus materiæ ea, quæ, quum omnia ornamenta vide-

(1) Saturn. VI, 3, p. 592 ed. Zeun.
(2) Ecce tibi fontem et causam laudum, quas veteres liberalissime in Lucretium contulerunt.

rentur respuere, nude et tenuiter dicta sunt : sed merito reprehendemus poetam, qui jejunitatis fastidium plane non absterserit artificio quodam et variatione in junctura locorum et modo, quo unum ab altero argumentum excipitur. Mirentur in his prisci ævi colorem, qui volent; Empedoclis adeo virtutes nobis redditas gaudeant. Nos datum Latio Empedoclis imitatorem gratulamur, primas in ipsum lubenter collaturi, si, quo potior suo duce evaderet, simplicitatem temperasset aliqua varietate, plusque ingenii ad tractationem, artis ad ornatum, ubertatis ad copiam, facilitatis denique ad suavitatem attulisset.

A. FORBIGERI

DE

T. LUCRETII CARI CARMINE

DISSERTATIO.

Quod inde ab antiquissimis temporibus observatum est, homines auream inter nimium et parum mediocritatem adeo non tenere, ut plerumque alterutram in partem modum excedant, hoc et eo comprobari videtur, quod T. Lucretii Cari carmen De rerum natura didacticum, antehac infinitis pæne laudibus ad cœlum usque evectum (1), jam parum abest quin prorsus oblivioni tradatur. Quod quum a majoribus tam diligenter fuerit lectum et tractatum, ut per

(1) Præter ea, quæ ipsi Lucretii editores, in primis Lambinus, Gifanius, Faber, Creechius, Havercampus et Wakefieldus de poeta nostro prædicarunt, conf. in primis Preigeri ad Havercampum epistola, et quæ hic prima statim pagina edit. suæ adfert Sabini, Turnebi, Scaligeri, Casauboni et Lipsii de Lucretio testimonia; quibus addi possunt Victorius ad Cicer. Epp. ad Quint. Fr. II, 11; Gassendus de vita et moribus Epicuri p. 42; Casp. Barthius Advers. l. XXXVIII, c. 7, p. 1730; l. XLIII, c. 2, p. 1928 sqq., et l. L, c. 9, p. 2355 sq. idemque ad Statium t. I, p. 260 sqq.; Thysius ad Gellii N. A. I, 21, aliique. Longe moderatius et circumspectius, ideoque verius etiam, de eo judicarunt e. c. Crinitus De poetis Lat. l. II, c. 19; Gyraldus Histor. poetar. Gr. et Lat. Opp. t. II, p. 143 sqq. ed. Basil. 1580; Walchius Hist. crit. Lat. linguæ, p. 32; Duschius *Briefe zur Bildung des Geschmacks* t. II, ep. XIV sq. p. 244 sqq.; Benedictus Observ. ad Lucret. p. 3 sq., in primisque Meineck. in comment. altera versioni suæ vernaculæ præfixa, p. 23 sqq., et Eichstædtius in doctissima de Lucretii vita et carmine dissertatione, qua editionem suam egregie locupletavit. (Vide supra.) Nuper tandem in Knebelio, eleganti interprete suo germanico, Lucretius ardentem rursus nactus est admiratorem.

unum seculum proxime præterlapsum plures quam triginta ejus editiones in lucem prodirent, jam eo deductum est, ut, si exceperis Eichstædtii editionem, cœptam quidem, sed proh dolor! post plures quam viginti annos nondum absolutam, et iteratas modo Creechianam, Wakefieldianam et Bipontinam, per omnem seculi, quo nunc vivimus, partem transactam ne unus quidem vir doctus in hoc egregio Romanæ antiquitatis monumento denuo typis exscribendo curam operamque collocaret. Sed ne dicam de novis totius carminis editionibus, quæ fortasse majoribus difficultatibus implicitæ videantur, ne singulos quidem ejus locos in dissertationibus academicis scholasticisve, vel in ephemeridibus philologicis nostrorum temporum, fere unquam vidi tractatos (1); quid quod haud pauci juniorum hominum ad philologiam adspirantium neque legerunt unquam Lucretium, nec quid scripserit sciunt? Quare quum manifestum sit, poetam nostrum ab his, qui nunc sunt, philologis negligi fere et vilipendi, quærendum omnino fuerit, num hoc tanto contemtu iste dignus videatur; quod equidem multis de causis longe aliter se habere judico. Primum enim si verum est, veteris philosophiæ accuratam cognitionem unicuique humaniorum literarum cultori summo studio esse appetendam; vel propterea Lucretium, utpote philosophiæ Epicureæ fontem limpidissimum, ex quo ad supplenda, explicanda et emendanda paucissima illa Epicuri ipsius fragmenta, quum a Diogene Laertio servata, tum nuper e membranis Herculanensibus evulgata, viris doctis sæpissime sit hauriendum, nullo pacto deserendum et in oblivionem addu-

(1) Unus modo mihi innotuit ejusmodi libellus modo laudatus, cujus integer titulus sic se habet : Frid. Traug. Benedicti Observationes ad Lucretii Cari carmen De nat. rerum. Annaem. 1815, 8; nisi huc referri velis flores e poetis Latinis in usum gymnasiorum delibatos, quibus etiam Lucretii loci quidam, notis criticis instructi, continentur, ut Clar. Nobbii Syntagma locorum parallelorum ex poetis Latinis, Lips. 1819, 8, et Orellii Eclogas poetarum Latinorum, Turici 1822, 8.

cendum dixerim. Haud minori idem animi attentione dignus videtur, quod, quum ineunte aurea latinæ linguæ ætate scripserit, qua Romanorum sermo, deposita priori asperitate et simplicitate, magis excoli et emolliri inciperet, tamen illum antiquitatis colorem tam diligenter servare voluit, ut, quomodo veterrimæ latinitatis usus in majorem perfectionem inflexus sit, ex ullo alio Romanorum scriptore melius non cognoscatur. Neque hæc ultima carminis Lucretiani virtus est censenda, quod primum est sublimioris poeseos opus, quod a Romano homine confectum integrum ad nostra tempora pervenit, idemque primum singularis cujusdam poematum generis, didacticum quod vocant, unde, perpaucis omnino ejusmodi carminibus ex antiquitate nobis relictis, hujus poeseos indolem et naturam optime addiscere possimus. Denique, ut hæc omnia taceam, poeta inter Romanos ipsos tantam laudem nominisque celebritatem assequutus (*vide infra testimonia citata*, p. 117), vel per se ipsum dignus videtur, ad quem diligenter animum advertamus, ut eum a variis permultisque vitiis, temporum injuria ipsi intrusis, liberare pristinamque ad formam, quoad ejus fieri possit, revocare studeamus. Ingenio enim poetico nullo modo destitutum fuisse auctorem nostrum, ex multis locis carminis ejus elucet (1), ubi, vinculis philosophicis decussis, a proposito fine interdum longius evagatus, alienas res et poeticæ narrationi aptiores ita cecinit, ut quivis lector carmine ejus delectari possit, vel ubi imagines et comparationes inseruit egregias, quarum optimum quemvis poetam non est quod pudeat; ita ut potius arbitrandum sit, in

(1) Conf. in primis I, 1-41; 251-262; 272-295; 717-734; 921-949 (qui locus repetitur l. IV, ab initio). II, 1-13; 317-332; 352-370; 601-642; 1156-1173. III, 486-504; 907-924; 944-1057. IV, 406 sqq. 584-598. V, 22-37; 223-235; 397-405; 736-746; 923-1085; 1217-1234; 1282-1339; 1387-1410. VI, 188-202; 1136-1284, et alii plures trium maxime posteriorum librorum loci, quos hic, ut in omni libello, affero ex numeris versuum in Wakefieldi editione adscriptis.

illis locis, qui, poeticum colorem et ornatum si spectamus, minori tantum vel nulla prorsus laude celebrari possint, ingenium ejus carminumque pangendorum facultatem jejunitate argumenti hebetatam et ad pedestrem orationem depressam esse, quæ, si aliam rem sibi sumsisset carmine tractandam, fortasse præclariori modo nobis illuxisset. Jam vero quum poetæ nostro acciderit, ut Epicuri præceptis toto animo et mente deditus nullam aliam materiam poetica tractatione digniorem putaret, quam hanc magistri sui philosophiam, quumque carminis formam et poeticum ornatum eo tantum fine adhibuerit, ut Memmium, cui proxime dicatum est hoc opus, aliosque Romanos carminis suavitate ad legenda et amplectenda Epicuri placita facilius alliceret, et de præstantia eorum certius iis persuaderet(1); hoc certe erit concedendum, quod in animum induxerit, id sic perfecisse, ut melius vix fieri potuerit; semper enim debemus meminisse, didacticum hoc esse carmen, cujus auctor quum ex Epicuri sententia accuratum in primis et clarum docendi modum curaret, poeticum colorem, utpote rem secundariam, primario fini putaverit postponendum. Accedit denique, quod, Empedoclis aliorumque Græcorum philosophorum pariter ac Ennii et antiquorum poetarum Latinorum scriptis, e quibus Lucretius hausisse putandus est, temporum injuria deperditis, poeta noster magis fere, quam ullus alius Romanorum scriptor, sui ingenii homo videtur, qui alium non æmuletur, sed se ipsum sequatur ducem et exemplum; quare licet ego non a quopiam in illud Taciti(2)

(1) Clare hoc profitetur auctor I, 141 sqq. et 932 sqq. (sive IV, 8 sqq.), quibuscum locis conferri possunt I, 29, 413 sqq. 642 sqq. II, 528 sq. III, 420 sq. IV, 181-183 (sive 907-909) et VI, 81. Quodammodo huc etiam pertinent querelæ illæ de linguæ Latinæ egestate (I, 140, 832; III, 261), quam Lucretius eo gravius ferret necesse erat, quo magis Memmius, quem potissimum sibi conciliare et in suas sententias adducere studuit, literas Græcas adamavit, Latinarum vero fastidiosus fuit. (Conf. Cic. Brut. c. 70.) Ceterum de Memmio plura vide infra in nota pag. 84 sq.

(2) Dial. De orator. c. 23.

« genus hominum, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt » referri velim, hac certe in re utique Lucretium Virgilio et quotquot ipsum imitati sunt poetis præferendum esse arbitror. Quæ quum ita sint, ne in alicujus reprehensionem incidam, quod inter tam multos veterum auctores Lucretium istum in hoc specimine tractandum ac in eo studiorum meorum primitias offerendas mihi sumserim, non timeo, in primis quum post Havercampi etiam, Wakefieldi et Eichstædtii curas nunc quoque latissimum aperiat perscrutationis, interpretationis et emendationis campum, in quo philologi, quid humeri valeant quidve recusent, optime demonstrare possint.

De indole autem et præstantia carminis Lucretiani, de auctoris philosophia hujusque ad Epicuri præcepta ratione, de singulorum denique locorum sensu et vera lectione si certum judicium ferre volumus, ante omnia nobis quærendum est, utrum quæ hodie sub Lucretii nomine veneunt, omnino sic, ut nunc leguntur, ab ipso profecta sint auctore, an fortasse Lucretii libri præter vulgares corruptiones, quibus omnia veterum scripta grammaticorum et librariorum culpa inquinata sunt, majores etiam et graviores passi sint mutationes et corruptelas; quæ quidem quæstio argumentum erit hujus qualiscunque dissertationis. Fateor enim, ex quo primum Lucretii carmen studiosius perlegerim operamque meam ei navaverim, plures mihi oblatas esse causas suspicandi, nobis in his sex De rerum natura libris non unius Lucretii, sed duorum scriptorum longe diversorum manum agnoscendam, ideoque hunc etiam auctorem iis adnumerandum esse, quorum scripta a serioribus multis in locis mutata, aucta vel contracta, emendata vel corrupta, denique longe alia ab ea, quam auctor ipsis dederit, forma induta ad nostra tempora pervenerint; quam suspicionem postea studiosius et libentius sum persequutus, quum, quod mihi exoptatissimum erat, viderem, jam ante me virum mea

laude longe majorem, Eichstædtium, in eamdem opinionem incidisse (1). At vero hic Vir celeberrimus quum causas hujus conjecturæ in Comment. de vita et carmine Lucretii, editioni suæ præmissa, innuerit modo, non accuratius demonstraverit, quippe qui omnem hanc disquisitionem commentario reservasse videatur, etiamnum omnibus cupide desiderato, et quum mihi, licet in principio rei prorsus cum viro doctissimo consentienti, in decursu tamen viæ ab eo recedendum fuerit, non superfluum, puto, aut temerarium videbitur, quod hanc meam opinionem et illis argumentis ab Ill. Eichstædtio jam indicatis accuratius tractandis et novis quibusdam addendis, quoad per vires licuerit, probabilem reddere in animum induxi. Quare ne diutius lectorum patientia abutar, jam suspicionis meæ argumenta ipsa ex ordine proferam, quibus expositis, quid mihi velim et cur Ill. Eichstædtii conjecturam certe non omni ex parte probare possim, eo clarius apparebit.

Quemvis igitur Lucretiani carminis lectorem, paullo intentius in eo occupatum, offendere debent non solum singuli versus, sed longæ adeo versuum series, quæ aut iisdem verbis, aut connexus causa hic ibi paullulum mutatæ, bis, ter, sæpius in variis locis repetuntur (2). Jam licet probe sciam, alios etiam utriusque linguæ scriptores interdum versum aliquem vel plane iisdem verbis, vel uno alterove mutato, alio loco repetiisse, illarum tamen repetitionum, quæ in Lucretii carminibus occurrunt, prorsus diversa est ratio; siquidem hic non, ut in aliorum scriptis, idoneis de causis et raro tantum singulos versus repetitos legimus, sed in quavis fere pagina et nulla prorsus causa jubente, non modo singulos versus, sed perlongas plurium versuum pe-

(1) Vide supra p. 31.

(2) Qua de re ut certum ferri possit judicium, indicem omnium illarum repetitionum, quas equidem indagare potui, adscribere placet. Vide infra p. 83 sq.

riodos iterum tertiumve redire deprehendimus. At Homerus tamen longiores etiam locos passim repetere non dubitavit. Audio; sed illius exemplum plane non valet ad excusandas Lucretii repetitiones. Primum enim carmina illa Homerica non ab uno homine conscripta esse constat, deinde quas jam natura ejusmodi rhapsodiarum, non legentibus, sed audientibus compositarum, excusat certe iterationes, has postulat adeo illorum temporum hominumque simplicitas, cui quam maxime convenit, ut quæ ab alio audita, mandata et præcepta sint, iisdem etiam verbis repetantur; quare quum in Homericis carminibus orationes virorum principum, deorum invocationes, sacrorum rituumque publicorum enarrationes, publice mandata, imperatorum edicta vel alios publicos nuntios repetitos videamus, laudandi potius quam vituperandi sunt eorum auctores. Qui vero in Lucretii carmine iterati leguntur loci partim nihil nisi imagines et comparationes continent ad ornatum poeticum pertinentes (v. c. II, 54-60; IV, 181-183, vel I, 925-949, et II, 29-33), quæ, quum primum leguntur, placere et delectare possunt, sæpius vero recurrentes admodum languere et tædio esse debent, partim vero philosophica dogmata et observationes inde ductas complectuntur (ut I, 57-62; IV, 218-230; V, 83-91, vel I, 817-819; II, 177-181; III, 31-34, 785-798; V, 188-192), quæ licet paullo mutatæ et inflexæ atque ad alias interdum res accommodatæ repetantur, quum lectoris memoriæ ex alius loci lectione necessario obversentur, et ipsæ tam molestæ, tam frigidæ sunt censendæ, ut cum illis Homericis neutiquam comparari, nec omnino poetæ paullulum præstantiori jure tribui possint. Quid vero? num omnis hujus operis indoles et natura, num illi in primis, quos supra in nota (p. 48) attulimus, loci ejusmodi produnt poetam, cui versus consuendi labor tam molestus fuerit et difficilis, ut novam quandam rem expositurο ad alium similem locum redeundum esset,

cujus verba aut integra, aut, si sensus et connexus flagitaret, magis minusve mutata in alterum transferret? an tam fatuum et insulsum se præbuit auctor, ut eum, si quo in loco præter exspectationem sibi rem successisse viderit, ingenti lætitia affectum et vana sui ipsius admiratione ductum, hos versus pulcherrimos, ne non a lectoribus penitus gustati præterirent, nunc hic nunc illic rursus intexuisse arbitremur? Anne fortasse ejusmodi languidis et otiosis iterationibus suavitatem et elegantiam carminis augeri putavit? an Memmium, qui ipse fuit poeta et orator haud vulgaris (1), sic eo certius sibi conciliaturus, eo facilius ad suam philosophiam adducturus sibi visus est? Imo ne Memmium, quem ob nimium Græcarum literarum amorem Latinas omnino fastidire notum erat, hac ratione ab Epicuri placitis prorsus absterreret potius, quam ad ea amplectenda alliceret, ei fuisset metuendum. Quare non omnem solum venusti et elegantis sensum cunctamque versus pangendi peritiam et facultatem, sed omnem etiam prudentiam, omne judicium Lucretio abjudicare nos oporteret, si illos locos universos ab eo ipso repetitos esse credere vellemus. Quod licet nullo modo concedere possim, quarumdam tamen repetitionum Lucretium ipsum auctorem esse, neutiquam negaverim, quum in iis plures etiam comprehendantur loci breviores, qui natura sua ita sunt comparati, ut nemo in iis repetitis offendere possit.

Sequuntur varia dissertationis argumenta.

His igitur argumentis accurate consideratis et perpensis, Lucretii carmina majores fere, quam ullum aliud antiquitatis monumentum, mutationes injuriasque passa, prorsus alia, quam quæ ab initio iis fuisset, forma, plane alio colore et ordine ad nos pervenisse, neminem amplius dubitaturum

(1) Vide infra pag. 84 sq.

puto. Jam vero si quæritur de auctore omnium illarum repetitionum, turbarum et mutationum, hunc inter seriores grammaticos vel solos librarios quærendum esse, supra jam pluribus de causis negavimus; quare hoc restat, ut ad priora tempora reversi latentes hujus conversionis fontes indagare studeamus. Hic ergo in eum devenimus locum, ubi ab Ill. Eichstædtii vestigiis, quæ hucusque sæpius sequuti sumus, plane nobis decedendum sit. Putat enim Vir Celeberrimus (1), pluribus eorum, quæ nos etiam tractavimus, argumentis permotus, « duas olim Lucretiani carminis recensiones fuisse, quarum altera illud exhiberet, prout de manu auctoris exisset, inchoatum et rude, altera limatum a nescio quo multisque locis politum, non item constanti et pertinaci studio perpolitum, et hanc posteriorem recensionem ad nostram ætatem propagatam esse, ita tamen, prioris ut non omnia obliterata videantur vestigia ». At huic opinioni multa obstare videntur, quibus potius contrarium aliquid probari censeo. Scilicet ex Ill. Eichstædtii ratione quum sequatur, in rudioribus maxime et asperioribus locis Lucretii, in elegantioribus vero et suavioribus emendatoris manum agnoscendam esse, huic sententiæ primum id adversari videtur, quod non solum seriores Romanorum scriptores, poetas certe fere omnes, sed etiam æqualem *Catullum* (2), et qui non multo post vixerunt, *Virgilium* (3) et *Hora-*

(1) De vita et carmine Lucretii, supra p. 31.

(2) *Catullus* Lucretium ante oculos habuisse videtur in primis in carm. LXIV, notissimo illo Pelei et Thetidos Epithalamio; conf. v. c. vs. 49, cum Lucr. VI, 1072; v. 165, cum III, 626; v. 261 sqq. cum II, 618 sqq.; v. 360, cum III, 643; v. 408, cum IV, 409, etc. Sed aliis etiam in carminibus singulas certe voces Lucretio proprias adhibuit, ita ut v. c. nesciam, an in vexatissimo illo loco II, 7, 8 in mente habuerit Lucr. III, 252, 253.

(3) De *Virgilio* præter Macrob. Saturn. VI, 2, et Gellium N. A. I, 21, conf. Ursini Virgilius collatione scriptorum Græcorum illustratus. Antv. 1568 (denuo editus a Valckenar. Leov. 1747), et Rossæi Virgilius triumphans l. III, c. 6, qui tot Virgilii locos cum Lucretianis comparaverunt, ut singulis exemplis, in una quavis fere pagina obviis, facile supersedere possim.

tium (1) ipsos illos pulcherrimos Lucretii locos, uti nunc leguntur, imitatos esse, vel singulas loquendi formulas et dictiones ex iis delibasse videmus; quare sumendum esset, alteram illam recensionem vel emendationem aut dum Lucretius in vivis esset, aut statim post ejus mortem factam esse, quorum tamen neutrum probabile videtur. Prior enim opinio plane locum habere nequit, nisi horum alterutrum ponamus : aut Lucretium, secundum vanum illum rumorem, cui nunc nemo facile fidem habebit, in furorem actum, eo tandem insaniæ venisse, ut nec ipse amplius aliquid scribere posset, nec quid libris suis fieret omnino sciret; aut poetam ipsum, suam carminum pangendorum imperitiam sentientem, alium quemdam præstantiorem rogasse, ut opus suum clam et tacite emendaret, atque subtiliora philosophemata aspera et salebrosa oratione exposita flosculis quibusdam poeticis, imaginibus et comparationibus exornaret. Hoc autem non solum a Lucretii mente, sed ab omni illius ætatis cogitandi et sentiendi ratione prorsus alienum esse vix est ut moneam; quid? quod tum illi etiam loci, ubi Lucretius non sine aliqua jactantia suam carmina condendi facultatem suavesque et dulces versus a se conscriptos prædicat, qui quidem loci plerumque inter optimos et elegantissimos referendi sunt (2), ipsi ab illo benigno emendatore profecti esse debeant? Quæ quum ita sint, jam de eo tantum quærendum est, num Lucretii carmina mox

(1) Conf. Od. I, 7, 7, cum Lucr. IV, 3, 4. Od. I, 18, 5, et Epist. I, 7, 84, cum II, 1169. Od. I, 28, 5, 6, et Epist. I, 14, 9, cum I, 71-75. Od. I, 34, 5-7, cum VI, 281 sqq. Od. II, 5, 11, 12, cum V, 1375. Od. II, 16, 7-12, cum II, 47-51 et 28. Od. II, 20, 21-23, cum III, 967, in loco Horatiano admodum simili; III, 18, 15, 16, cum V, 1401. Od. IV, 4, 24, si vera est lectio *revictæ*, cum I, 594. Od. IV, 11, 11, 12, cum VI, 201. Sat. I, 1, 118, 119, cum III, 951. Sat. I, 5, 101, cum V, 83. Epist. I, 16, 34, 35, cum III, 1009, 1010, etc., in quibus certe locis tanta cum Lucretianis similitudo apparet, ut Horatium inter scribendum eorum meminisse fortasse non temere colligamus.

(2) Conf. loci in nota supra p. 48 allati.

post ejus mortem ab alio illius ætatis poeta haud vulgari correcta et emendata esse possint? Et mihi quidem secus videtur. Primum enim qua tandem de causa hoc factum esse arbitremur? Inchoatum, inquit Eichstædtius, et rude fuit Lucretii opus, nondum perfectum et absolutum. Hoc si ita esset, tum sane fuisset, quod poetam aliquem æqualem moveret, ut opus vix profligatum perficeret. Sed illa opinio de inchoato tantum Lucretii carmine vix videtur probari posse. Quum enim e Ciceronis ad Quint. Fr. epistola supra jam adducta appareat, vivo adhuc Lucretio carmina illa jam edita fuisse (1), ut ab omnibus legi possent, at vero parum

(1) Scripta enim est hæc epistola (ad Q. Fr. II, 11) aut a. U. C. 698, Cn. Pompeio et Licinio Crasso coss., ut Manutius censet, aut mense jan. a. 699, Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio coss., quemadmodum Schützius statuit (in edit. Epist. Cic. temporis ordine dispos. t. II, p. 163). Jam vero quum, si dudum jam in lucem editum fuisset Lucretii carmen, quod attentam omnium mentem in se non vertere non posset, non appareret, cui nunc demum Cicero sententiam suam de opere illo cum fratre communicaret, illo quidem tempore Lucretii carmina nondum diu cognita fuisse patet. Nec tamen eodem ipso anno, quo Cicero eorum mentionem fecit, a Lucretio edita esse potuerunt. Nam quum Sosiarum similiumque hominum tabernæ tum nondum paterent, e quibus quemvis librum in lucem editum cupidi legendi statim sibi parare possent, oportet tempus aliquod intercessisse, antequam carmen nostrum, Memmio proprie dicatum et propterea cum aliis non statim communicatum, pluribus exemplis describeretur, ut a Q. Cicerone legi et super eo fratris sententia rogari posset; Quintus autem m. maio a. 697, Lentulo Marcello et Marcio Philippo coss., e Sardinia, in quam legatus rei frumentariæ causa a Pompeio missus erat, redierat Romam (Cic. ad eum Epp. II, 1-7, coll. cum Ep. ad Div. I, 9) atque inde statim in villam aliquam, ut videtur, literis vacaturus discesserat (Cic. ad Q. Fr. II, 8-12). Quare videant viri docti, an conjecturam meam probare possint, Lucretii carmina circiter sub finem anni 696, vel prioribus mensibus anni 697, ergo inter ipsas turbas et periculosas machinationes a Clodio excitatas, quum Cæsar in Gallia bellum gerere jam cœpisset, atque Ptolemæo Aulete ex Ægypto pulso et Romæ auxilium implorante res ad bellum in Ægypto spectare viderentur, in lucem emissa esse; cui opinioni favere videatur ipse Lucretius in exordio carminis sui, ubi postquam v. 30, 31 et 41 Venerem precibus invocavit, ut Martem placando *pacem* Romanis conciliet, v. 42-44 sic pergit: « Nam neque nos agere *hoc patriai tempore iniquo* Possumus æquo animo: neque Memmi clara propago *Talibus in rebus communi deesse saluti* ». Hæc autem

probabile sit, Lucretium Memmio opus illud, quo eum ad philosophiam suam allicere studuerit, rude et imperfectum dedicaturum fuisse, opinionem illam non multum habere, quo commendetur, manifestum est. Porro etiamsi sumere velimus, insignem quemdam poetam in Lucretii carmine, perfecto quidem et finito, cum Cicerone artem et philosophicum acumen agnoscentem, sed ingenium et elegantiam desiderantem, propterea tantum, ut opus jam egregium ab omni parte absolutum esset, emendationem illam suscepisse; primum mirum esset omnium veterum scriptorum de hac emendatione silentium, quæ tamen nullum illius ætatis virum doctum latere potuisset, inanes etiam essent laudes ab Ovidio, Quintiliano, Statio aliisque Lucretio tributæ, quæ potius seriori emendatori deberentur; deinde ne sic quidem aliud quidquam proficeremus, quam ut aut orationis inæqualitas et discrepantia, quæ tamen partim ex ætatis illius ratione, partim e Lucretii consilio optime derivari potest (1),

si vera sunt, apparet etiam hæc carmina ab ipso Lucretio superstite, non demum eo mortuo, edita esse. Licet enim de omni ejus vita nihil fere certi nobis constet et ipsum annum, quo mortuus sit, diverso modo proditum inveniamus, quum Eusebius in Chron. (fol. 77 edit. Stephan. Paris. 1512) Olymp. CLXXI, 2, i. e. a. U. C. 703, sive 51 a. Chr. n., Donatus vero, vel quisquis antiquam illam Virgilii vitam scripsit (p. 11 ed. Burmann.), eo die, quo Virgilius togam virilem ceperit, i. e. a. U. C. 699, sive 55 a. Chr. eum obiisse dicant, ex utraque tamen narratione illo certe tempore, quo carmen ejus in lucem prodiisse supra docere conati sumus, adhuc in vivis fuisse patet.

(1) Hæc enim parum sibi constans orationis forma, in qua jam antiquatam obsoletamque aurea ætate dictionem cum hujus ipsius ætatis formulis et vocabulis perpetua vicissitudine mixtam videmus, quæ Ill. Eichstædtium in primis movisse videtur, ut Lucretii carmen a seriori eoque præstantiore poeta emendatum putaret, mihi certe ad hoc persuadendum parum aut nihil valere videtur. Vixit enim Lucretius illis ipsis temporibus, quibus lingua latina Plauti, Ennii, Catonis, Lucilii, Terentii aliorumque studiis antea exculta, et jam auream ætatem modo ingressa, Ciceronis, Varronis, Cæsaris et aliorum opera ad summum perfectionis gradum evehi cœpit, ita ut non mirum sit, etiam in carminibus illorum temporum fluctuationis quasi inter priorum temporum duritiem et serioris ætatis elegantiam clara vestigia inveniri. Attamen quum negari nequeat, omnem Lucretiani carminis colorem, in universum spe-

aut versuum nonnullorum a grammaticis allatorum defectus codicumve varietates ita facilius explicari possent. Sed unde jejunæ illæ et artificiosæ repetitiones? unde perturbationes et confusiones in codicibus? unde verba et formæ illo ævo longe seriores? Num enim credibile est, emendatorem, qui profecto non vulgaris poeta, sed vir præclaro ingenio et subtili venusti sensu præditus haberi debeat, si loci illi a Lucretio ipso repetiti, luxati et perturbati fuissent (quod per se vix cogitari potest), eos omnes intactos reliquisse? nonne potiùs repetitiones illas plane resecturus fuisset, quam summo studio et artificio in iis hic ibi singula verba mutaturus? non locos sine sensu confusos et permixtos in ordinem redacturus? Etiamsi enim cum Eichstædtio suspicari velimus, carmen Lucretianum a seriori emendatore politum quidem, sed non constanti studio perpolitum esse,

ctatum, magis obsoletum videri, quam illi, qua auctor vixit, ætati conveniat, aliud etiam argumentum est addendum. Casca enim et vetusta illa carminis nostri species inde in primis videtur repetenda, quod Lucretius partim in subtiliori et graviori poeseos genere præter Ennii, Lucilii aliorumque priorum poetarum carmina, archaismis repleta, recentiora et politiora exempla non habuit, quæ imitaretur (quare eumdem antiquitatis colorem etiam in Ciceronis Arateis invenimus), partim quod hunc in primis gravitati et sublimitati argumenti sui quam maxime convenire ratus, omnes archaismos, etiam ubi non opus erat, nimio amore amplexus est, ita tamen, ut recentiores linguæ profectus non prorsus aspernaretur, sed in primis in locis cum argumento philosophico non arcte conjunctis et suaviori tractationi aptioribus, ut in comparationibus, in imaginibus poeticis, in rebus quibusdam naturalibus describendis, libenter iis uteretur; quare nec in his locis de lætiore orationis colore mirandum, nec in philosophicis disquisitionibus de tristiori querendum videtur. Singula autem verba quod attinet et dicendi formulas, nisi aut contra ipsius Lucretii morem ex aliis locis cognitum, aut contra cujusvis melioris scriptoris vel ætatis illius consuetudinem usurpatæ inveniuntur, de his sane difficile est judicium, quum præter illam, quam modo attigimus, in scribendo inconstantiam, Lucretius, linguæ vernaculæ egestate, de qua sæpius conqueritur, coactus, multas etiam voces sibi ipse finxisse videatur, quas ne serior quidem aliquis auctor in sua scripta recepit, multo plures vero e priorum poetarum carminibus depromsisse putandus sit, quæ fata nobis non minus inviderunt, quam plura Lucretiani operis ætati æqualia.

quisque tamen vel aliquo pulchri sensu imbutus emendator, priusquam leviora illa vitia orationis correxisset, vel ornatui poetico consuluisset, majores istas labes et maculas sustulisset, in primis quum anxiæ mutationes singulorum verborum in locis repetitis, quas plerumque antiquioribus et genuinis lectionibus longe deteriores esse intelleximus, atque duplices illæ et diversissimæ in uno eodemque loco lectiones, per totum opus dispersæ, seriorem emendatorem non obiter tantum, sed admodum accurate et diligenter Lucretii carmen pertractasse demonstrent. Quæ quum ita sint, mihi certe celeberrimi Eichstædtii conjectura minus probabilis videtur. Omnia enim argumenta supra exposita(1) eo potius ducere videntur, ut credamus, Lucretii carmen serioribus demum temporibus ab homine, sive ingenium, sive poeticam facultatem spectes, ipso auctore longe inferiori recognitum, permultis in locis mutatum, interpolatum et correctum, atque ita longe alia forma, quam ab ipso Lucretio accepta, ad nostra tempora propagatum esse.

Tria autem jam restant, de quibus, ut probabilior fiat nostra opinio, quantum fieri poterit, hic disputandum videtur: causa nimirum et origo alterius recensionis, tempus, quo confecta videatur, et ratio, qua factum sit, ut utriusque editionis vestigia ad nostram ætatem transferrentur. Hæc autem omnia quum natura sua ita comparata sint, ut a nobis, historiæ auctoritate carentibus, nihil certi et indubitati de iis dici possit, hic etiam ad conjecturas modo erit confugiendum, quæ non omnino repudiandæ videantur.

Quum igitur post Lucretium, quantum nos quidem sci-

(1) Hæc eadem vero argumenta adversantur Spaldingii suspicioni, Lucretium ipsum carmen suum bis edidisse, quam et temporum ratio refutat. Quum enim ex iis, quæ modo disputavimus (vide supra ad finem notæ p. 56 sq.), apparere videatur, Lucretium carminis sui editioni vel tres vel summum sex annos superstitem fuisse, profecto non credibile est, illa ætate, qua, arte typographica nondum inventa, libri cujusdam repetita editio non minimis difficultatibus conjuncta fuit, intra tam breve temporis spatium repetitionem operis jam mutati locum habuisse.

mus, nullus alius inter Romanos exstiterit scriptor, Epicureorum sectæ deditus, qui aut omnem horum philosophiam, aut singula ejus capita singulari quodam opere denuo tractaret, atque igitur omnibus Romanis, qui hanc philosophiam amplecterentur, nec Græcis literis edocti ipsius Epicuri et sequutorum philosophorum scripta adire possent, Lucretii carmen unus et limpidissimus fons Epicureorum de rebus physicis placitorum manserit; non omni caret similitudine veri, serioribus temporibus, quibus literæ Romanorum jam magis magisque laberentur, morum vero communis depravatio, cui voluptaria illa philosophia maxime favebat, plures, quam unquam antea, sectatores ei conciliaret, ab his Epicuri asseclis Lucretii, antesignani sui inter Romanos, novam recensionem optatam esse, idque eo studiosius, quo magis ætatis suæ ratio et doctrinæ suæ modulus postulabat, ut poetæ jam a Quintiliano (Inst. Or. X, 1) difficilis judicati lectio sibi expeditior redderetur removendis obsoletis et ad intelligendum jam non apertis, difficilibus et obscuris illustrandis, vitiis etiam, quæ temporum decursu ab imperitis librariis illata essent, corrigendis et emendandis. Hanc igitur alteram recensionem vere factam, sed ab homine susceptam puto, ad hoc opus perficiendum non satis apto, qui, Epicuri quidem philosophiæ toto animo et mente deditus et in Lucretii opere quam maxime versatus, sed ingenio et elegantiæ sensu fere omni destitutus et a poetica facultate parum instructus, in Lucretii carmine retractando nihil aliud spectaret, quam quomodo, pulchritudine ejus in clarissima luce posita, æqualibus suis omnia quam facillima redderet et vel minima quæque diligentissime inculcaret, qua tamen in re, ipse non ubivis magistrum suum recte intelligens, haud semel laberetur. Illud autem ut efficeret, præter locos nonnullos, qui sibi aliisve pulcherrimi viderentur, ad carminis suavitatem lectorumque delectationem augendam bis terve repetitos, primum multa

eum puto addidisse, ubi ipsi aliquid deesse, ubi connexus ratio paullo difficilior videretur, ubi rebus a Lucretio tractatis ab accuratioribus explicationibus, ab aliis quibusdam argumentis, ab exemplis luculentioribus novam aliquam lucem accessuram speraret. Et in hac quidem re eum ita versatum esse duco, ut primum videret, anne fortasse alio quodam Lucretii loco aut prorsus iisdem verbis repetito aut cum mutationibus quibusdam, quas vel sententiæ diversitas efflagitaret, vel variationis suavitas commendaret, iterum adhibito consilium suum exsequi posset, deinde vero, si frustra quæsiisset, ipse nonnulla adderet proprio Marte composita, in quibus tamen, omnibus, quæ posset, Lucretii verbis et formulis assumtis, Cari nostri dictionem imitari anxie studeret. Porro nonnulla etiam, quæ aut ipse non intelligeret, aut ab aliis non recte intellectum iri putaret, vel quæ ipsi pro sua ratiocinatione minus placerent, prorsus omisisse sumendus est, ita tamen ut interdum alia iis substitueret, aut aliunde petita aut e suo ingenio profecta. Non minus etiam ordinem et connexum sententiarum hic ibi mutasse singulisque argumentis et exemplis alium, quam quo a Lucretio posita erant, locum attribuisse, et alio modo, quam antea factum erat, ea conjunxisse mihi videtur. Denique permultis in locis singulas voces et locutiones, quas vel obsoletas et antiquatas, vel difficiles intellectu judicaret, vel rebus tractatis non satis accommodatas haberet, vel quæ ulla alia de causa sibi minus probarentur, immutasse putandus est, ita ut haud raro formulis et vocibus elegantissimis et poeta quam maxime dignis e contextu remotis pedestria et vulgaria atque adeo falsa et a bona latinitate aliena substituisse videatur. Quæ omnia argumentis et exemplis supra positis ita demonstrasse mihi videor, ut jam diutius iis inhærere non opus sit.

A causa et ratione repetitæ recensionis ad tempus, quo perfecta putari possit, progrediendum est; qua in quæstione

non minus quam in illa priori in conjecturis subsistendum esse, nemini mirum videbitur. Quum enim nullum plane adsit testimonium in historia positum et fide dignum, quod de certo tempore alterius editionis cogitari patiatur, ante omnia termini temporis utrinque constituendi videntur, intra quos ea effecta esse possit. Et primum quidem si vera sunt, quæ de Macrobio in antecedentibus disputavimus, jam ante hujus grammatici ætatem alteram recensionem editam esse patet, quam opinionem alia etiam argumenta probabilem reddunt. Licet enim Servium, Macrobio æqualem, aut non multo majorem annis (Macrob. Saturn. I, 2), prioris editionis a Lucretio ipso profectæ plura vestigia nobis servasse supra viderimus, tamen hujus temporibus, i. e. seculo IV exeunte et ineunte V, alteram recensionem jam adfuisse nullus dubito. Vix enim verisimile est, his temporibus aliquem de Lucretio Epicureo innovando cogitasse, ejusque iteratam editionem in lucem edidisse, quo philosophia Epicurea jam dudum abjecta jacebat, siquidem viri docti, qui christiana sacra colebant, ab ea non poterant non abhorrere, qui autem deorum cultum retinebant, unice Platonicam disciplinam, quæ tum dicebatur, sectabantur. Accedit porro narratio quædam Eusebii, quam, etsi ex parte falsam et rejiciendam, non tamen omnino spernendam esse dixerim. Constat enim hunc scriptorem in Chronicorum illo loco (1), quo Lucretium Olymp. CLXXI, 2 natum esse perhibet, simul nobis prodere, aliquot ejus libros, per intervalla insaniæ conscriptos, postea a Cicerone esse emendatos. Jam vero licet Ciceronem Lucretii carmina expoliisse, emendasse et auxisse pluribus de causis (2) non credibile

(1) Vid. supra not. ad pag. 56 sub finem. Verba ipsa Eusebii vel potius Hieronymi jam enotavit Fabricius Bibl. Lat. I, p. 74 ed. Ern.

(2) Meineckius in diss. præmissa de Lucretio p. 21, et Eichstædt. in Comment. de vita et carm. Lucr. (sup. p. 33, 34) in primis urgent ipsius Ciceronis silentium in epistola illa ad Quintum fratrem, ubi de Lucretii carminibus judicium suum profert; atque Eichstædtius, omnia circumspectans,

videatur, tamen, ut in omnibus fere ejusmodi fabulis, aliquid certe veri huic narrationi inesse vix aliquis dubitabit. Suspicor igitur cum Eichstædtio, hac narratione vagi rumoris contineri vestigia, traditione propagati, prioribus jam temporibus Lucretii libros ab alio quodam emendatos, vel potius mutatos esse, ita ut non in nomine emendatoris hærendum, sed omnino tantum de seriori Lucretiani carminis mutatione cogitandum sit. Hactenus vero Ill. Eichstædtio libenter adsensus, non tamen hunc rumorem ipsius suspicioni opitulari puto, Lucretii carmen non diu post quam ab ipso auctore editum fuerit, a meliori aliquo poeta vere emendatum esse, quod supra jam pluribus de causis negandum duxi. Licet enim verum sit, non paucis aliquot lustris ante Eusebium hoc factum cogitari posse, quod a Cicerone actum esse dicit, profecto tamen non trium seculorum spatio opus erat, ut vera narratio de seriori emendatione vel secunda recensione in falsum illum rumorem aberraret et depravaretur, quum nostris etiam temporibus sciamus quam falso et perverse sæpe enarrentur, quæ ante centum et quod excurrit annos gesta sunt, ita ut minime offendendum sit in Eusebii testimonio, etiamsi v. c. unum tantum et dimidium seculum præterlapsum fuerit, ex quo Lucretii carmen a seriori manu plurifariam mutatum esse debeat cogitari. Ciceronis enim nomen quod attinet, non necessario inde sequi-

addit, si serias curam suam Lucretii operi impenderit (quod sane statuendum putarem, si omnino hac de re cogitari posset), mirum esse, cur reliqua ejus scripta, cur æquales etiam hanc rem taceant; quod Meineckius etiam sensit, ad VI, 395 sqq. rectissime, ut mihi quidem videtur, observans, Ciceronem, qui in l. II De divin. c. 19 aperte ante oculos habuerit hunc Lucretii locum, si Cari nostri carmina ipse emendasset et expolivisset, hic illius versus allaturum, et, quum de suis studiis operibusque satis magnifice sentiret, curam suam Lucretio navatam prædicaturum fuisse. Sed præter has causas ea etiam, quæ supra disputavimus de interna seriorum mutationum indole et de omni carminis Lucretiani, quale nunc est, conditione, aperte nobis demonstrare videntur, uti omnino non a scriptore quodam aurei ævi Lucretio ipso elegantiore et præstantiore, sic etiam non a Cicerone Lucretii carmina correcta cogitari posse.

tur, ei æqualem fuisse Lucretii emendatorem, quum facile suspicari possimus, seriorum temporum Epicureos, ut huic alteri carminis nostri recensioni majorem auctoritatem vindicarent, celeberrimo illi Romanorum scriptori eam tribuisse. Sic igitur si suspicor, hanc alteram Lucretii editionem circiter post medium seculum a Chr. n. secundum, aut tertio ejus quadrante Antonino Philosopho imperante perfectam esse, illa Eusebii narratio non omnino repugnare videtur (1). Hoc vero ut statuam, his fere moveor causis. Primum hæc tempora, quibus literæ mox interiturræ per breve tempus denuo revirescebant et studiosius colebantur, quibus in primis studium philosophiæ, ipso imperatore præeunte, acrius agebatur, et multi virorum doctorum Epicuri placita vel amplectebantur vel aperte profitebantur (2), aptissima erant ad Lucretii carmen instaurandum et nova editione hujus ætatis rationibus adaptata æqualibus denuo commendandum; in primis quum constet, his temporibus multos vixisse, qui alia etiam veterum scripta retractarent, in brevius contraherent et excerperent, denique suæ ætatis indoli et necessitatibus accommodarent. Deinde vero non minimum huc facere videtur Gellii et Nonii grammatici auctoritas, quos alteram Lucretii recensionem nondum cognovisse pluribus e rebus patet. Hic enim non solum, ut seriores etiam grammatici, plures Lucretii locos adfert, quos nunc in carmine ejus frustra quæsiveris vel plane aliis verbis conceptos inveneris (3), sed quod sane non negligendum videtur, inter centum et plures locos, quos e Lucretio depromsit, ne

(1) Multo minus vero in hac narratione hærendum sit, si summamus, eam non ab ipso Eusebio, sed ab Hieronymo centum fere annis post literis mandatum esse, quod, quum hunc Eusebii interpretem plura e suo penu addidisse constet, minime temerarium videri possit.

(2) Conf. Diog. Laert. X, 9, et Lucian. Eunuch. § 3 (tom. V, p. 206 ed. Bip.), quos adfert Celeberr. Krugius in *Geschichte der Philosophie* p. 402, not. f, et ipsos Epicuri philosophiam amplexos videri statuit ibid. p. 400 sq. not. c et e.

(3) Vid. Disq. var. II, 40, 41; et 853.

unus quidem est eorum, quos in hoc libello utpote serius adscriptos aut indicavi, aut certe non minori jure adferre potuissem; idemque si e locis in nostris codicibus bis repetitis eumdem versum sæpius adfert, semper ex eodem libro et eo quidem, quo optime se habet, eum laudat. Gellius autem certe silentio suo in loco N. A. I, 21, ubi « Virgilium non sola verba, sed versus prope totos et locos plurimos Lucretii, poetæ ingenio et facundia præcellentis, sectatum esse » dicit, demonstrare videtur, se de altera Lucretii editione nihil dum compertum habuisse(1). Jam vero quum utrumque scriptorem Antoninorum tempore degisse vix dubitari possit, non ante seriores Marci Aurelii annos hæc altera recensio perfecta sumi posse videtur.

Tertium denique restat, ut dicamus, quomodo effectum sit, ut utriusque recensionis vestigia simul nostris temporibus relicta inveniantur. Hoc autem partim per grammaticos contigisse, partim in ipsis Lucretii codicibus deprehendi antea vidimus. Et primum quidem quod grammaticos attinet altera recensione seriores, non mirum videri potest, alios, in primis qui non adeo diu post illa tempora vixerint, quibus Lucretii carmen iterum editum videri diximus, exemplo prioris editionis, alios vero, serioribus maxime temporibus degentes, alterius recensionis libris usos fuisse; ita ut minime offendere possit, quod Festum, Servium,

(1) Dicet fortasse aliquis, opinioni meæ de altera recensione Gellii temporibus recentiore adversari ejus locum I, 21, sub finem, ubi disertis verbis e *quarto* Lucretii libro adferat verba illa: « Dilutaque contra Quum tulmur misceri absinthia tangit amaror », quæ ego cum omni loco IV, 218-230, a seriori demum secundæ recensionis auctore e libri VI v. 923-935, male in quartum librum translata esse dixerim. Huic vero respondeo, omnem illum Gellii locum: « Verba ex quarto Lucr. ..... amaror » spurium esse et serioribus demum temporibus adscriptum, quum et Carrio et Gronovius nec volam nec vestigium ejus in codd. repererint. Simili liberalitate etiam in alio Gellii loco X, 26, ubi Lucretius laudatur, veteres editt. omnes hunc scriptorem quatuor Lucretii versus (IV, 529-532 : Corpoream ... clamor) attulisse volunt, quum tamen in omnibus MSS duo tantum postremi inveniantur (531 et 532 : *Præterea* radit ... clamor).

atque seriores adeo Charisium et Isidorum prioris recensionis vestigia servasse, Macrobium vero ea, quæ posteriori tribuenda videantur, attulisse cognovimus. Licet enim nova carminis Lucretiani recensio jam adesset, non tamen omnia statim prioris exemplaria seposita et sublata esse, ideoque exempla utriusque editionis juxta in usu fuisse, donec antiquiora sensim sensimque prorsus evanescerent, per se consentaneum est; grammaticorum vero silentium de duplici eaque diversa carminis nostri recensione facile mihi videtur explicari posse ex rei literariæ illis temporibus ratione, ubi libris scribendo multiplicatis et magno pretio divenditis bibliothecæ non ita comparatæ esse potuerunt, ut viris doctis plura ejusdem scriptoris exempla habere et inter se conferre liceret. Paullo difficilior quæstio est de codicibus, neque tamen ea, cui plane responderi nequeat. His enim nostris temporibus nullum reliquum, vel certe adhuc cognitum esse librum, qui priorem Lucretii ipsius editionem haud mutatam nobis servet, sed omnes alteram tantum recensionem, prioris tamen vestigiis magis minusve conspersam, nobis exhibere, mihi non dubium videtur, neque est, cur hæc res mira censeri debeat. Quum enim omnium codicum Lucretii, quos nunc vere in bibliothecis asservari vel collatos esse scimus, ne unus quidem mille annorum ætatem attingere videatur, imo plurimi admodum recentis sint originis (1), non a similitudine veri recedit, si sumimus, longo illo temporis spatio inter alteram Lucretiani carminis editionem et nostrarum membranarum originem elapso Lucretii codices permultas passos esse mutationes,

(1) Omnino dolendum est, Lucretii editores, si forte Havercampum, Alterum et Wakefieldum exceperis, de codicibus a se adhibitis nihil certi nobis prodidisse, atque illos etiam, quos dixi, viros doctos nonnulla de iis, quæ scire nostra interesset, reticuisse, ita ut, qui indicem codicum exhiberi velit, nomina quidem viginti pluriumve librorum MSS ab editoribus adhibitorum commemorare, sed vix de dimidia partis ætate et pretio aliquid certius prodere possit. Vide infra p. 115 sq.

nec ullum exemplar MS nobis cognitum e veterrimo aliquo libro descriptum esse, quod aut ipsius Lucretii autographum, aut alteram ejus recensionem pure contineret. Quare potius mihi suspicandum videtur, jam ante codicum nostrorum tempora quosdam Lucretii libros alteram recensionem exhibentes comparatione antiquiorum librorum, e communi clade servatorum, qui Cari ipsius verum autographum exhibuerint, ita correctos, auctos et suppletos esse, ut discrepantes lectiones vel versus omissi et mutati in margine adscriberentur, versus additi autem obelo vel asterisco notarentur, unde in codicibus serius scriptis duplicis recensionis lectiones et variationes miro modo confusæ hunc denique contextum efficerent, qui nunc in codicibus appareat. Quæ si statuimus, intelligitur etiam, cur non omnes codices eadem vetustioris formæ vestigia servent, sed alii alia, nunc plura, nunc pauciora nobis præbeant. Facile enim qui hunc libellum accuratius perlegerit animadvertet, præ ceteris in primis Pii codices, utrumque Vossianum, Vindobonensem et tres Musei Britannici lectionibus suis suspicionem de duplici recensione tueri, rarius vero in Cantabrigiensi, Bodleiano, Pooriano et Gottorpiensi inveniri, quæ in eam capiendam inducant. Neque hoc præter exspectationem accidit, quum illi ipsi codices, quos superiori loco posui, vel antiquissimi sint omnium, vel ex libris vetustissimis descripti videantur (1), ita ut plura in iis, quam in ceteris,

(1) Codices enim, quos jam ante tria secula Pius semper prisca et antiqua exemplaria vocavit, non adeo recentes cogitari posse, non est ut moneam; quod autem libros Vossianos attinet, hos et ipsos certe inter eos, de quibus paullo certius nobis constat, antiquissimos esse, et eorum lectiones et quæ Havercampus de iis prædicat, demonstrant. Codicem denique Vindobonensem et tres Musei Britannici libros e membranis admodum vetustis descriptos puto, quod in primis de Wakefieldi codice Π paullo certius dicere posse mihi videor. Non enim permira tantum vitia his codd. impressa, ostendere videntur, librarios imperitos in exemplis a se describendis non ubique, quid vetustæ formulæ scribendive compendia sibi velint, divinare potuisse, sed, quod cod. Mus. Brit. Π attinet, etiam

prioris recensionis vestigia inveniri satis consentaneum sit. Librarios vero horum codicum ejusmodi membranas ante oculos habuisse, quæ aliorum codicum diversas lectiones jam ipsæ adscriptas habuerint, præter locos supra tractatos, in quibus utramque scripturam simul servarunt, ex iis etiam apparere censeo, ubi, quamnam inter duas lectiones ponerent, ut videtur, dubii, aut totos versus et integra verba omiserunt, aut dimidias tantum voces posuerunt, ceteris literis, quibus varietas inerat, omissis.

Sic igitur argumentis nostris ipsis, et, quæ ex iis sequi nobis videbantur, suspicionibus de causa, origine, tempore et propagatione alterius, quam Lucretiana carmina experta sint, recensionis pro viribus nostris expositis, nihil restat, quam ut æquos huic periculo petamus judices, qui in disquisitione permultis difficultatibus obnoxia summam tantum rei ante oculos habeant, argumenta nostra conjuncta spectantes, nec de singulis quibusque locis nobiscum litigantes, in quibus forte errasse libenter concedimus, et qui de re in conjecturis posita, quæ vix unquam prorsus ad liquidum perduci poterit, certum judicium, evidentem dictorum veritatem et indubitata argumenta non postulantes, his interea benevole mecum utantur, quibus etiamsi aliorum tantum in hanc rem attentionem convertero, occasione meliora proferendi iis suppeditata, habebo, de quo magnopere mihi gratuler.

quod Wakefield. de eo refert in præf. (supra pag. 9) et e sexcentis locis apparet, orthographiæ scilicet vetustioris præ ceteris omnibus tenacissimum esse, hunc librum ex antiquissimo exemplo descriptum demonstrant.

Nonnulla nunc de orthographia et interpungendi ratione in edendo Lucretii carmine adhibitis, e FORBIGERI PRÆFATIONE excerpamus.

.....

Jam vero de aliis duabus rebus dicendum video, quas procul dubio maxime impugnatum iri suspicor, orthographiam dico Lucretianam et interpungendi rationem. Et in orthographia quidem, maximis difficultatibus obnoxia, in neutram partem modus excedendus, sed media via strenue sequenda videbatur. Facillimum quidem fuisset, Lucretii carmen ingenti copia archaismorum, qui dicuntur, vel antiquissimæ scribendi rationis exemplis innumeris replere, ut orationis color prodiret, quem v. c. in Ennii Medea, a Planckio edita, similibusque antiquitatis reliquiis miramur. At quod in Ennii fragmentis liceat, non idem in Lucretio est licitum, qui non Nævio, Ennio, Pacuvio fuit æqualis, sed Varronis, Ciceronis, Catulli aliorumque ætate politissima vixit. Attamen negari non potest, omnem Lucretiani carminis orationem longe magis cascam et obsoletam videri, quam illi, qua floruit auctor, ætati conveniat; cujus rei causa partim inde repetenda videtur, quod Lucretius in graviori poeseos genere præter Ennii, Lucilii aliorumque antiquiorum poetarum carmina, archaismis repleta, recentiora et politiora exempla non habuit, quæ imitaretur, partim quod servato hoc ipso antiquitatis colore rebus a se traditis in externa etiam forma majoris dignitatis, gravitatis, majestatis speciem conciliare cupiit. Quousque vero progrediendum sit, ut hoc auctoris consilium servata etiam antiquiori orthographia juvetur, hæc quæstio admodum difficilis videtur, ad quam alium aliter responsurum esse præsagio, imo confido. Sed quum neque codices, quorum in ejusmodi rebus minor est auctoritas, nec veteres Grammatici, quos cor-

ruptissimos ad nos pervenisse omnes norunt et dolent, una lex et norma haberi possint, ad quam conformanda sit scribendi ratio, hac in re plurimum sensui et arbitrio editoris, non illi quidem temerario et cæco, verum cauto et circumspecto, concedendum esse statuo; quo an ipse satis recte usus sim, hoc penes viros doctos sit decernere. Id tantum mihi necessarium videtur, ut archaismi, in declinationum et conjugationum formis scribendis semel recepti, constanter et per omne carmen adhibeantur, ne molesta fluctuatio oriatur, quæ ipsius auctoris inconstantiam, mediam inter priorum temporum ruditatem et serioris ætatis elegantiam, augeat magis et in lucem proferat. Optimum tamen et aptissimum putavi, præcipuos hos archaismos, quos, quia omnium diutissime et plurimis scriptoribus in usu fuisse videntur, in scribendo sequutus sum, hic ita componere, ut simul causas breviter attingam, quæ ad has potissimum scribendi formas inducendas me impulerint.

Et primum quidem quod casuum per declinationes flexorum terminationes attinet, genitivum primæ declinationis in *aï*, dativum quartæ in *u*, genitivum in *es* similesque formas, de quibus jam metri ratio dubitare non sinit, et quas plurimorum codicum consensus comprobat, hic commemorare non opus est.

Præter has vero primum antiquiorem formam *ei* pro *i* longo in primo et tertio casu pluralis secundæ declinationis retinendam duximus, in nominativo Quinctilianum Inst. I, 7, 15, Nigidium Figulum apud Gellium XIII, 25, et Velium Longum p. 2220, in dativo vero plures inscriptiones veteres, v. c. apud Gruterum p. LIX, 8, p. CCCVII, 8, apud Aldum Manutium (*Orthographiæ ratio. Ven.* 1566) p. 146, p. 528, etc. sequuti; quum in his formis, quæ sic in legendo certe melius discernerentur a genitivo singularis et ablativo pluralis, antiquior scribendi ratio diutius servata videatur, quam in reliquis. Nec hoc fortasse neces-

sarium fuisset; quum enim *i* longum et diphthongus *ei* prorsus eodem modo pronuntiata esse vix dubitari possit, scriptio hujus soni per *ei*, utpote nullius utilitatis, jam mature prorsus repudiata videtur. (Conf. Schneideri Gramm. Lat. I, p. 62 sqq.) Multo minus vero cum Planckio ad Ennii Medeam p. 77 aliisque *i* longum ubivis in *ei* mutare mihi indulsissem, etsi me non fugit, Lucilium hoc voluisse (conf. præter Quinct. et Vel. Longi ll. cc. Charisius p. 60, Terent. Scaur. p. 2255 P., et Lips. De recta pronunt. c. 8, quos laudat Schneid. l. c.), et ex Gruteri inscriptionibus cujusque fere et declinationis et conjugationis formæ, in *i* longum desinentis, exempla per *ei* scripta afferri posse. (Conf. Index gramm. p. LXXXVII.) Porro, quod cum his arcte cohæret, in iis vocibus tertiæ declinationis, quæ genitivum pluralis in *ium* terminant, quartum hujus numeri casum scripsimus per *eis* (quod seriores, quum nunquam aliter pronuntiatum fuerit, in *is* mutarunt), idque Charisio p. 28 et 69, Donato edit. secund. p. 1750 P., et Servio ad Virg. Æn. I, 110 obedientes; a quibus Varro L. L. VII, 37, 38 (p. 120 Bip.), Plinius apud Charis. p. 104, Valer. Probus apud Gellium XIII, 20, Priscian. VII, 17, § 83 sqq. (p. 774 sqq. P.) et Consentius p. 2040 P., vere non discedunt, qui, quum utramque formam *is* et *es* in pluribus certe verbis promiscue in usu fuisse, et in alterutra eligenda numerum modo sive euphoniam spectandam esse doceant, illam certe formam non excludunt, quam antiquiorem esse, quippe ex Græcorum εις exortam, nemo negabit. (Conf. etiam Schneideri Gr. Lat. II, p. 269 sq. et quos hic laudat viros doctos recentiorum temporum hac de re disserentes, quorum numerum supplevit amiciss. Iahn. ad Virg. Georg. I, 25.) In nominativo vero eandem formam inducere, quum unius modo Varronis l. c. adsit auctoritas, nec ullus alius Grammaticus ejus mentionem fecerit, audacius videbatur. (Vid. Schneider. l. c. II, p. 238 sq.)

Obsoletam formam *om* (Græc. ον, vel ων) pro *um* in terminat. secundæ declin. non nisi post literam *v* (ut in vocibus *ævom*, I, 550, 584, 951; II, 1094, etc. *divòm*, I, 1, 57, 159, 1014; II, 434, etc.), ubi diutissime servata videtur (cf. Quinctil. Inst. I, 7, 26; Terent. Scaur. p. 2251 P., et quos Schneider. affert l. c. II, p. 57 sq.), aut ubi codices diserte eam tuentur, (v. c. II, 392; *olivom*, II, 937; *principiôm*, etc.) recipiendam duximus, fortasse tamen nimis anxii, quum codices et veteres editiones in aliis etiam haud paucis locis hanc antiquiorem formam defendere videantur. (Conf. annotata ad I, 7, 661, 834; II, 365, 771, 816, 1094; III, 392, 635 (in Addendis); IV, 1226; V, 181, 242, 448, etc. atque præterea Wakef. ad I, 146, 289, 461, 970, 1065; II, 162; III, 514, 1043; VI, 7, 1141, etc.) Ceterum de literis *o* et *u* alibi etiam permutatis infra iterum sermo instituetur.

De ablativo tertiæ declin. in *i*, ubi alii scriptores non nisi terminationem *e* agnoscunt, vide quæ in Commentario ad I, 977, (1104; IV, 516; V, 928, etc.) disputavimus (ubi addere potuissem Osanni Anal. crit. p. 123 et 192), collata cum annotatione ad I, 806.

Porro formam *ubus* in tertio et sexto casu pluralis quartæ decl. solos codices sequuti, nonnisi in voce *artus* (I, 261; III, 7, 620, 644; IV, 634; V, 1076) admisimus, contra vero *cornibus* (V, 1324), *fluctibus* (I, 290; V, 11, 1079; VI, 726), *genibus* (I, 93), *luctibus* (III, 947), *manibus* (I, 96, 202, 210, etc.), *sensibus* (I, 690, 694, 701; II, 312, etc.) et sic porro scripsimus. (Qua de re cf. Schneid. l. c. II, p. 335 sqq.)

Denique non solum Priscianum libro I, capite 6, § 32 (pag. 25 P.), inscriptionesque veteres, et quod hujus usus in singulis quibusdam vocibus seriora etiam tempora servarunt, respicientes, sed ipsis Lucretii codicibus permoti, gerundium et participium futuri tertiæ et quartæ conjugationis in iis certe vocabulis, quibus et aliorum scriptorum usus favet, vel ubi euphonia non dissuadet (ut v. c.

in *metuundus*, *tribuundus* et similibus), non in *endum* et *iendum*, sed in *undum* et *iundum* terminavimus; quamquam dolemus, in uno alterove loco nobis invitis seriorem formam in contextu remansisse. Codices autem et veteres editiones adjuvant hanc scribendi rationem in primis ad I, 25, ubi duo modo Wakefieldi Codd. (Brit. 2, 3) *scribendis*, ceteri omnes *scribundis* exhibent; ad I, 383, ubi in optimis et antiquissimis libris Gott. et Lugd. 2 *dicundum* invenitur; ad V, 67, ubi Cod. Vind. et omnes editt. veteres a Gerardo et me collatæ formam *reddunda* tuentur; ad VI, 479, in quo loco certe editt. Ver. Ven. Ald. 1, 2, Bon. Iunt. *conveniundo* præbent, et ad alios fortasse locos, in quibus editores, ejusmodi in rebus paullo negligentiores, codicum lectiones non accurate indicarunt; quos, si Havercampi et Wakefieldi silentium aliquid probare posset, innumeris in locis vetustiori orthographiæ opitulari concludendum esset.

Restat, ut de singulis quibusdam vocc. exponamus, quas non in terminationibus, sed in ipsis syllabis primitivis, quæ dicuntur, ad antiquiorem orthographiam scribendas duximus. Et primum huc pertinent voces quædam, in quibus vocalem *o* pro serius usitata *u* posuimus. De quarum literarum permutatione conf. Quinct. I, 4, 16; I, 7, 26; Charis. p. 57; Prisc. I, 6, 35 (p. 554); Vel. Long. p. 2216, 2222; Terent. Scaur. p. 2251; Cassiod. p. 2278, 2290; Mar. Victor. p. 2458 sq. 2461, et e recentioribus viris doctis præter eos, quos Schneider. Gr. Lat. I, p. 30 sqq. II, p. 57 sq. et nuper demum Obbarius in Seebodii Biblioth. crit. 1828, ch. 15, p. 115 laudarunt, Heinsius ad Virg. Geo. I, 481, ad Æn. II, 539, idemque ad Petron. c. 77; Columna ad Ennium p. 65 et 129; Planck. ad Ennii Med. p. 85, aliique. Et in iis quidem vocabulis, ubi vocalem illam consona *v* præcedit, quum non solum Lucretii, sed Quinctiliani etiam ætate literam *o* constanter usurpatam esse, e Grammaticorum locis modo allatis manifestum videatur, ne codicum quidem auctoritatem

respiciendam arbitrati sumus; quamquam nec hi, vel certe editt. antiquissimæ, libris scriptis æquiparandæ, quas solas mihi conferre licuit, huic usui prorsus adversantur. Scripsimus igitur *volnus* (I, 35; II, 639; III, 63, 661, 663, et multis aliis in locis; quam formam ubique Ald. 1, ad III, 661 vero etiam Ver., sicut ad hunc locum Brix. et ad VI, 420, Ver. Ven. corrupta lectione *Volvere*, ad III, 663, Brix. Ver. Ven. lectione *Volucris* tuentur); *volgus* (I, 316, 944; II, 623, 920; IV, 20; V, 1138), *volgo* (I, 239; II, 215, 337, 701, 724; IV, 73), *volgivagus* (IV, 1067; V, 930), *volgare* IV, 75; V, 428), *pervolgare* (II, 163, 346; IV, 209; V, 1161; in qua verborum familia non minus editt. veterrimæ nobiscum faciunt, siquidem I, 316; Ver. Ven. IV, 20, et V, 1138, Ald. 1. — II, 215, Brix. Ver. Ald. 1. IV, 73, Ald. 1. — IV, 1067 omnes editt. vett. — IV, 75, Ald. 1. — II, 346 rursus omnes editt. assentiuntur); *avolsus* (II, 257; III, 562; IV, 141; V, 314, 316, quod in omnibus his locis præter Ald. 1, etiam codices nonnullos exhibere, ex Wakefieldi annott. ad III, 562, et V, 516, apparet); *convolsei* (III, 344), *parvolus* (III, 322; IV, 194, 1158; VI, 305, 652), *volpes* (III, 742; V, 861), *volturii* (IV, 682), *voltus* (III, 164, 294, 468, 594, 655, etc.), *volt* (III, 516, 773; VI, 406, 408), *mavolt* (II, 657), et similia. Pariter *o* pro *u* sequi jussimus post *qu* in vocibus *quom, quomque, quiquomque, quojus, quoi* (pro *cum, cunque, quicunque, cujus, cui*) et similibus; idque fecimus, non tantum veteribus Grammaticis (Quinct. I, 7, 5 et 27; Ter. Scaur. p. 2261 sq.; Mar. Vict. p. 2459 sq.) et inscriptionibus (v. c. S. C. de Bacch. v. 9 et 18; Gruter. p. 206, 1, 2; 329, v. 14, 15, p. 202—206, et p. 506—512 sæpissime, p. 629, 7, p. 942, 2, etc.), sed ipsis etiam Lucretii codicibus et antiquissimis editionibus præeuntibus. De *quom* enim conf. annotata ad I, 381, 1076 (in Addendis); II, 194, 929; IV, 1205; V, 1339, (quibus adde, ob summam literarum similitudinem ad I, 825, Ver. Ven. præbere *quin* pro

quom, ut contra II, 237, Brix. *quom* pro *quin*); de *quomque* vide annott. ad II, 21, et scito, Cod. Brit. 2, veteris orthographiæ omnium tenacissimum, ad I, 263, præbere *quæconque;* ad I, 326, *quæcomque;* ad I, 434, *quodcomque*, etc., in Brix. Ver. Ven. autem ad I, 17 confundi *quamque* et *quomque*, in Ven. ad IV, 167 scribi *quodquumque* et s. p.; de *quojus*, *quoi* et similibus vero conf. quæ diximus ad I, 424; II, 17, 1079; IV, 1229, etc.; quibus adde, ad I, 87, pro *quoi* Ver. Ven. præbere *qui*, Ald. 1, *quæ;* ad I, 1093 eandem Ald. 1, *quodque* pro *quoique*, etc., quæ permutationes locum habere vix potuissent, si in codicibus *cum*, *cunque*, *cui*, etc. scriptum fuisset. (Conf. hac de re præter multos alios Schneider. Gr. Lat. I, p. 31 sq. et 336 sq., Grotefend. Gr. Lat. II, p. 177, et Wakef. ad nostri I, 263. — Quod vero omnes has voces e communi aliqua regula scribendas attinet, nos, de rebus orthographicis in Præfatione accuratius dicturos, in Commentario non singulas quasque scribendi varietates indicasse, nemo facile vituperabit.)

In aliis autem vocibus, ubi alia, quam *v* vel *qu*, præcedit litera, solos libros scriptos et editiones antiquissimas audiendas putavimus; quibus freti, scripsimus v. c. *jocundus* (II, 3, 19, 399; V, 896) et *jocunde* (II, 31, 403; V, 1393; conf. annott. ad omnes hos locos et Addenda ad II, 399), *polverolentus* (V, 741, ubi vide annott.), *conctari* (sic enim exaravimus cum Ver. Ven. ad II, 392, Brix. et Brit. 2 [qui habet *constantior*] ad III, 193, Cant. ad III, 408, et IV, 705; Wakef. vero cum Brit. 1, 2, Cant. et Brix. ad III, 67, Brit. 1 ad III, 408, et IV, 705, Cant. ad VI, 800, et Nonio Marcello IV, 55, *contari* scripsit, haud dubie de v. *percontari* [*percunctari*] cogitans, quod nonnulli a vocula *contus* deducunt [conf. Corte ad Sallust. Jug. 24, 3], adversante tamen Festo s. v. *Percunctatio*, nostramque scripturam [vel potius vulgarem *cunctari*] probantibus etiam Nonio ipso VII, 9, et Prisciano VIII, 5, 25, p. 797 P.), etc.; qua tamen in re

non possumus, quin nosmet ipsos insconstantiæ cujusdam accusantes, profiteamur, nos, ab initio veteris orthographiæ restituendæ cupidiores, v. g. I, 41, e Brit. 2 et Ven. edidisse *fonde;* I, 74, e Brit. 1, *mondi;* I, 354, e Brit. 2, *troncos,* etc., postea vero, quum in aliis locis, ubi eædem voces recurrerent, veterem scribendi rationem nullo amplius libro vetere commendatam intellexerimus, ad vulgarem rationem rediisse. Porro non minus literam *e* in *o* mutavimus in *vortere* (I, 106, 212, 711, 703, etc.), *vorsus* (II, 188), *vortex* (I, 294; II, 210; III, 1014; VI, 277, 298, etc.; discrimen enim, quod nonnulli Grammatici, inprimis Charisius p. 68, et Velius Longus p. 2243, inter *vortex* et *vertex* intercedere statuunt, Quinctilianum potius I, 7, 25, eundem VIII, 2, 7, et Cassiodor. p. 2283 sequuti, utpote vanum sustulimus, assentientibus Wakef. ad I, 264, et Schneid. Gr. Lat. I, p. 12), *vorsare* (II, 50, 112, 882; III, 165, 1093, etc.), *vorsabundus* (VI, 438, 582), *vorsatilis* (V, 1435), et cognatis vel compositis verbis; qua in re quum Grammaticos, Quinctil. ll. cc. Charis. p. 174, Priscian. IX, 1, 8 (p. 818 P.), Nonium VII, 68, cum quibus conf. Cassiodor. l. c. et Marius Victor. p. 2458, tum veteres inscriptiones (v. c. Sen. Cons. de Bacch. v. 19 et 24; Gruter. p. 204, v. 15, p. 207, n. 1, v. 12, p. 506, v. 25, 30, p. 507, v. 16, p. 508, v. 7, p. 509, v. 15, p. 511, etc.) eo magis respiciendas putavi, quum ipsi Lucretii codices nec ab hac scribendi ratione prorsus abhorreant. Sic v. c. Lugd. 2 ad V, 653, *convortere,* omnes Codd. (præter duos) ad VI, 277, et plures certe ad VI, 444, *vortex* exhibent; ad IV, 263 autem plures libri Mss. innuunt lectionem *unvorsum*, i. e. *universum*, et sic porro; quibuscum aliorum etiam scriptorum codices, nec antiquiorum tantum, Plauti, Terentii, Sallustii, sed longe seriorum quoque, v. c. Apuleii (vid. Oudend. ad Met. I, p. 54), conspirare, non est ut doceam.

Pro *i* vocalem *o* nonnisi in quibusdam casibus pronominis *ille* adhibuimus, ubi hunc usum comprobant Varro L. L. VI,

p. 89 Bip.; Priscian. I, 6, 33 (p. 553); Isidor. Origg. I, 34; Servius ad Virg. Æn. XI, 236; Donatus de barbarismo p. 1767; P. Paullus ad Festum s. v. *Ollic*, inscriptio columnæ Duilianæ (*olorum*) aliæque inscriptiones veteres, v. c. apud Gruterum p. 23, 12, et optimi Codd. ad Ciceronem De legg. II, 8, et III, 3, ad Virg. Æn. I, 254; XI, 236; XII, 829, etc. (conf. etiam Columna ad Ennium p. 58 sq. [p. 17 Hessel.] et Planck. ad Ennii Med. p. 78); quibus addere possum ipsius Lucretii membranas, v. c. ad I, 673, et V, 383 (ubi vid. annott.), nec minus ad II, 63, ubi vel error Brit. 2, 3, *si tollis* pro *sit ollis* antiquiorem orthographiam tuetur, ad III, 272, ubi certe ed. Brix. *ollis* exhibet, ad V, 1389, et VI, 208, in quibus locis *olim* et *ollis*, *solis* et *ollis* confunduntur, etc. Ne tamen aliquis miretur, me, qui antea in ejusmodi formis scribendis strenuam postulaverim constantiam, non in omnibus casibus hoc pronomen per *o* scripsisse (quod fecerunt Eichstædtius et Orellius), ideoque ipsum a regula mihi proposita deflexisse, hac de re pauca sunt addenda. Quum enim juxta formas *olla*, *ollorum*, *ollis*, etc. nusquam, quantum equidem scio, inveniantur *olle*, *ollud*, et *ollius*, probe discernendæ mihi videntur duæ eæque diversæ voces, *ollus*, *a*, *um* (ut *ipsus* pro seriore *ipse*) prorsus ad modum adjectivi trium terminationum declinata, et serius inductum pronomen *ille (illa)*, *illud*, gen. *illius*, dat. *illi*, (quod an ex semitico אֵלֶּה ortum sit, ut Vossius in Etymologico censet, ideoque fortasse per bella Punica e lingua Carthaginiensium in Latinam transierit, in incerto relinquam); ita ut omnes formæ, quæ ab *ollus*, *a*, *um* derivari possint, per *o*, ceteræ vero per *i* scribendæ videantur. Quid vero? dicet aliquis; nonne sæpe in antiquis monumentis tertius casus singularis *olli* scriptus invenitur? Audio; sed quid respondeam, non ignoro. Quum enim antea jam forma *olli* in casu recto pluralis uterentur, hanc, novo vocabulo *ille* in linguam recepto, etiam in dativum singularis ejus transtulerunt. Quod nisi sumamus,

quidni etiam *ollud* et *ollius* a veteribus dictum fuerit, non intelligitur. Ne quis igitur in hac voce calamum a mero casu et arbitrio ductum arbitretur; in qua si erraverim, viros doctos, ut veriora me edoceant, vehementer rogatos cupio.

Quod autem de vocali *o* jam vidimus, idem denique cadit in literam *u*, quam et ipsam sæpius posuimus, ubi serior ætas aliis vocalibus usa est; et primum quidem pro *i* (cui maxime cognata fuit, siquidem *u* breve in nonnullis certe vocibus ut Franco-Gallorum *u* pronuntiabatur) adhibuimus in superlativis *maxumus* (II, 1017; IV, 465, 817, 1155, etc.), *optumus* (III, 908; VI, 1085, 1245), *proxumus* (II, 134; V, 104), etc. aliisque vocibus, in quibus hæc vocalis magis, quam in aliis, usurpata fuisse videtur, ut *finitumus* (IV, 583; V, 1019; VI, 644), *lacruma* (I, 92, 126, 919; II, 977, etc.), *lacrumare* (II, 420; IV, 1173), *inclutus* (I, 41; III, 10; V, 8), *dissupare* (I, 351, 652; II, 210, 1003), et similibus, hac quidem in permutatione Quinctil. I, 4, 7, et I, 7, 21; Priscian. I, 3, 6 (p. 539 P.); Donatum p. 1735; Cledonium p. 1882; Sergium p. 1827; Velium Longum p. 2216 et 2219; Ter. Scaurum p. 2259 sq.; Cassiodorum p. 2284; Marium Victor. p. 2458, aliosque Grammaticos, quos a Schneidero l. c. I, p. 19 sqq. laudatos vides, non minus quam veteres inscriptiones (v. c. ap. Gruterum p. 206, 1, p. 312, 5, p. 329, v. 1, p. 506, v. 15, p. 508, v. 3, p. 509, v. 10, 18, 19, 24, p. 511, v. 12, 20-23, p. 512, v. 1, 24, 27, p. 778, 1, p. 823, 7, p. 942, 2, etc.) sequuti. Pro *o* autem, et Prisciano I, 6, 35 (p. 554 P.) et plurimis certe codd. et vett. editt. obedientes, literam *u* posuimus in *Acheruntis* et reliquis casibus obliquis hujus nominis (III, 37, 628, 991, 997; IV, 41, 171; VI, 251, 764), qui tamen non a nominativo *Acheron*, sed potius ab obsoleto *Acheruns* deducendi videntur (conf. Schneid. l. l. II, p. 121 sq.); porro, eundem Priscian. l. c., Charis. p. 105, et Vel. Long. p. 2216 audientes, in *frundis* (ceterisque casibus, a *frus* derivandis, e. g. I, 119,

406, 888, etc.), *frundiferus* (I, 19, 257; II, 359), *frundescere* (I, 1092), etc.; quare fortasse etiam *funtem*, *funte*, etc. rectius scribendum fuisset, quum, Varrone L. L. IV, 28, et Festo auctoribus, hæc vox a *fundendo* dicta sit; nos tamen, in his quidem vocabulis prorsus deserti, longius progredi non temere veriti sumus. (Conf. autem Wakef. ad I, 119, ad II, 596, et sæpius, Gifan. in indice s. v. *Frundiferæ*, Columna ad Ennium p. 65 et 129 [p. 22 et 69 Hess.], interpp. ad Ausonii Grammaticom. (n. 349), v. 19, Oudend. ad Cæs. B. C. III, 58, aliique). Et hæc quidem de antiquioris orthographiæ exemplis a nobis inductis sufficiant; de aliis enim in annotationibus jam dictum est, ut de scriptura *quur* ad I, 175; V, 221, 327, 768, et alibi, de *arquus* ad VI, 526, de *totiens* (et *quotiens*, quam scribendi rationem inscriptiones quoque tuentur, v. c. apud Gruterum p. 509, v. 4, p. 511, v. 4), ad I, 598, et V, 329, de *fedus*, *fede*, *fedare*, *fecundus* et similibus ad I, 63, 86, etc. (quibus adde, ad I, 212; IV, 1250, et V, 211, assentiri editt. Brix. Ver. Ven., ad II, 534 vero et V, 1223 certe Brix.), de vocibus *mœnera*, *mœri*, *pœnire*, etc. ad IV, 221; V, 1307; VI, 1240, et sic porro.

Expositis vero, quos in scribendo servandos putavi, archaismis, restat, ut me excusaturus pauca addam de iis, quos non receperim, etsi ab aliis, in primis a Wak., jam adhibitos vidissem; qui omnes fere continentur quæstione de vocibus per compositionem varie mutatis. Primum igitur quod præpositiones attinet in consonam exeuntes, quæ vocibus conjunguntur ab alia consona incipientibus, a Wak. discedens, qui scribit e. g. *adcedere*, *ecfundere*, *ecficere*, *conligere*, *obcidere*, *obtendere* (pro *ostendere*, quod prorsus falsum videtur, siquidem *obtendere* longe aliam habet significationem), etc., nisi omnium, vel plurimorum certe librorum consensus contrarium efflagitaret, ubique assimilationem, quam dicunt, præpositis cum consona sequente prætuli. Etsi enim negari nequit, editiones antiquissimas (nam de codicibus nihil

certi proferre licet, quum ejusmodi varietatibus, quæ vulgo leviores videntur, indicandis editores supersedere soleant), interdum aut omnes, aut ex parte consonam primitivam defendere (v. c. I, 71, *inritat;* 93, *submissa;* 138, *inlustrare;* 402, *conradere;* 469, *inrevocabilis;* 876, *inmixtas;* 1090, *conligat;* II, 788, *inlicit;* 1095, *inmensi;* 1124, *adsumunt;* 1141, *subcumbunt;* III, 2, *inlustrans;* 10, *subpeditas;* 23, *subpeditat;* 394, *inmixta;* 517, *inmortale;* 600, *conlabefiunt;* 869, *adcredere*, etc.); hi tamen paucissimi loci decies, imo centies superantur ab iis; in quibus altera consona alteri assimilatur; cui accedit, quod Grammaticorum quoque et inscriptionum veterum auctoritas multo magis favet mutandis, quam servandis præpositionum consonis extremis, ut, licet ab initio nihil in iis mutatum esse admodum probabile sit, jam mature et diu ante Lucretii tempora in plurimis certe hujus generis compositionibus (nam non omnes ad eandem normam redigendas esse probe scio) assimilatio illa in usum inducta videatur. (Conf. Schneideri doctissima hac de re disputatio in Gramm. Lat. I, p. 515 sqq.) Idem vero etiam valet de ipsis verbis cum præpositione aliqua compositis et propterea varie mutatis, in quibus primitivas vocales non minus sine periculo deserendas duxi, etsi antiquissimis temporibus hic etiam servatæ videntur, cujus usus vel in codicibus et editionibus veterrimis passim exempla inveniuntur. Sic I, 14, Brit. 1, *persaltant;* I, 310 (ubi videndus Wak.), Poor. Brit. 1, 2, Ver. Ven., *dispargitur;* I, 720, Lugd. 1, 2, Gott., *adspargit;* I, 889, Britt. 1, 2, *dispartita;* II, 33, Brit. 2, *con spargunt* (pro *conspergunt*); II, 437, Brit. 2, 3, *egradiens* (et Bodl. Vind. Brit. 1, Brix. Ver. Ven. *gradiens*, pro *egrediens*); II, 1135, Brit. 1, *dispargit* exhibent, etc.; quæ tamen perpauca exempla communem regulam inde deducendi nondum potestatem nobis faciunt. Quapropter hac in re nimis anxii, quam justo audaciores vocari maluimus.

Nec minus porro consonas geminatas intactas retinuimus, quas ut Planckio ad Ennii Medeam p. 78, Osanno Anal. crit. p. 13 seqq. aliisque ab antiquissima orthographia alienas esse concedam, Lucretii tamen ætate consonarum geminatio jam ita vulgaris fuisse videtur, ut mihi non possim persuadere, hac etiam in re poetam nostrum ad priorem linguæ ruditatem reversum esse. (Conf. diligens Schneideri disquisitio in Gramm. Lat. I, p. 393 sqq., additis exemplis, quæ nuperrime protulit Obbarius in Seebodii Bibl. crit. a. 1828, ch. 15, p. 114.) Ne tamen aliquid reticuisse videar, vel huic antiquissimæ scribendi rationi singulos quosdam editionum antiquissimarum, Brixiensis maxime, locos favere profiteor. Quæ editio præbet v. c. I, 313, *anulus* (de qua scriptura conf. annott. ad VI, 912); 314, *stilicidii*; 568 et 571, *molia*; 681, *referet*; 726, *flamai*; 806, *vacilant*; 918, *cachinent*; 1087, *differier*; II, 162, *transcurere*; 182, *Memi*; 539, et sæpius *milibus* (quæ scribendi ratio cur a tot viris doctis nostrorum temporum unice vera habeatur, non perspicio; nam discrimen illud inter singularem *mille* et pluralem *milia*, Cledonio p. 1901, Papiriano apud Cassiodor. p. 2295, et Beda p. 2339 propositum, quum omni rationi adversetur, et prioribus Grammaticis prorsus ignoretur, profecto vanum censeri debet; qua de re conf. etiam Schneider. l. c. I, p. 412), II; 860, *molia*; 965 (etiam Ver. Ven.), *solicitata*; III, 251, *medulis*; 476, *discesit*; 732 (etiam Ver. Ven.), *solicitæ*; 877, *incomoda*, etc.; quibus tamen neminem magnam vim tributurum puto, quum eadem Brix. 1, 273 scribat *difert*; 724, *coligat*; 956, *imensum*; II, 689, *comunia*; III, 326, *comunibus*; 461, *imanis*; 670, *imortalis* et sic porro, atque omnino notum sit, quoties codices vel in iis locis, ubi de geminata consona omnino dubitari non possit, unam modo consonam ponant. Et hæc quidem de orthographia hactenus.

Alterum vero, de quo dicere decrevi, est interpungendi

ratio, quæ et ipsa cum tot difficultatibus fuit conjuncta, ut me omnibus in ea satisfacturum vix sperare possem. Si autem verum est, quod nemo facile negabit, justam et idoneam verborum distinctionem ad singulos scriptorum locos recte intelligendos mirum quantum conferre, huic etiam rei diligentem operam navandam fuisse sponte apparet. Neutiquam enim in eo interpungendi modo, quam priores editores adhibuerunt, acquiescere, omnium minime vero Wakefieldianam distinguendi rationem haud mutatam servare licuit, quæ tantum abest, ut cognitionem sensus faciliorem reddat, ut lectorem innumeris et prorsus superfluis interpungendi notis impediat et perturbet. Quo viri, alias de Lucretio meritissimi, exemplo deterritus, et hanc sententiam sequutus, quam paucissima distinguendi signa, sed apto loco posita, optimam facere interpunctionem, si in contrarium potius incidissem vitium, et a viris doctis in distinguendo nimis parcus fuisse censerer, non esset, quod vehementer mirarer. Hoc tamen vituperium me auditurum non vereor; obstante vel ipsa scribendi singulasque sententias nectendi ratione, quam in Lucretii carmine deprehendimus, et quæ, quantumvis cupias et nitaris, paucis modo interpungendi notis contentum esse non patitur. Hæc ipsa vero Lucretiana oratio, tot constructiones implicitæ et contortæ, tot periodi interruptæ et longe inferius demum continuatæ, tot sententiæ in parenthesi insertæ, tot insolentiores adeoque miræ transpositiones verborum, universa denique demonstrationum philosophicarum indoles et natura, hæc omnia propriam fere et novam efflagitant interpungendi rationem, eamque haud paucis difficultatibus impeditam; in qua restituenda si forte ut mihi ipsi, sic peritis etiam harum rerum judicibus minus satisfecerim, ipsius rei difficultate fretus, mitiorem certe reprehensionem sperare audeo.

INDEX REPETITIONUM

QUÆ IN LUCRETII CARMINE OCCURRUNT.

Ut brevitati consulatur, æqualitatis signum, quo mathematici utuntur, adhibere liceat.

I. Loci, qui, apud Wakefieldum certe, sine omni mutatione iterantur:

§ 1. Longiores vel certe binorum versuum loci:

I, 57-62; = II, 645-650. — I, 77, 78; = I, 596, 597; = V, 90, 91; = VI, 64, 65. — I, 154, 155; = VI, 55, 56; = VI, 89, 90. — I, 671, 672; = I, 792, 793; = II, 752, 753; = III, 518, 519. — II, 54-60; = III, 87-93; = VI, 34-40 (cf. etiam I, 147-149). — II, 477, 478; = II, 521, 522. — III, 746, 747; = III, 764, 765. — IV, 63, 64; = IV, 100-102. — IV, 128, 129; = IV, 175, 176. — IV, 181-183; = IV, 907-909. — IV, 775, 776; = IV, 801, 802. — V, 83-91; = VI, 57-65 (vid. etiam locus supra positus I, 77, 78). — VI, 55, 56; = VI, 89, 90.

§ 2. Singuli versus:

I, 189; = II, 706. — I, 430; = I, 532. — I, 549; = I, 610 (cf. etiam I, 575, et II, 156). — I, 638; = II, 176. — I, 674; = I, 797; = II, 755; = II, 863 (cf. locus I, 671 sqq. § 1 laud.). — I, 686; = II, 1020 (cf. etiam I, 635). — I, 1003; = V, 1215. — I, 1079; = II, 237. — III, 326; = V, 555. — III, 372; = V, 621. — IV, 51; = V, 880. — IV, 589; = V, 1384. — V, 380; = V, 1216. — V, 529; = V, 1344.

II. Loci, qui magis minusve mutati repetuntur:

§ 1. Longiores loci, vel certe disticha:

I, 212, 213; = V, 211, 212. — I, 490, 491; = VI, 227, 228. — I, 636, 637; = I, 706, 707. — I, 739, 740; = V, 112, 113. — I, 789-793; = II, 749-753 (cf. locus sub I, § 1, laud. I, 671 sq.). — I, 817-819; = I, 907-909; = II, 759-761; = II, 1006-1008. — I, 820, 821; = II, 1014, 1015. — I, 823-826; = II, 687-690. — I, 918, 919; = II, 975, 976. — I, 925-949; = IV, 1-25. — I, 1020-1022; = V, 420-422. — II, 12,

13; = III, 62, 63. — II, 29-33; = V, 1391-1395. — II, 162, 163; = IV, 208, 209. — II, 177-181; = V, 196-200. — II, 336, 337; = II, 723, 724; = IV, 653, 654. — II, 1060-1062; = V, 430-432. — III, 31-34; = IV, 26-29 (cf. etiam II, 333, 334). — III, 785-798; = V, 129-142. — III, 807-829; = V, 352-374. — IV, 171-174; = VI, 250-253. — IV, 218-230; = VI, 923-935. — V, 188-192; = V, 423-427. — V, 267, 268; = V, 389, 390. — V, 270-273; = VI, 635-638. — V, 1387, 1388; = V, 1453, 1454. — VI, 86-88; = VI, 382-384.

§ 2. Singuli versus:

I, 136; = IV, 738. — I, 483; = I, 506. — I, 675; = I, 758. — I, 880; = V, 407 (coll. II, 644, et VI, 767). — I, 1025; = V, 429. — II, 632; = V, 1314. — II, 725; = II, 1019 (cf. etiam I, 634). — III, 624; = III, 670. — V, 521; = VI, 199. — V, 831; = V, 1277. — V, 864; = VI, 1235. — V, 931; = VI, 1251. Ceterum non in omnibus his locis Wakefieldi rationem probo, qui sæpius e paucis quibusdam codd. variantes recepit lectiones, quas aliæ membranæ et loci paralleli refellunt, ita ut plures hujus secundæ classis loci repetiti rectius ad priorem versuum non mutatorum referantur. FORBIGER.

DE CAIO MEMMIO.

C. Memmium Gemellum, Lucii fil., virum sua ætate admodum clarum, cui, utpote familiari suo et clienti (Cic. ad Fam. XIII, ep. 19) Cicero tres illas scripsit epistolas, quæ Epist. ad Div. l. XIII ab initio leguntur, ut in Ciceronis scriptis sæpe commemoratum reperimus, sic in primis e Bruti c. 70, hominem literis, Græcis maxime, perfectum, argutum et dulcem oratorem, sed nimis inertem, nec laboris patientem fuisse intelligimus; quod de eo judicium ex parte certe comprobat Sueton. in Cæs. c. 49 et 73, acerrimum et mordacem eum depingens oratorem. Poeticam denique, cujus mentionem feci, quod attinet facultatem, nihil obstare videtur, quin nostrum eumdem habeamus cum illo Memmio, quem Gellius N. A. XIX, 9, durum, Ovidius Trist. II, 433, et Plinius Epist. V, 3, parum castum poetam perhibent; dulcem enim et bonum oratorem propterea non esse elegantem et eximium poetam, vel Ciceronis ipsius exemplum luculenter demonstrat; quæ autem Ovidius et Plinius de indole carminum illius Memmii produnt, hæc optime congruere videntur cum moribus nostri, ut a Cicerone Epp. ad Att. I, 18, et Suetonio de illust. gramm. c. 14 (quibuscum conferri potest Catull. X, 12, et XXVIII, 9), describuntur. De muneribus vero publicis ceterisque fatis Memmii præter Lambini et Gifanii Prolegg. de Memmio et gente Memmia, editionibus Lucretii præmissa, conf.

Gerh. Vossius De poetis Lat. p. 15, et Gyraldi Hist. poet. Gr. et Lat. p. 143 sq. — Ceterum Lambini et Gifanii opinioni, e prima Ciceronis ad Memmium epistola et hoc ipso Lucretii opere susceptæ, virum illum eo jam tempore, quo Lucretius carmen suum ei dedicaverit, Epicuri philosophiæ deditum fuisse, omnia adversantur. Primum enim ex epistola illa, quam Cicero in Ciliciam proficiscens, ergo a. U. 702, Athenis scripsit (cf. Epist. ad Att. V, 11), etiamsi sequeretur, Memmium, tum exsulem, vere Epicureum fuisse, tamen colligi non posset, hunc jam circa annum 696, quo tempore Lucretii carmen editum videri supra docuimus, Romæ adhuc versantem, Epicureorum sectam amplexum esse; sed ne illo quidem exsilii tempore Epicuri partes eum vere sequutum esse, e Ciceronis epistola concludi potest, ex qua hoc tantum apparere videtur, intercessisse ei, dum Athenis versaretur, amicitiam cum Patrone Epicureo, quæ tamen interrupta esset Memmii consilio, ruinis ædium Epicuri novum quoddam ædificium superstruendi, reluctante scilicet Patrone, qui ipse ut ædes illæ sibi concederentur optaverit : quare unde viri illi Memmium ipsum Epicureum fuisse et in Epicuri honorem aliquid ædificare voluisse intellexerint, non perspicio. Deinde vero magis etiam opinioni isti totum opus Lucretianum refragatur, in primis loca I, 103 sq. et 141 sqq., quæ auctor scribere non potuisset, si jam tum Memmius fuisset Epicureus. Quare veri similius videtur, hunc, ut plures illa ætate viros doctos inter Romanos, proclivem quidem fuisse ad Epicureorum philosophiam, sed nondum certum eos sequendi consilium cepisse, in quo ut eum confirmaret Lucretius hoc carmen scripsisse putandus est. Forbiger.

NOTITIA LITERARIA

DE

T. LUCRETIO CARO,

EX J. A. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA, AB ERNESTIO EDITA.

Lucretii Ætas.

T. Lucretius Carus, patria ut videtur Romanus, natus est, teste Eusebio, Olym. 171, 2, anno U. C. 659, ante Christum 95. Postea amatorio poculo (1) in furorem versus, quum aliquot libros per intervalla insaniæ (2) conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno ætatis quadragesimo quarto, U. C. 703 (3), ante Christum 51. Philosophus de Epicuri schola acutissimus, quem qui legunt, videntur, ut IX, 3, ait Vitruvius, cum eo velut coram de rerum natura disputare: poeta sublimis, idemque elegans et multæ artis luminibus pictus, ac Latinæ linguæ auctor egregius. De hoc Caspar Barlæus Miscell. lib. II:

> Hic Phœbi furiis, furiisque exarsit Orestis.
> Quam præstat solis versiculis furere!

Scriptor vitæ Virgilii, eo die, quo togam virilem sumsit Maro, periisse Lucretium testatur (a. U. C. 698). Alii eodem die, quo natus est Virgilius, obiisse ferunt: « et aliquis Pythagoreus credat Lucretii animam in Maronis corpus transiisse, ibique longo usu et multo studio exercitatam, poetam

(1) Euseb. Chron. Prosper in Chron. Pomponius Sabinus ad Virg. Georg. III, 202, hippomanem bibisse ait.

(2) Hoc vix credibile mihi videtur. — Omnes istas de Lucretio fabulas viri docti jamdudum rejecere; vide quæ supra p. 19 sqq. disseruntur.

(3) Triennio citius mortem Lucretii assignat Is. Vossius p. 83 ad Catullum, e Scriptore vitæ Virgilii.

perfectissimum evasisse. An sibi ipsi manus attulerit incertum : interiit anno ætatis suæ 43, et miserrimam, quam olim ludibrio habuerat, nimis cito expertus est immortalitatem ». Hæc Thom. Creech.

Libri sex De rerum natura.

Extant ejus libri VI De rerum natura, ad C. Memmium Gemellum (1) heroico poemate, versibus jucundo antiquitatis sapore conditis, Epicuri de rebus naturalibus sententiam, sed et impios ejus errores disertissime explicantes. Non plures a Lucretio libros (2) hujus argumenti scriptos esse, ut male conjiciebat Gyraldus Dialog. IV De poetis, tom. II, Opp. pag. 197, secutus Philippus Beroaldus, et Barthius Advers. LII, 4, Lucretio ipsi testi credimus, qui libro sexto vs. 92 : « supremæ præscripta ad candida calcis » currere se affirmat. Exordium operis idem quoque, quod nos hodie, legit olim Ovidius Trist. II, 261 :

Sumserit, Æneadum genitrix ubi prima; requiret,
Æneadum genitrix unde sit alma Venus.

Hoc est, si in manus sumserit Lucretium, cujus prima hæc sunt verba : « Æneadum genitrix, hominum Divomque voluptas » : quem Ovidii sensum esse, jam pridem notavit Ludovicus Carrio lib. I Emendationum cap. 8. Usitatum enim fuisse veteribus, ut vocibus initialibus scripta ipsa denotarent, pluribus exemplis docet Jo. Jonsius II, 5, de Scriptoribus Hist. Philos. pag. 136 sq. et Scaliger ad Euseb. num. MDCCCCLX. Quod vero in limine operis invocat Vene-

(1) De hoc consulenda Gifanii prolegomena et Lambini; et sup. p. 84.

(2) Aliud certe opus, ni Lucretius alius, de quo Varro lib. IV De L. Lat. p. 7 : « Lucretius suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc : Ætheris et terræ genitabile quærere tempus ». Pro Lucretio *Lucilium* legit Gifanius. Alius Lucretius Episcopus, cui Feriolus Regulam Monachorum inscripsit. Vide Menardum ad Concediam Reg. p. 97.—Sup. p. 17; 24 sqq.

rem Lucretius, homo Epicureus, qui a Diis omnia humana susque deque putabat haberi, satis se duxisse existimandus est excusari more vulgato poetarum, neque alia opus esse responsione arbitror ad dubitationem hanc dissolvendam, quam multos viros doctos exercuisse docet, præter interpretes Lucretii, Creechium, aliosque, Petrus Bælius, vir ingeniosissimus, in Dictionario Historico p. 1923 editionis secundæ, quem de poeta lector, ubi volet, consulet. Memmium, cui poema suum Lucretius inscripsit, scripsisse et ipsum versus, colligas ex Plinii Epist. V, 3. Eumdem Mæcenatibus ac liberalibus studiorum patronis accenset Martialis XII, 36 :

> Pisones, Senecasque, Memmiosque
> Et Crispos mihi redde, etc.

Quæ vero a recentiore ætate in Gallia etiamnum claret illustris Memmiorum gens, Gallice *de Mesmes,* si Bernhardum Monetam audimus, Latine Maximorum potius nomine appellanda erat. Vide Menagiana tom. IV, pag. 175. De illius gentis laudibus Casp. Gevartius præfatione ad tres Electorum libros editos Paris. 1619, 4, Franciscus Vavassor in elogio Claud. Memmii, Hadr. Valesius in dedicatione diatribæ de basilicis, aliique laudati a Grævio in Epist. ad Nic. Heinsium tom. IV Syll. Burmann. p. 610.

Lucretii placita Epicurea carmine confutanda sibi sumserunt, Latino heroico quidem, Aonius Palearius, Scipio Capicius, Polignacus Cardinalis, et Thomas Ceva, S. J. Anglico Henricus Morus et Richardus Blackmore ; Gallico Carolus Claudius Genestus, et Italico Alex. Marchetti. — Scipionis Capicii libri II De rerum principiis, Venet. 1546, 8, prodiere, et Palearii libri tres pro animæ immortalitate, Lucretio oppositi, ex merito laudantur a Sadoleto Epp. V, pag. 200, quos a Paleario scriptos esse, sine idonea causa dubitat Rob. Titius ex Welseri Opp. pag. 878. — Car-

dinalis Polignaci libri IX, de Deo auctore universi cupide exspectati post specimen eorum editum, lucem viderunt, post mortem ejus, primum Parisiis cura Abbatis Caroli Rothelini, in cujus præfatione historia libri traditur; deinde Lipsiæ 1748, 8, cura Gotschedii, addita Diatribe de Poetis Philosophis. — Cevæ Philosophia nov-antiqua, qua confutavit Lucretium, excusa est Mediolani 1704, 12, et merita laude celebratur in Diario Veneto, *Giornale de' letterati d'Italia*, tom. VII, pag. 114 sq. — Henrici Mori Poemata philosophica, in quibus præcipue multa pro animorum immortalitate, prælum evasere Cantabrigiæ 1647, 8. — Blackmorii, Equitis et Medici Londinensis, poema insigne de Creatione, septem constans libris, quo Providentiam Numinis adversus Lucretium defendit, jam tertium prodiit Londini a. 1714. — Genesti poema pulcherrimum Parisiis primum, deinde Amstelodami a. 1717, 12, excusum hoc titulo est : *Principes de philosophie, ou preuves naturelles de l'existence de Dieu et de l'immortalité de l'âme.* Idem cum Bertholdi Henrici Brockesii metaphrasi Germanica Hamburg. 1728, 8. — Sed Marchetti (ejusdem, cujus metaphrasin Lucretii Italicam infra memorabo) poema philosophicum imperfectum ab auctore relictum, nec luci datum est, cujus initium extat in Diario Veneto tom. XXI, pag. 258-260.

Nec Germanis deest, quem ingeniosis hisce religionis assertoribus poetis accensere cum laude, et Lucretio opponere possint, laudatus Brockesius, cujus carmina suavissima vernacula de Creatoris et rerum creatarum admirandis jam sæpius post primam a. 1723, Hamburgi vulgatam editionem recusa quatuor voluminibus in 8.

Si quis titulum modo consulat, facile putet Lucretio etiam oppositum esse librum Belgica prosa Amst. 1710, 8, ab Henrico Wyermarsio vulgatum hoc titulo : « De ingebeelde chaos, en gevaande verels vording der oude en hedendaagze vysgeeren, veridelt en veerlegt, byzonder de gevœlens hier

omtrent van T. Lucretius Carus en Dirk Santvoort (1), betoonende dat ze de beginzelen der Werelt, dat is, vording van Zon, Maan, Aardklot enz volgens hin eygen gronden niet vel asgeleyden betrogt hebben. Ment een verstandige verklaring vegen Gods inblyvende en overgaande verking». Sed qui scriptum ipsum evolverunt, putidum Spinosæ asseclam, derisorem sacrarum literarum impium, et religionis contemtorem Lucretio ipso haud meliorem illo prodi observant.

«Substantiam et corpus æque late patere, omne extensum esse corporeum (cum suo consectario, Spiritus nusquam esse), nihil fieri posse nisi ex præjacenti materia; vel, quod idem est, nihil posse creari : Omne corpus motum ab alio corpore moveri : Omnia mundi phænomena rationibus pure mechanicis posse explicari : Cohærentiam corporum atomorum hamatarum unione contineri, et id genus alia fere infinita, præsertim apud Democriti et Epicuri sectatores, apud Lucretium præ ceteris : quem quum admodum adolescens evolverem, putabam profecto subinde, me satyrum quempiam simiumve senem e sylphis philosophantem audire, adeo omnia ex solo sensu externo crassaque imaginatione deducebantur. Quod genus philosophos innumeros e lustris locisque desertis credibile est jamdudum confluxuros fuisse, si Deus ac Natura brutis animalibus loquendi scribendique facultatem concessissent. Ipsa enim facile potuissent prolixas crassarum imaginationum concatenationes, sive carmine sive soluta oratione, ornate et copiose deducere et enarrare. Hoc vero proprie philosophari non est, sed materialia αἰσθήματα καὶ φαντάσματα inani opera recensere.» Hæc Henricus Morus, Theologus et Philosophus Anglus, in Confutatione Cabbalæ Aetopædomelissææ, tom. I Operum Philosophicorum pag. 527.

(1) De Santvoortii libro *de oorsaak van de bewegingen de Beginsein der vaste lichamen*, et de scripto Wyermarsii v. Christoph. Aug. Heumanni Acta Philosophorum edita Germanice, parte VII, pag. 121 sq. *Unschuldige Nachrichten von theologischen Sachen* an. 1717, pag. 424 sq.

Invocationem Veneris, in limine libri primi Lucretii, exposuit Gallicis versibus pluribus Poetria ingeniosissima *Deshoulières*, tom. II carminum editorum Gallice Bruxell. 1708, 8, pag. 80, *imitation de Lucrèce, en galimatias fait exprès*. De invocatione illa videndus etiam Petrus Victorius, Epistola ad Joannem Casam. Jo. Clerico viro doctissimo tom. XXVI Bibl. selectæ pag. 154, rectius facturus fuisse videtur Lucretius, si Rationem sive Mentem tanquam Deum in limine poematis potius, quam Venerem, implorasset. Sed Lucretius, sensibus plus quam rationi tribuens, et generationem rerum cupiens exponere, nullum magis physicum numen, quam Venerem, appellare se posse existimavit. In Lucretium scripserat olim Velius Longus, cujus commentarii, citati a Charisio pag. 187 edit. Putsch., jam pridem intercidere.

Poetæ quos Lucretius imitatus fuit.

Poetas imitatus esse Lucretius cumprimis videtur, e Græcis Homerum et Empedoclem, e Latinis Ennium. Lucretii vestigia non puduit legere Virgilium in Georgicis : neque semper eum vicit aut post se reliquit, ut judicat Alexander Rossæus, qui loca Lucretii nonnulla cum Virgilianis contulit libro tertio Virgilii triumphantis, capite 6. Obscuritatem in Lucretio reprehendit Pallavicinus. Non opus est monere eruditos, commentitiam esse inscriptionem Cæsenatem, obviam in Aldi Manutii Orthographia pag. 129, et Fulvii Ursini imaginibus, atque apud Gruterum pag. ccccxxxii, 2, laudatamque a Mabillonio itineris Italici pag. 42, et Bernardo Manzonio in Chronologia Cæsenæ pag. 126, tom. IX, Thesauri Italiæ parte VIII : « A. Lucretii Historici ac Poetæ Conditoris verissimi, cui ob excellentiam ingenii statua condonata, ac Civitati Cæsenæ, Roman. Coloniæ deductæ in hoc sacro monte dedicata ».

RECENSUS EDITIONUM

T. LUCRETII CARI,

IN TRES ÆTATES DIGESTUS,

FABRICIANO ET ERNESTIANO AUCTIOR.

ÆTAS I NATALIS

1473—1558.

Editio princeps. Fol. s. a. et l. per Thomam Ferandum, char. Rom. absque sign. cust. et pagg. Incipit ab ipso auctoris textu, sine titulo. In fine hæc leguntur: « titi lucrecii cari finis. Lucrecii Unicum meas in manus cum pervenisset exemplar de eo imprimendo hesitavi : quod erat difficile unico de exemplo quæ librarii essent preterita negligentia corrigere. Verum ubi alterum perquisitum exemplar adinvenire non potui : Hac ipsa motus difficultate unico etiam dicto exemplari volui librum quam maxime rarum communem multis facere studiosis : siquidem facilius erit pauca loca vel alicunde altero exemplari extricato vel suo studio castigare et diligentia : quam integro carere volumine. Presertim cum a fabulis quæ vacuas (ut inquit poeta) delectant mentes remotus Lucretius noster de rerum natura questiones tractat acutissimas tanto ingenii acumine tantoque lepore verborum ut omnes qui illum secuti sunt poete : eum ita suis in descriptionibus imitentur : et Virgilius presertim poetarum princeps ut ipsis cum verbis tria interdum et amplius metra suscipiat. Thoma Ferando auctore ».

— Rarissimam hanc editionem, et a nullo adhuc editorum collatam, primus in notitiam adduxit *Boni, Lettere* II,

pag. LXXVIII sq. Conf. Panzer tom. IV, pag. 263. Brixiæ factam fuisse, ex Epistolis Phalaridis aliisque libris ejusdem impressionis satis apparet; videturque referenda ad annum 1473, quo Ferandus Brixiæ Statuta civitatis illius impressit. — De ista editione et seqq. confer quæ dicta sunt supra in præfatione Wakefieldi, p. 3 sqq.

1486 Lucretii Opera. In fronte folii secundi: « T. Lucreti Cari poetæ philosophici antiquissimi de rerum natura liber primus incipit fœliciter ». In fine libri sexti: « T. Lucreti Cari poetæ philosophique antiquissimi de rerum primordia natura ad memmium Liber sextus et ultimus explicit fœliciter ». Tum post exiguum spatium:

« Paulus hunc impressit fridenberger in verona,
Qui genitus est in Patavia [Passavii] alæ magnæ [Alemanniæ]
Ab incarnatione christi : MCCCCLXXXVI.
Die vigesimo octavo septembris calen. octobris. »

Accedunt versus anonymi, quibus partim Lucretium, partim lectorem alloquitur. Fol. Char. Lat. custod. et pagg. num. — Vide Freytagii Adpar. Lit. I, pag. 101, et Panzer t. III, pag. 505. Usus est ea Wakefieldus, qui omni genere corruptelarum refertissimam, apprime tamen utilem dicit.

1491 Lucretii Opera, cum comment. Omniboni Leoniceni. Mediolani, per Ulderic. Scinzenzeler, fol. — Maittar. Ind. II, pag. 35; Panzer tom. II, pag. 65.

1495 Lucretius De rerum natura. In fine: « Impressum Venetiis per Theodorum de Ragazonibus de Asula dictum Bresanum. Anno domini M. CCCC. LXXXXV, die IIII septembris ». 4. — Panzer tom. III, pag. 375. Sequitur Veronensem an. 1486. — Edit. *Veneta* 1499, 4, est suspecta *Maittaire* A. T. IV, 688, nec meminit ejus Panzer in A. T.

1500 Aldina I. Titi Lucretii Cari libri sex nuper emendati. Præmittitur Aldi Manutii epistola ad Albertum Pium Carporum Principem. Hanc excipit Hieron. Avancii ad Valerium Superchium Pisaurensem, medicinæ Doctorem et

mathematices Professorem, epistola scripta Kal. Martiis MID. Sequitur Hieron. Avancii præfatio ad lectorem; et hanc excipit expositio eorum quæ singulis libris continentur. In fine: « Hieronymi Avancii Veronensis ingenio et labore. Venetiis accuratiss. Apud Aldum, mense Decem. MD. Non licet sic alteri cuiquam sine mulcta, in Oris Venetis ». 4. — *Renouard, Annales de l'imprimerie des Alde* tom. I, pag. 32. Panzer tom. III, pag. 477. Ab Avancio bonos auctores malo mangonio interpolatos esse, queritur Broukh. ad Propert. II, 7, 76. Ipse de hac sua editione profitetur, se nullum exemplar antiquum adhibuisse manuscriptum; sed conformavisse textum ex Veronensi; parallelis aliorum scriptorum locis, cum Aristotelis operibus, aliisque scriptis veterum, in subsidium convocatis.

— Lucretius. Venetiis, per Theodorum de Ragazonibus de Asula, fol. — Panzer tom. III, pag. 472.

...Titi Lucretii Cari De rerum natura libri sex. S. a. l. et typogr. fol. — Panzer tom. IV, ex *Denis* Suppl. Conf. *Catalogue des livres imprimés de la bibliothèque du Roi, Poètes*, n. 733.

1504 Raph. Franci, Florentini, in Lucretium Paraphrasis, et Appendix de animæ immortalitate. Bononiæ, apud Jo. Antonium, 4.

1511 Titi Lucretii Cari De rerum natura libri sex, cum commentariis Jo. Baptistæ Pii. Bononiæ, typis excussoriis editum in ergasterio Hieronymi Baptistæ de Benedictis Platonici Bononiensis Anno MDXI, fol. — Panzer tom. VI, pag. 326. Opes, quæ sibi ad emendandum Lucretii carmen competerent, Pius ipsemet sic percensuit: « Contulimus, non sine ærumnis vigiliisque diutinis, Codicem Veneti Hermolai », etc. — Vid. Wakefieldi Præf. supra p. 5.

1512 T. Lucretii Cari De rerum natura libri VI (curante Petro Candido). In fine: « Impressum Florentiæ sumptibus Philippi Giuntæ bibliopolæ. Anno salutis MDXII. Mense Mar-

tio ». 8. — Panzer tom. VII, p. 14. In præfatione Candidus profitetur, se ex Manuscriptis Lucretium emendatiorem dare, obelis Pontani Marullique temere inducta expungendo adhibitis. Videtur tamen ejus editio ad norman Aldinæ prioris potissimum composita, a qua in paucissimis recedit.— Vide autem quæ notata sunt supra p. 4 sq.—*Maittaire*, in Ann. T. p. 238, et Bandinius, in Ann. typ. Juntin, II, p. 39 sq.

1514 In Carum Lucretium poetam Commentarii a Jo. Baptista Pio editi : codice Lucretiano diligenter emendato : nodis omnibus et difficultatibus apertis : obiter ex diversis auctoribus tum Græcis, tum Latinis multa leges enucleata : quæ superior ætas aut tacuit, aut ignoravit. Perlege : lætaberis : Additus est index literarius. Venundantur ab Ascensio et Joanne Parvo. In fine : « In Chalcographia Ascensiana ad IV Idus Augusti MDXIIII, fol. — Panzer tom. VIII, p. 12. Repetitio ed. Bononiensis 1511.

1515 Aldina II ex recensione Andr. Naugerii. Lucretius. Venetiis, in ædibus Aldi et Andreæ Soceri, Mense Januario. 8. — Renouard l. c. pag. 116. De nova hac editione audiamus Aldum ipsum præfantem : « Quod autem longe correctior emittitur nunc Lucretius ex ædibus nostris, quam consueverit ; habenda est potissimum gratia Andreæ Naugerio nostro : qui eum, quamquam cursim propter ipsius occupationes, et importunam impressorum nostrorum festinationem, tamen accurate recensuit. Capita præterea mutata fere sunt omnia. — Quod si per adversam valetudinem mihi licuisset, qua menses jam aliquot acerbiore conflictatus sum, addita essent infra non pauca, quæ diligentiæ nostræ fidem omnibus facerent, et Lucretium ipsum pleniorem redderent..... cetera ita præstita esse a nobis opinor Naugerii nostri industria, quam non contemnendam adhibuit : ut Lucretius legi atque intelligi tandem possit ».

1531 Titi Lucretii De rerum natura libri VI, ad verorum exemplarium fidem castigati. Basileæ, apud Henricum Petri,

8. — *Catal. de la biblioth. du Roi, Poëtes*, n. 741. Editor nescitur. Variæ lectiones sunt in margine, sed ex aliis editionibus.

1534 T. Cari Lucretii De rerum natura libri VI. Lugduni, apud Seb. Gryphium, 8. — Panzer tom. IX, pag. 526. Videntur Gryphianæ editiones hujus ætatis ex Aldina fluxisse.

1536 T. Lucretii Cari De rerum natura libri VI. Lugduni, apud Seb. Gryphium, 8. — Panzer tom. VII, pag. 367.

1539 T. Lucretii Cari, poetæ ac philosophi antiquiss. De rerum natura libri sex. Parisiis, ex offic. Prigentii Calvarini, 4. — Maittar. Ind. pag. 35.

1540 T. Cari Lucretii De rerum natura libri sex. Lugduni, apud Seb. Gryphium, 8. — Biblioth. Emtinck. P. IV, p. 300, n. 1409.

1542 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex. Lovanii, 4. — Biblioth. Emtinck. P. IV, pag. 121, n. 590.

1546 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex. Lugduni, apud Seb. Gryphium, 12. — Biblioth. Emtinck. P. IV, p. 438, n. 385.

1553 Excerpta quædam ex libro sexto De rerum natura, p. 213, de Balneis, Ven. apud Junt.

1558 T. Lucretii Cari, poetæ ac philosophi vetustissimi De rerum natura libri sex. Lugduni, apud Seb. Gryphium, 13. — Crevenna vol. III, pag. 180.

ÆTAS II LAMBINIANA.

1563 — 1693.

1563 Lambini I. T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex. A Dionysio Lambino, Monstroliensi, literarum græcarum in urbe Lutetia doctore regio, locis innumerabilibus ex auctoritate quinque codicum manuscriptorum emendati atque in antiquum et nativum statum fere restituti, et præter ea brevibus et perquam utilibus commentariis illustrati. Pari-

siis et Lugduni habentur in Guilielmi Rouillii et Philippi G. Rouillii nep. ædibus, 4. — *Catal. des livres imprimés de la bibliothèque du Roi, Poëtes,* n. 743. Quinque codd. Mss., et Adriani Turnebi atque Jo. Aurati consilio usus Lambinus, octingenta Lucretii loca restituisse se profitetur. — Vide quæ de ejus labore dicit Wak. sup. p. 6. — Commentarius Lambini non solum optimis in Lucretium, sed generatim optimis annumeratur. In Gœtzii Memor. bibl. Dresd. I, pag. 332, et in Catal. bibl. Ludewig. hæc editio prodiisse dicitur a. 1564.

1565 Lambini II, sine commentariis. T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, a Dionysio Lambino recogniti. Accesserunt Adr. Turnebi emendationes aliquot. Parisiis, apud G. Rouillium, 16.

— T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, emendati et ex manuscriptis restituti ab Oberto Giphanio, Burano: addita sunt vita Lucretii, et gentis Memmiæ descriptio; notæ marginales; epitome seu compendium Epicuri de rerum natura, Lucretio accommodatum, Græce; capita quædam philosophiæ Epicureæ de rerum natura, ex M. Tullii collecta libris, item verbis Titi composita; collectanea ad antiquitatis notitiam; Thucydidis verba e libro secundo de pestilentia Athen. Græce; variæ lectiones et castigationes. Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum, 8. — Giphanius præter Lambini commentarios, quos expilasse incusatur, etiam Lucæ Fruterii reliquias suffuratus atque undique doctorum ea ætate conjecturas corrasisse arguitur. Vid. Havercampi præf. In lectione, interpunctione, et orthographia, de qua in præfatione multus est, discessionem facit frequentem ab editoribus superioribus; parum tamen contulit, ex quo Lucretii contextus emendatior evaserit, vir diligens quamvis et doctus, sed limato judicio, sine quo frustra critice exercetur, destitutus.

1566 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex emendati

et ex manuscriptis restituti ab Oberto Giphanio, etc. ut in ed. antecedente. Antverpiæ, ex officina Christoph. Plantini, 8. — Recusa ex ed. 1565.

1570 Lambini III. T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, a Dionys. Lambino olim locis innumerabilibus ex auctoritate quinque codicum manuscriptorum emendati, ac fere redintegrati, et præterea brevibus, ac perquam utilibus commentariis illustrati: nunc ab eodem recogniti, et longe meliores facti, planeque in suam pristinam integritatem restituti: cum iisdem commentariis, plus quarta parte auctis. Accesserunt hæc præterea, Vita Lucretii, eodem Lambino auctore. Præter eum indicem, qui in omnibus aliis libris ante impressis poni solitus est, indices alii duo, unus rerum, quæ sunt in contextu Lucretii, et vocum elocutionumque fere omnium Lucretianarum: alter, earum rerum, quæ sunt in commentariis Lambini. Lutetiæ, apud Jo. Benenatum, 4.

1576 Lambini IV, sine commentariis. T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, a Dionysio Lambino et Adr. Turnebo recogniti. Lugduni, apud Ant. Gryphium, 16. — Repetitio ed. 1565.

1583 Lambini V. T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, a Dionysio Lambino emendati et commentariis illustrati. Francofurti, apud hæredes A. Wecheli, 8. — Ex ed. 1570 recusa.

1589 Antverpiæ, apud Plantinum, 12, et

— Lugduni Bat. 12. — Bibl. Emtinck. P. IV, pag. 438, n. 387 et 388.

1595 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ad postremam Giphanii emendationem restituti. Lugduni Bat. apud Franc. Raphelengium, 8.

1596 Lugduni, 12, ex Lambini et Turnebi recognitione.

1597 Lugduni Bat. apud Rapheleng. 12.

1603 Genevæ, 4, in Corpore omnium veterum Poetarum Latinorum.

— T. Lucretii Cari, etc. Lugd. Catal. Univers. Dd. p. 155.

1606 Lugduni Bat. apud Rapheleng. 12.

1611 Lugduni Bat. apud Rapheleng. 12, quam vehementer commendat Barthius ad Statium tom. III, pag. 81, et a Justo Lipsio curatam ait.

— Genevæ, 4, in Corpore Poetarum Latinorum ed. II.

1616 Lugduni, in Corpore Poetarum Latinorum ab Alex. Ficheto edito, 4.

— Amstelodami, 12.

1620 Amstelodami, apud Guil. Janssonium, 24.

1626 Amstelodami, 24.

1627 Genevæ, 4, in Corpore Poetarum Latinorum ed. III.

1631 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, notis brevioribus ex ipso potissimum auctore succincte et perspicue illustrati : cum lexico, sive indice absolutissimo omnium elegantiarum Lucretianarum, cura et labore Danielis Parei. Accesserunt Scipionis Capicii De principiis rerum libri duo : necnon Aonii Palearii Verulani De animorum immortalitate libri tres. Francofurti, impensis Guil. Fitzeri, librarii Angli, 8, 2 voll. — Nihil præfatus non laudat præsidia, quibus fultus ad Lucretium edendum accesserit ; noluit vero, ut Creechius recte de eo judicat, chartæ perituræ parcere. Testimonia de Lucretio implent plures pagellas, a pag. 29-73. Annotationes parum valent nec ad sensus perspicientiam, nec ad lectionis veritatem. Index, qui alterum volumen efficit, quamquam mole laborat et sæpe nugax est, multa tamen habet egregia, quorum quidem bonam partem Lambinus et Giphanius sibi possunt vindicare.

— Amstelodami, 24, apud Jansson.

1647 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, una cum paraphrastica explanatione et animadversionibus Jo. Nardii. Florentiæ, typis Amatoris Massæ Foroliviens. 4, cum novem tabulis æneis. — Parvi æstimatur hæc editio : atque Creechius in præfatione Nardium severius vocat sexa-

genarium interpretem de ponte dejiciendum. Commentarius verba opinionesque Lucretii observationibus physicis potius, quam philologicis illustrat.

1650 Parisiis, 8, cum versione Gallica Mich. *de Marolles.*

1656 T. Lucretii Cari De rerum natura liber primus, cum ejusdem translatione in versus Anglicos, adjectis animadversionibus, auctore Jo. Evelyn. Londini, apud Gabr. Bedle, 8.

1662 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, additis conjecturis et emendationibus Tanaquilli Fabri, cum notis perpetuis. Salmurii, apud Jo. Lenerium, 4. — Notæ sunt eruditæ; sed de ingenio, more suo, Lucretium emendavit Faber.

1675 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex: quibus additæ sunt conjecturæ et emendationes Tan. Fabri, cum notulis perpetuis; et præterea Oberti Giphanii Vita Lucretii, et de gente Memmia ejusdem Prolegomena; item Dion. Lambini Index perquam necessarius. Cantabrigiæ, ex offic. Jo. Hayes, 12.

— Carmina quædam selecta, cum notis Vorstii, Lips. 8.

1680 T. Lucretii Cari De rerum natura libros sex interpretatione et notis illustravit Michael Fayus, in usum serenissimi Delphini. Parisiis, apud Fredericum Leonard. 4.— Pareum sequitur in textu. Notæ plenæ sunt hallucinationum, et, quæ bona sunt, debet aliis. Nardii animadverss. de funeribus Atheniensium rejecit ad calcem, et particulas carminis obscœnas collectas dedit post indicem; scilicet, ut, quæ ab oculis removeantur, ea congesta uno obtutu perlegi queant.

1685 Parisiis, cum Gallica versione Baronis *des Coutures,* 8, 2 voll.

1686 Cantabrigiæ, 12, repetita editio 1675, cum notis Tan. Fabri.

1692 Parisiis, 12, 2 voll. cum Gallica versione Baronis *des Coutures.*

1693 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, cum argumentis Mich. Fayi et castigationibus Tanaq. Fabri. Accurante Val. Pect. Neapoli, ex officina Bulifoniana, 16.

ÆTAS III CREECHIO-WAKEFIELDIANA.

1695 — 1828.

1695 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex. Interpretatione et notis illustravit Thomas Creech, Collegii omnium animarum Socius. Oxonii, e theatro Sheldoniano, 8. — Creechius, qui Lucretium totum imbiberat, optimis interpretibus est accensendus. In textu quidem maxime sequitur Lambinum : at nemo adhuc felicius dilucidiusque, et tamen in summa brevitate copiosius explicuit tam verba, quam placita Lucretii, quam Creechius; Gassendum tamen in examinanda Epicuri philosophia sæpe in subsidium vocavit. Plus tamen editione Latina prodesse dicitur ad res in Lucretio intelligendas interpretatio ejus Anglica, in qua notis subjectis cum Lucretii errores refellit, tum ejus sententiam interdum vindicat a malignis expositionibus. — Vide supra de eo Wakefieldi judicium, p. 7.

1708 Parisiis, 12, 2 voll. cum Gallica versione Baronis *des Coutures*.

1709 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ex editione Samuelis Garthii. Londini, 4.

1712 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ad optimorum exemplarium fidem recensiti. Accesserunt variæ lectiones, quæ in libris Msstis et eruditorum commentariis notatu digniores occurrunt. Londini, sumptibus et typis Jacobi Tonson. Fol. regio augustiss. et 4 maj. c. figg. — Splendida editio. Textum sequitur Creechii, exceptis paucis. Variæ lectiones ex ed. Jo. Bapt. Pii et libris collatis a Nic. Heinsio, Jac. Susio, Munckero et Is. Vossio desumtæ sunt.

— Act. Erud. supplem. t. VI, sect. v, pag. 193; *Windheim*, Bemühungen der Weltweisen, vol. III, p. 44 sqq.

1713 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, cura Mich. Maittaire. Londini, ex offic. Jac. Tonson et Jo. Watts, 12. — Imitatur editionem antecedentem.

—Eadem editio, inter Mich. Maittaire Opera et Fragmenta Poetarum Latinorum. Londini, 1713, fol. vol. I, p. 293 sqq.

1717 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, cum interpretatione et notis Thom. Creechii. Editio altera, priori multo emendatior. Londini, e typographeo Mariæ Matthews. Sumptibus T. Child, etc. 8. — Repetitio editionis Creechianæ prioris, sed mendosissima.

1721 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex: Patavii, excudebat Josephus Cominus, 8. — Curavit hanc ed. Jo. Ant. Vulpius, textum Creechianum secutus, additis tamen variis lectionibus.

1725 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, cum notis integris Dionysii Lambini, Oberti Giphanii, Tanaquilli Fabri, Thomæ Creech, et selectis Jo. Baptistæ Pii aliorumque, curante Sigeberto Havercampo, qui et suas et Abrahami Preigeri annotationes adjecit. Accedunt interpretatio Thomæ Creech, variæ lectiones ex notulis Is. Vossii, atque ex plus quam viginti quinque codd. tam impressis, quam Mss. ut et complures iique locupletissimi indices. Cum figuris artificiosissimis atque venustissimis. Lugd. Bat. apud Janssonios *van der Aa*, 4, 2 voll. — Vide quid de meritis Havercampi censeat Wak. supra, p. 7.

1731 In Corpore Poetarum Latinorum Mediolanensi, 4.

1734 Parisiis, 12 maj. c. figg.

1743 Londini, 8, 2 voll. cum versione Anglica.

1744 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex. Accedunt selectæ lectiones dilucidando poemati appositæ, nec non Glossarium Lucretianum (curante Steph. Andr. *Phi-*

lippe). Lutetiæ Parisiorum, sumptibus Ant. *Coustelier*, 12, c. figg. — Editio nitida.

— Eadem, 8. In Bibl. Advocatorum apud Edinenses.

1749 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ex editione Thomæ Creech. Glasguæ : in ædibus academicis excudebant Robertus et Andreas Foulis, Academiæ typographi, 12. — Commendatur a nitore, ut et editio sequens.

— T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex. Londini, typis Jo. Brindley, 12, c. figg. æri incisis.

1751 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex. Patavii, excudebat Jos. Cominus, 8. — Repetitio editionis 1721.

1754 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, cum notis Thomæ Creech. Londini (Basileæ) apud Emanuelem Thurnisium, 8. — Pessimo consilio interpretatio s. paraphrasis, quæ ad intelligentiam poetæ quam plurimum facit, in hac ed. omissa est : quod malum etiam editioni Lipsiensi a. 1776, Musis invitis accidit. In altera Basileensi, recusa 1770, bene recteque illa interpretatio oræ affixa hæret.

— Parisiis, apud *Barbou*, 12. — Repetitio videtur editionis Philippi 1744.

1759 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ex editione Thomæ Creech. Glasguæ, excudebant Rob. et Andr. Foulis, 4, et 12. — Vid. 1749.

1761 Lausannæ, 8, 2 voll. cum versione Italica Alex. Marchetti.

1766 In Collectione Pisaurensi omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum, etc. a prima Latinæ linguæ ætate ad sextum usque Christ. sæculum, 4.

1768 Parisiis, 8, 2 voll. cum versione Gallica.

1770 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, cum notis Thomæ Creech. Basileæ, apud Eman. Thurnisium, 8. — Vid. 1754.

1772 T. Lucretii De rerum natura libri sex. Birminghamiæ, typis Johannis Baskerville, 4.

1773 Eadem editio, ibidem, apud eundem, 12 maj.

1776 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, cum notis Thomæ Creech. Lipsiæ, ap. Schwickert, 8. —Vid. 1754.

1782 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ad optimas editiones collati. Accedit varietas lectionis, cum indice rarioris et obsoletæ Latinitatis. Studiis Societatis Bipontinæ. Biponti, ex typographia Societatis, 8 maj.

1784 Viennæ Austr. cum versione Germanica F. E. Mayr, 8, 2 voll.

1787 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ad codicem Vindobonensem expressi. Edidit Franciscus Carolus Alter. Viennæ, apud Trattner. 8. — Est quidem vitiosissimus hic codex, seculo XVI scriptus; genuinas tamen aliorum librorum lectiones, atque haud dubie Lucretianas, sæpiuscule confirmat. — De quo vide supra p. 10.

1795 Lipsiæ, cum versione Germanica et notis Jo. Henr. Frid. Meineke, 8, 2 voll.—Versio est metrica in genere heroico. Præfixæ sunt duæ commentationes de Epicuro et Lucretio.

1796 et 1797 T. Lucretii Cari De rerum natura libros sex, ad exemplarium Mss. fidem recensitos, longe emendatiores reddidit, commentariis perpetuis illustravit, indicibus instruxit, et cum animadversionibus Ricardi Bentleii, non ante vulgatis, aliorum subinde miscuit Gilbertus Wakefield, A. B. Collegii Jesu apud Cantabrigienses olim Socius. Londini. Impensis editoris, typis A. Hamilton. 4, 3 voll. — Est nova textus recensio, a sagacissimo critico facta, qui (judice Eichstædtio, Ep. ad Weissium) dijudicatis revocatisque optimorum librorum lectionibus præclare effecit, ut quem librariorum stupor atque editorum ante eum temeritas nobis pæne eripuissent, Lucretium in Lucretio agnoscamus. Notæ, textui subjectæ, partim criticæ sunt, partim exegeticæ, quibus res et sententiæ docte eruditeque explicantur. Antiqua scribendi ratio ubique fere est reducta. Nobilis editio elegantissime impressa.

1799 Parisiis, 8, 2 voll. cum versione Gallica et notis Lagrangii.

1801 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ad optimorum exemplarium fidem emendati. Cum Rich. Bentleii animadversionibus, Gilb. Wakefieldi præfationibus et commentariis integris, ceterorumque interpretum præstantissimorum observationibus selectis edidit, suas notas et indices copiosissimos adjecit Henr. Car. Abr. Eichstædt. Volumen primum. Lipsiæ, impensis Petr. Phil. Wolfii et sociorum, 8 maj. — Sequitur textum a Wakefieldo constitutum, ita tamen, ut quidquid in eo vel perperam reliquisse vel innovasse videbatur doctus Britannus (novavit autem plurima tum codicum tum criticæ conjecturalis ope), id omne expelleret Eichstædtius melioresque lectiones postliminio reduceret. Textui præmissæ: 1° Epistola ad b. Weissium, in qua de consilio hujus editionis agitur; 2° Wakefieldi Præfationes; 3° de T. Lucretii Vita et Carmine docta Commentatio editoris. In fine est Index nominum et verborum in Lucretii carmine obvenientium utilissimus. Commentarii in titulo promissi adhuc exspectantur.

1807 T. Lucr., etc. Mediol. per Aloys. Musium, 1807, fol.

— Creechiana editio repetita, 8. E typographeo Clarendoniano, nitide expressa.

1808 In Excerptis ex variis poetis qui in scholis leguntur, a Rogero Pitmanno, in usum suum multa Lucretiana trahit editor. Lond. 8.

— Ed. Bip. multis aucta et correcta. Argentorati, 8 maj.

1812 T. Lucretii Cari De rerum natura libri VI, ad fidem editionis Creechianæ accurate expressi. Excudit A. Balfour, Edinb. 8.

1813 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex, ad exemplar Gilberti Wakefield, A. B. cum ejusdem notis, commentariis, indicibus, fideliter excusi. Adjectæ sunt integræ Ricardi Bentleii annotationes, illustrationes, con-

jecturæ, ex ipsius autographo, in museo Britannico conservato. Glasguæ, 4 voll. 8. — Novæ huic editioni quæ emendatissime et venuste typis expressa est, accessit comparatio accuratissima variarum lectionum quatuor antiquissimarum Lucretii editionum, Brixiensis (1473), Veronensis (1486), Venetæ (1495), et Aldinæ (1500); item et prioris editionis Bipontinæ.

1821 T. Lucretius Carus, 12. *Cambray, chez Hurez.*

— T. Lucretii, etc. ex edit. Wakef. Lond. 18. Textus nudus.

1822 Edidit J. A. Amar. Parisiis, apud *Lefèvre* bibliopolam, 16.

1823 T. Luc. Cari De rerum natura libri sex, ex editione Gilberti Wakefieldi, cum notis et interpretatione, in usum Delphini, variis lectionibus, notis variorum, recensu editionum et codicum et indice locupletissimo accurate recensiti. Londini; curante et imprimente A. J. Valpy, A. M.

1828 T. Lucretii Cari De rerum natura libri sex. Ad optimorum libb. fidem edidit, perpetuam annotationem, criticam, grammaticam, et exegeticam adjecit Alb. Forbiger. Lipsiæ, sumptibus et typis B. G. Teubneri, 12.

Textus etiam recusus in quibusdam versionibus, quæ statim memorabuntur.

EDITIONES PROMISSÆ, OBSERVATIONES, etc.

Non paucis Lucretii locis multum lucis attulit P. Gassendus in Opere de Philosophia Epicuri : quamquam eum subinde reprehendunt illi ipsi, qui eum alias libenter sequuntur, ut Creech et *des Coutures*. Vide tamen Epistolam Ad. Preigeri ad Havercampum, in qua dicit Gassendum interdum aliter afferre loca, quam sint in textu, non e Mss. vel emendandi causa, sed memoriæ lapsu, docto tamen illo et nihil alienum affingente Lucretio.

Tourneminii *Remarques sur Lucrèce* prodierunt in Memor. Trevoltinis a. 1735, m. Nov. p. 2252.

Explicatio loci Lucretiani III, 175 legitur in *Nouvelles de la Républ. des Lettres*, m. feb. 1687, p. 117 sqq. Super proœmio Lucretii Programma edidit Faber Onoldi 1781, 4. Observationes in vitam et scripta Lucretii vide in Christian Freethinker, etc. Londini 1740, 8. De animi immaterialitate, quam dicunt, secundum Lucretium egit Andr. Baxter *in Enquiry into the Nature of the human Soul*, etc. Londini 1745, 8, vol. 1, sect. 5.

Jo. Jortin observationes criticas in Lucretium vide in ejus *Tracts philological, critical and miscellaneous.* Lond. 1790, 8, vol. II, p. 271 sq. Roberti Alves animadversiones in Lucretium extant in illius *Sketches of a History of Literature.* Edinburgi 1795, 8.

Elegantissimam Lucretii descriptionem pestilentiæ Atheniensium (lib. VI, 1137 sqq.) cum Virgilii, Ovidii, et Silii Italici descriptione comparat Scaliger Poet. lib. V, cap. 10, pag. 670 sqq. et cum Thucydidea, additis observationibus medicis, Jo. Ern. Hebenstreit in Anthropologia forensi, Lipsiæ 1753, pag. 129-155, et 167 sqq. Adde: *Remarks on the Athenian pestilence, and on the poetry of Lucretius, by William Tasker*, in ejus *Series of Letters.* London 1798, 12, Ep. X et XIII.

De œconomia carminis Lucretiani, ejusque virtutibus et vitiis agunt Jo. Jac. Dusch in *den Briefen zur Bildung des Geschmacks.* Breslau 1773, 8, vol. II; et Henr. Car. Abr. Eichstædt in Comm. de Vita et Carmine Lucretii, præmissa editioni Lucretii ab eo curatæ Lipsiæ 1801. — Sup. p. 19.

Observationes ad T. Lucretii carmen De rerum natura scripsit Trauz Frid. Bened. Armament. 1815. Duos tantum priores libros pertractavit. Optime audiunt hæ observationes.

Descriptio pestis quæ Atticam devastavit, ex Germanica versione Knebel, separatim edita a J. C. V. Meister, cum commentario ad medicinam et philologiam attinente. Zullichav. ap. Darnmann, 1816, 8 maj.

De T. Lucretii Cari carmine, a scriptore serioris ætatis denuo pertractato Dissertatio philologica et critica. Scripsit Albertus Forbiger. Lipsiæ apud Reclam, 1824.

Grayius Anglicus poeta pluris habuit carmina quæ ipse Latine scripsit quam quæ scripsit Anglice, multusque fuit in Imitationibus. Inter commentarios de Vita et Scriptis ejus a Gulielmo Mason, A. M. publici juris factos, invenienda sunt Philosophici simul et elegantis poematis fragmenta, De principiis cogitandi : et in versibus suis poliendis non adeo sequitur Anglicus poeta Virgilium, ut non simul Lucretium imitetur. Præterea, forma poematis (si modo vir nimis levis et fastidiosus ad umbilicum id perduxisset) et multa vocabula sunt pure Lucretiana : et ut Lucretius philosophum suum et ducem, de rerum natura canens, sibi proposuit Epicurum, haud aliter Grayius, De principiis cogitandi carmen compositurus, sequitur magnum veritatis sacerdotem, Joannem Lockium.

In Lucretium infinita se notata habere scribit C. Barthius in Stat. tom. III, pag. 81. Tollius scripserat notas in Lucretium. Eas moriens tradidit Gerardo *de Uries*, qui Lucretium commentariis philosophicis illustrare volebat; vide Henninium ad Toll. Epp. itiner. pag. 77. Isaaci Vossii notas ineditas memorat Grævius f. ad Callim. pag. 174, cujus pater promisit novam editionem ad Catull. pag. 249. Vinc. Alsarium a Cruce, Prof. Med. Patavinum, se a. 1632, occupatum vidisse commentario Lucretiano, narrat Gabr. Naudæus Epp. pag. 231. Ante hos Luc. Fruterius dicitur in Lucretium affecta habuisse, quibus adjuti sint, qui post Lambinum illustrare collectaneis tentarunt Lucretium. Vid. Swertii Athen. Belg. pag. 518; Val. Andreæ Bibl. Belg. pag. 579. Titi Joannis Scandimensis Commentarii doctissimi commemorantur a Bernhardino Realino, Carpensi, cap. 14, annot. in varia script. loca. Lamp. Grut. tom. II, p. 367. Andreæ Riveti notas Mss. in Lucretium laudat Servatius Gallæus ad

Lactant. II, 1. Voluit etiam edere Jo. Barbeyrac castigatum ad Mss. et edd. vett., metaphr. Creechii et suis aliorumque notis; vid. le Clerc *Bibl. chois.* tom. XVII, pag. 242. Sed institutum abjecit, sine jactura magna literarum, ut putamus. De Britanni Rich. Burridge promissis in Lucretium animadv. vid. Acta Erud. 1716, pag. 64. Etiam textum Lucretii cum Mss. contulerat et emendarat Franc. Medices, teste P. Victorio Castigg. poster. ad Cicer. Epp. xv, 19; ubi et exemplum correctionis e lib. II affert, quæ in omnes post editiones recepta est.

VERSIONES

GALLICÆ.

1650 Le poëte Lucrèce, latin et français, de la traduction de M. de Marolles. Paris, chez Toussaint Quinet, 8.

1659 Les six livres de Lucrèce, De la nature des choses, traduits par Mich. de Marolles. Seconde édition, augmentée de tables et de remarques; à quoi sont ajoutées les petites notes latines de Gifanius, et la vie d'Épicure, tirée de Diogène Laërce. Paris. Guil. de Luyne, 8.

1677 Traduction en vers par Jacq. Langlois. Paris. — Hæc debet potius vocari metrica versio prosaicæ Marollianæ interpretationis quam Lucretii.

1685 Lucrèce, De la nature des choses, avec des remarques sur les endroits les plus difficiles; traduction nouvelle (par M. de Coutures). Paris. Th. Guillain, 8, 2 vol.

1692 Les Œuvres de Lucrèce, contenant sa philosophie sur la physique, ou l'origine de toutes choses, traduites en français, avec des remarques sur tout l'ouvrage, par M. le baron des Coutures. Dernière édition, avec l'original latin et la vie de Lucrèce. Paris, 12, 2 vol.

1708 Lucrèce, De la nature des choses, avec des remarques sur les endroits les plus difficiles; traduction nouvelle

(par M. des Coutures). Paris. Michel David, 12, 2 voll. c. textu Lat. et notis novis.

— Imitation du commencement de Lucrèce, par madame Deshoulières. (Vide sup. in Notitia lit. pag. 91.)

1714 Traduction du commencement de Lucrèce en vers, par Jean Henault. — Dans le Recueil des pièces choisies, tant en prose qu'en vers, rassemblées en deux volumes (par Bern. de la Monnoye). A La Haye. 1714, 8; et dans la traduction en vers de Pongerville, t. I, p. 101 ou 118.

1768 Traduction libre de Lucrèce, avec un discours préliminaire (C. Jos. Panckoucke). Paris, 2 vol. 12.

— Lucrèce, traduction nouvelle, avec des notes, par M. L. G. (Lagrange). Paris. Bleuet, 8, 2 vol. c. figg.

1788 Lucrèce, De la nature des choses, traduit en vers par M. le Blanc de Guillet. Paris. Moutard. 8, 2 vol.

1794 Lucrèce, traduit par Lagrange. Paris, de l'imprimerie de Didot jeune, an II, 2 vol. gr. in-4. — Hæc interdum in tria voll. dividitur.

1795 La même, à Paris, chez Bleuet, an III, grand in-8; cum textu lat.

1799 Lucrèce, traduction nouvelle, avec des notes, par M. Lagrange. Paris. Potey et Laron. An. VII, 8; 2 vol. c. textu Lat.

1821 La même, à Paris, chez Aug. Delalain. — Cum textu Lat., notis, et var. lect. in-12, 2 vol.

1823 La même. Paris, Delongchamps; 2 vol. in-18.

1823 Lucrèce, traduit en vers français, par de Pongerville. Paris, chez Dondey-Dupré, 2 vol. in-8. Cum textu et notis.

1828 La même, seconde édition.

1829 Lucrèce, traduit en prose par de Pongerville, avec une notice litt. et bibliograph. par Ajasson de Grandsagne. Paris, chez L. F. Panckoucke, in-8, 2 vol.

L'invocation de Lucrèce a été traduite en vers français

par Legouvé, et par M. J. Chénier. — Molière avait entrepris une traduction de ce poète; il en a conservé un fragment dans le Misanthrope, act. V, sc. 2.

ANGLICÆ.

1656 An Essay on the first Book of Titus Lucretius Carus De rerum natura, with a metrical Version and Notes, by John Evelyn. London, printed by Gabr. Bedle, 8.

1676 The Plague of Athens, described by Lucretius, translated by Thomas Sprat. London, 8.

1682 Titus Lucretius Carus on the Nature of Things, in six Books, translated into English Verse by Thomas Creech. Explained and illustrated with Notes and Animadversions; being a complete System of the Epicurean Philosophy. Oxford, 8. — Repetita ibidem a. 1683, 8; et Londini 1714, 1715, 1722, 1744 et 1776, in forma octava, 2 voll.

1743 Translations from Lucretius, viz. The Beginning of the first Book; the Beginning of the second Book; the latter Part of the third Book against the Fear of Death; the latter Part of the fourth Book, concerning the Nature of Love; from the fifth Book. By John Dryden. In his Original Poems and Translations. London. 1743, 12, vol. II, pag. 46-69.

— Titi Lucretii Cari De rerum natura libri sex. With a free prose English Version, illustrated with Notes and adorned with cuts by Guernier. London, printed by Daniel Brown, 8, 2 voll.

1761 Translations from Lucretius, by James Beattie. In his Original Poems and Translations. London, 1761, 8.

1795 A Translation of Lucretius, Book II, 342, by Gilbert Wakefield. In his Poetical Translations from the Ancients. London, 1795, 8.

1799 The first Book of T. Lucretius Carus on the Nature of Things, in English Verse, with the Latin Text. London, Faulder, 8.

1805 The Nature of the things, a didactic poem, translated from the lat. by J. Mason Good. 2 vol. 4. Lond. — Versio est metrica, in numeris Miltonicis, vulgo vocatis *blank verse;* textum latinum habet e regione; prolegomena præbent præfationem, quæ continet inter alia, tam exterarum quam Anglicarum versionum bene compactam descriptionem; vitam Lucretii, et variarum antiquorum philosophorum De rerum natura sententiarum explicationem.

1813 The Nature of Things, a didascalic poem, translated from the Latin of Titus Lucretius Carus : accompanied with commentaries, comparative, illustrative, and scientific; and the Life of Epicurus. By Thomas Busby. Lond. 2 vol. 4. Versio est numerosa, splendide impressa, in fronte habens Epicuri iconem. Textum Wakefieldi sequitur Busbeius, in paucis vero ab eo recedit. Præfigitur vita Lucretii, et Dissertatio in qua philosophiam Epicuri pluribus prosequitur, et mores defendit.

BELGICÆ.

1693 Belgice versibus expressit Lucretium Jerem. Dekker, cujus specimen est apud Petr. Rabum in Bœcksaal van Europe, a. 1693, tom. II, p. 251 et 1699; tom. I, p. 91.

1701 De werken van T. Lucretius Carus van het Heelal, uit het Latyn Nederduitsch vertaalt (door Jo. de Witt.) te Amsterd. 8. — Libri sunt divisi in capita, præmissis argumentis, totique operi præmissæ breves animadversiones, quibus præcipui errores poetæ refelluntur : accessit et carmen Adr. Relandi venustum in poesin Lucretii.

GERMANICÆ.

1784 Titus Lucretius Carus von der Natur der Dinge,

aus dem Lateinischen übersetzt von Franz Xaver Mayr. Zwei Theile. Wien. 8.

1785 Hymne an die Venus. Erst. B. v. 1-44. Abscheulichkeit des Aberglaubens. v. 81-102. Aufmunterung zur Philosophie. Zw. B. v. 1-61. Trostgründe wider die Schrecken des Todes. Dr. B. v. 874-1107. Die Liebe. Viert. B. v. 1099-1185, von Aug. Rode. — In Rodens philosophischen und andern Gedichten. Hamburg 1785, 8.

1786 Lukrez über die Natur der Dinge. Erstes Büch. von Œlsel. — In den Denkwürdigkeiten aus der philosophischen Welt, herausgegeben von K. A. Cæsar. Dritt. B. Leipzig. 1786, 8.

1787 Versuch einer Uebersetzung des Lukrez von Ch. V. Kindervater. — Ibidem vol. IV.

1792 Probe einer Uebersetzung des Titus Lucretius Karus von der Natur der Dinge. Erstes Buch. — In dem Neuen teutschen Merkur 1792, M. Sept.

1793 Probe einer neuen Uebersetzung des Lukrezischen Gedichtes von der Natur der Dinge. Aus dem ersten Gesange. — Im Neuen teutschen Merkur 1793, M. Merz.

1794 Titus Lukretius Karus von der Natur der Dinge, Drittes Buch. Neu verteutscht (von Knebel.) — Im Neuen teutschen Merkur 1794, M. Dec.

1795 Titus Lukretius Carus von der Natur. Ein Lehrge dicht in sechs Büchern. Uebersetzt und erlæutert von J. H. F. Meinecke. Zwei Bænde. Leipzig. 8, c. textu Lat.

Præterea singula Lucretii loca verterunt: G. Ephr. Müller in der Historischkritischen Einleitung zur Kenntnis der alten Lateinischen Schriftsteller. Dresden 1747 seqq. Jo. Jac. Dusch in den Briefen zur Bildung des Geschmacks. Zw. B. Breslau 1773, 8. Schmidtius in der Uebersetzung des Crusius 1777. Herderus im Neuen teutschen Merkur 1792, und den Briefen zur Beförderung der Humanitæt. Dritt.

Samml. Riga. 1794, et Halemius in dem Schleswigischen Journal 1793, M. Jan.

ITALICÆ.

1717 Di Tito Lucrezio Caro Della natura delle cose libri sei. Tradotti da Alessandro Marchetti, Lettore di Filosofia e Mattematiche nell' Università di Pisa et Accademico della Crusca. Prima edizione. Londra. Per Giovanni Pickard, 8.

1754 Di Tito Lucretio Caro Della natura delle cose libri sei tradotti da Alessandro Marchetti. Dati nuovamente in luce da Francesco Gerbault Interprete di S. M. Cffia per le lingue Italiana e Spagnuola. In Amsterdamo a spese dell' Editore. 2 tom. 8, cum figg.

1761 Di Tito Lucrezio Caro, etc. tradotto in verso sciolto da Alessandro Marchetti, etc. col Testo Latino a fronte. Si aggiugne l'Anti-Lucrezio del Card. di Polignac tradotto da D. Francesco Maria Ricci. In Lausana a spese di Domenico Deregni, 2 tom. 8.

1764 Tito Lucrezio Caro Della natura delle cose libri sei tradotti da Alessandro Marchetti con le osservazioni dell' Abate Domenico Lazzarini. In Londra, 2 tom. 8.

1779 Di Tito Lucrezio Caro Della natura delle cose libri sei, tradotti in verso Toscano da Alessandro Marchetti, ora per la prima volta publicati secondo le ultime correzioni e addizioni da esso fatte. Londra, nella stamperia Mackintosh, 4.

Nulla Lucretii versio Hispanica vel Lusitanica est : sed imitationes multæ sunt vividæ, a Lopez de Vega, Garcilasso de la Vega, Ercilla, et Camoens, de quibus consulatur Anglicus Lucretii interpres, J. M. Good. Hispanicus etiam Frachella, commentarium elucubratum in lingua Castiliana contexuit, 4, cui titulus : Spositione di tutta l'opera dei Lucretio.

DE LUCRETII CODICIBUS MSS.

Bapt. Pius tres codd. nactus est, quorum nomina tantum afferre licet, *Venetum*, Hermolai cujusdam, *Romanum* Pomponii, et *Mantuanum*, quem vir quidam gentis Strotiorum possidebat. Præter hos commemorat etiam « *Codri*, grammatici Bononiensis, codicem, » qui scriptus liber, an veteris cujusdam editionis exemplar fuerit (quod quidem probabilius videtur), non liquet.

Dion. *Lambinus* quinque codd. adhibuit, Romæ tres, *Vaticanum*, *Faernianum* (Gabrielis Faerni) et *Tettianum* (Scipionis Tettii); Lutetiæ autem duos, *Memmianum* et *Bertinianum*. Cæterum de forma et ætate horum librorum nihil memoriæ prodidit.

Duo sunt membranacei codd. in Biblioth. Leidensi, ex Isaaci Vossii scriniis eo translati; Havercampo *Lugdunenses*. Uterque membranaceus et vetustissimus; alter quidem majori forma, in-folio, ut vocant; alter in quarto, sed majore, et quidem per columnas scriptus; permagni æstimandus.

Gottorpiensis vero codicis, optimi et antiquissimi, quum ætatem 800 vel 900 annorum attigerit, membranæ, jam antea laceræ, siquidem cum vs. 454 libri II desierant, per bellicas turbas jam diu interierunt, ita tamen ut duæ certe earum collationes servatæ sint inter Vossianos et Gudianos thesauros, quarum utraque Havercampus usus est.

De Vindobonensi codice et MS alterius fragmento vide supra in præfat. Wakef. p. 10 sq.

Codices in Museo Britannico.

In *Biblioth. Harl.* n. 2554, cod. chartac. sæc. XVI, forma quarta: T. Lucretii Cari De rerum natura libri VI. Sine notis, sed cum paucis quibusdam variantibus lectionibus.

N. 2612, cod. chartac. sæc. XV, forma quarta. Lucide scriptus, sine notis aut variis lectionibus.

N. 2694, cod. membran. sæc. xv, forma minima, eleganter scriptus charactere Ital. illumin. sine notis aut vv. ll.

Hi dicti codices etiam notantur a Gilberto Wakefieldo in Præfatione ejus ad Lucretium, supra p. 9.

Inter codices *Lansdounienses* volumen est quod, inter alia, continet: Di Tito Lucrezio Caro Della natura della cose Libri sei, Tradotti dal Latino al Toscano Idioma da Alessandro Marchetti, etc. Codex hodiernus est, et continet unum tantum Lucretii librum, e celebri versione Marchettiana excerptum.

Codices Oxonienses.

Duos tantum codices bibliothecæ Oxonienses nobis præbent, quorum ambo in *Bodleiana* restant. Mss. Angl. 3045, nunc Ms. Bodl. Auctar. F. I, 13, est codex pulcherrimus Lucretii membranaceus; scriptus forsan sub initio vel sub medio sæc. xiv. Calligraphia supra modum pulchra est. Bibliothecæ Bodleianæ donatus est a. 1610. Videtur Italicæ fuisse originis. Fol. — Apud *Canonici* Mss. est exemplar Lucretii membranaceum, recentioris ætatis, sed optimæ calligraphiæ. Hic etiam fortasse Italicæ originis, et scriptus circiter medium sæculi xv. Formæ minoris.

De codice Cantabrigiensi chartaceo, quo usus est Wakefieldus in Lucretio edendo, vide Præfationem ejus supra p. 9. Est nitide scriptus, capital. illuminat. et notis margin. comitatus, fol. min.

Mss. D. *Poore*, supra in præf. Wakefieldi, pag. 10.

Alius etiam, e privato museo, codex in Catalogo librorum in bibliotheca *White-Knights* describitur N. 4663, quibus auctione publica divenditis eum emerunt bibliopolæ Londinenses bene noti Payne et Foss. Alium etiam penes bene notum bibliopolam Londinensem fuerat, R. H. Evans: nunc in bibliotheca viri Rev. H. Drury, unius e ludimagistris Scholæ Harroviensis, restat.

TESTIMONIA AC JUDICIA.

LUCRETIUM multi veteres, multi recentiores laudavere; quorum testimonia ac judicia singillatim recensere et persequi nostri quidem non est propositi. Pleraque autem indicio signare visum est, ad quæ recurrat lector talium rerum studiosus.

Primus omnium in poeta nostro *multa ingenii lumina, multamque artem* agnoscit CICERO, Epist. ad Q. fratrem II, 11.—Vide tamen supra p. 35.

CORNELIUS NEPOS, in vita Attici, XII, 4.

VITRUVIUS, de Architectura, IX, 3.

P. OVIDIUS NASO, Amor. I, XV, 23; Tristium II, 425.

SEXT. AUR. PROPERTIUS, Eleg. II, XXV, 29.

VELL. PATERCULUS, Hist. rom. II, 36.

L. ANN. SENECA, Tranq. Animi, 2; Epist. XCV, 11; CX, 6.

C. PLINIUS CÆCILIUS SEC. Epist. IV, 18, et Avunculus ejus Nat. Hist. lib. X, præf.

M. FAB. QUINTILIANUS, Inst. orat. I, 4; III, 1; VIII, 6; X, 1; XII, 11.

C. CORN. TACITUS, Dial. de orat. 23.

P. PAPINIUS STATIUS, Sylv. II, VII, 76.

A. GELLIUS, Noct. Att. I, 21.

Q. SERENUS SAMMONICUS, de Medicina, vs. 614.

Plurima recentiorum testimonia abunde memorata invenies supra pag. 46 not. Nonnullos autem e nostratibus hic adscribam.

MONTAIGNE, *Essais*, *livre* II, ch. 10, 12; III, 5.

BAYLE, *Dictionnaire historique.*

VOLTAIRE, *Dict. philosophique*, sub voc. *Atomes;* et *Lettres de Memmius à Cicéron.*

LAHARPE, *Cours de Littérature*, part. I, lib. I, c. 4, § 3.

SCHOELL, *Hist. abrégée de la litt. rom.* Period. III, t. I, p. 246, et t. II, p. 156.

VILLEMAIN, *Biographie universelle* (Michaud).

PONGERVILLE, in præfationibus quas versioni utrique præmisit.

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER I.

ARGUMENTUM.

In ipso operis principio Venerem invocat. — Deinde, a v. 45, ad v. 159, libros suos De rerum natura dedicat Memmio : Epicurum, cujus rationes sequitur, collaudat; ab illius doctrina impietatis invidiam amolitur; et hujus et seqq. librorum argumenta breviter proponit. — Tum rem aggreditur, docetque a v. 160, ad v. 265, ex nihilo nihil fieri, et in nihilum nihil reverti posse. —A v. 265, ad v. 329, minuta esse quædam corpora, quæ, licet sub sensum non cadant, mente tamen possunt concipi; et e quibus res omnes componuntur. — His corpusculis a v. 330, ad v. 430, subjungit vacuum, seu inane spatium; et a v. 430, ad v. 483, probat nihil esse præter corpus et inane; reliqua autem, quæ videntur esse, ut pondus, calor, paupertas, bellum, etc. esse tantum conjuncta vel eventa, proprietates seu accidentia, corporis et inanis. — Docet a v. 483, ad v. 528, prima corpuscula esse perfecte solida; ideoque a v. 528, ad v. 635, insecabilia esse, minima (neque enim corpus in infinitum dividi potest), et æterna. — Deinde, a v. 635, ad v. 712, refutat Heraclitum qui ignem, aliosque qui aerem, aquam, aut terram, rerum omnium principium esse statuerunt. — Tum a v. 712, ad v. 829, contra Empedoclem demonstrat, res non componi e quatuor elementis.— Demum, a v. 829, ad v. 919, Anaxagoram refellit. — Postremo, a v. 919, ad v. 1050, docet, universum esse ex omni parte in-

finitum, corpuscula esse numero infinita, et inane nullis terminis comprehendi posse; et a v. 1050, ad v. 1110, libri finem, deridet illos, qui existimant, esse aliquod centrum in universo, quo gravia omnia deorsum tendant, dum levia sponte sua sursum ferantur.

ÆNEADUM genetrix, hominum Divomque voluptas,
Alma Venus! cœli subter labentia signa
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferenteis
Concelebras; per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis:
Te, Dea, te fugiunt ventei, te nubila cœli,
Adventumque tuum: tibi suaveis dædala tellus
Submittit flores; tibi rident æquora ponti,

1. *Æneadum*, i. e. Romanorum, qui genus ab Ænea, Veneris filio, ducunt. — *Divomque.* Hoc de *divis* generaliter potius videtur dictum ad populares de illis opiniones, atque rotunditatis gratia, quam quod sit Epicureorum rationibus affine; non ideo ad morosiores orationis proprietates exigendum. *Wakefield.* — Vide infra Disquisitiones varias, et sup. p. 87 sq., et 91.

2. *Alma*, id est, fecunda, ab alendo; rationem nominis reddit Poeta vs. 4. — *Cœli subter*, etc. Ordo est: Quæ infra volubiles cœli stellas frequentas mare navigerum. Barthius contendit *subter labentia* unam esse vocem, quasi stellas quoque Venus variis animalibus repleat. Male, opinor; nam sic durior foret constructio. Melius Preig. exponit: Hoc est, qua patet orbis. Ed.

4. *Concelebras*, reples et exornas varia animantium fœtura. Conf. II, 345. Vide infra Disq. var.

5. *Visitque exortum*, exoritur, prodit in lucem, hac lucis usura frui incipit. — *Lumina solis.* Sic infra II, 107, 740; V, 463. Usurpavit quoque Virgil. Æn. VI, 255, et VIII, 68. *Lamb.*

6. *Te fugiunt ventei*, quia tuo adventu cœlum serenas.

7. *Te, advent. tuum*, te, quum advenias. Lambinus hic significari putat mensis aprilis initium. Ed. — *Dædala tellus*, id est, omni artificio florum, frugum et arborum se pingens et exornans: rerum omnigenarum cum varietate suavissima speciosa artifex, creatrixque. *Wakef.* — A verbo δαιδάλλειν, *variare.* Hinc Festus dixit *dædalam* a varietate rerum artificiorumque esse apud Lucretium terram. *Fayus.* — Cf. infra 229; V, 235. Virg. Georg. IV, 179.

8. *Submittit flores*, e gremio mittit; *de sub* solo facit pullulare, extrudit. Sic dictum exquisitiore sensu. *Wakef.* — Aliter tamen Preig. quem v. in Disq. var. — *Tibi rident æq. ponti*, sua æquabilitate et tranquillitate hilaritatem quamdam præ se ferunt. Tralatio est a rebus animatis et ratione præditis quæ risu hilaritatem significant: vel idcirco res inanimatæ ridere dicuntur eæ quæ sunt ornatæ, magnificæ, tranquillæ. *Lamb.* — Γελᾶν est *splendere*, ut Romanis etiam *ridere*: adeas Homerum Iliad. T, 362; Horat. Carm. IV, 11, 6. *Wakef.*

Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.
Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget genitabilis aura Favoni;
Aeriæ primum volucres te, Diva, tuumque
Significant initum, perculsæ corda tua vi.
Inde feræ pecudes persultant pabula læta,
Et rapidos tranant amneis: ita, capta lepore,
[Illecebrisque tuis, omnis natura animantum]
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
Denique per maria, ac monteis, fluviosque rapaceis,
Frundiferasque domos avium, camposque virenteis,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,

9. *Placatum.* Alii dant *Pacatum ... numine.* Bene habet vulgata. *Placatum,* jam non agitatum et turbulentum, cœlum nitet diffundens undique serenam lucem. Male Pius intelligit Veneris sidus, cujus radiis et luce omnia serenantur. Ed.

10. *Species verna diei.* Constructio apud Lucretium frequens pro *species verni diei*, id est, pulchritudo vernalis temporis. Plura de hac re Wak. infra ad vs. 475. *Patefacta est* forsan alludit ad mensem *aprilem.* Ed.

11. *Et reserata viget.* Simul atque Favonius, veris prodromus, apertus ac patefactus vigere cœpit, qui antea quasi obseratus et clausus videbatur. *Lamb.*— *Genitabilis,* seu *genitalis;* vide ad I, 183, 633; II, 228; IV, 1041, etc. — Vide infra Disq. var.

12. *Aeriæ primum.* Nota hic *primum;* versu autem 14, *inde;* vs. 18, *denique.* Preig.

13. *Significant,* manifestis signis nuntiant. — *Initum.* A verbo *inire*, id est, introitum, ingressum, adventum. Alii legunt *initium*, et per syncopen *initum. F.* — *Perculsæ:* percellimur, quum agitatio quædam violentior vel lætitiæ, vel timoris, membra omnia percurrat et concutiat. Conf. Virg. Georg. III, 250. *Wakef.*

14. *Feræ pecudes.* Hic bruta animalia omnino innui facile crediderim: alii aliter. Vide Disq. var. Ed. — *Persultant pabula,* saltu percursant et prætereunt, et ita negligunt, scilicet rebus Venereis intentæ. *Lamb.* — *Læta.* Sic Virg. Georg. I, 1, *lætas segetes.*

15. *Tranant amneis.* Cf. Virg. Georg. III, vs. 269 sq.—*Ita, capta lepore,* etc. Adeo avide totum genus animalium captum tua venustate tuisque lenociniis subsequitur te in quamcumque partem conaris impellere quodlibet illorum.

17. *Quamque.* Suppl. naturam animantum, si vs. 16 genuinus est; vel potius: unam quamque e pecudibus. Ed.

18. *Fluviosque rapaceis.* Virg. Georg. III, 142.

19. *Frundiferasque domos avium,* nimirum sylvas, quas habitant aves. — *Camposque virenteis.* Observet lector τὸ *monteis* respicere sæviorum pecudum genus, et τὸ *campos virenteis* vicissim mitiorum. *Wak.*

20. *Incutiens blandum amorem.* Ut incutere metum, bellum, ictum, sic et amorem dicunt poetæ: est enim amoris

Efficis, ut cupide generatim secla propagent.
Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas,
Nec sine te quidquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum neque amabile quidquam;
Te sociam studeo scribundeis versibus esse,
Quos ego de RERUM NATURA pangere conor
Memmiadæ nostro; quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus:
Quo magis æternum da dicteis, Diva, leporem.
Effice, ut interea fera mœnera militiai,
Per maria ac terras omneis, sopita quiescant.
Nam tu sola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis; quoniam belli fera mœnera Mavors

plaga gravis. Quod autem huic participio addidit ἐπίθετον *blandum*, significavit, in amore dolorem inesse cum voluptate conjunctum: notum est, Amorem, seu Cupidinem, γλυκύπικρον a Platone dici. *Lamb.*

21. *Generatim*, per singulas species. Sic vss. 228, 230, et alibi passim. *F.*— *Secla* de hominibus et de brutis animalibus eorumque natione, genere ac sobole Noster sæpe usurpat. Vide Disq. var.

22. *Quæ quoniam*, etc. Quia a vs. 4 longum est hyperbaton multaque interjecta sunt, iterat copulationem illam *quoniam*. *Lamb.*

23. *Dias*, ætherias, cœlestes. « *Dium* enim dicitur, inquit Festus, quod sub cœlo est. Ex quo sub dio fieri dicimus, quod sub cœlo fit, et non sub tecto. » Quanquam aliquando *dius* sumitur pro voce *divinus*. Lucret. II, 172, « dia voluptas »; Virg. Æn. XI, 657, « dia Camilla »; Horat. Sat. I, 2, 32, « Sententia dia Catonis ». *F.* — *In lum. oras*, in lucem, in regiones luminis. Sic Noster sæpius; cf. Virg. Georg. II, 47; Æneid. VII, 660.

25. *Te sociam studeo*, etc. Invocat Venerem, eamque sibi sociam in versibus scribendis (vel potius *sociam* et inhærentem ipsis versibus) esse studet, quia putat leporis deam sibi posse talibus in rebus adjutorio esse; et præsertim quia homo Romanus Venerem Romanorum Genetricem implorare debuit de primo rerum exortu ac natura agens.

26. *Pangere*. Proprie est infigere, serere, plantare. Per translationem *pangere versus* est scribere, et componere, quia literæ stylo in cera panguntur, ut ait Festus. ED. — *Conor*, cogito, meditor.

27. *Memmiadæ*, pro Memmio, sicut Scipiadæ, pro Scipionibus, Virg. Æn. VI, 844. V. Horat. Sat. II, 1, 17. *Fay.* — De Memmio autem vide p. 84.

28. *Omnibus ornatum rebus*, omnibus ingenii dotibus, omni natalium et honorum laude splendentem voluisti inter cæteros semper eminere. ED.

29. *Quo magis*. Quare eo magis te precor, o leporis Dea, ut lepidos venustosque versus mihi inspires. ED.

30. *Mœnera*, antiquo more pro *munera*. Sic olim *Pœnica* pro *Punica*; *mœnire* pro *munire*, etc. *Fay.* — *Militiai*, diæresis pro *militiæ*. Quod fami-

Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se
Rejicit, æterno devictus volnere amoris :
Atque ita, suspiciens tereti cervice reposta,
Pascit amore avidos, inhians in te, Dea, visus ;
Eque tuo pendet resupini spiritus ore.
Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore sancto
Circumfusa super, suaveis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romaneis, incluta, pacem.
Nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo

liare est veteribus ; et occurrit passim apud Lucretium. *F.*

34. *Armipotens.* Virg. Æn. IX, 717. — *Sæpe*, utpote æterno amore Veneri devinctus. *Preig.*

35. *Rejicit.* Depingit festinationem et aviditatem Martis se in Veneris gremium e belli tumultu abripientis. Terent. Andr. I, 1, 136, « Rejecit se in eum, fleus, quam familiariter ». *Wakef.* — *Devictus.* Hoc vocabulum bene cum aliis congruit, et ad mentem poetæ facit. Minus bene, opinor, *devinctus*, quod multi habent ; quanquam tamen hanc lectionem tueri videatur imitatio Virg. Æn. VIII, 394. Ed. — *Volnere amoris.* Amor enim corda ferit, et vulnerat. Hinc Virg. Æn. IV, 2, « vulnus alit venis ».

36. *Suspiciens*, sursum aspiciens Deæ vultum, quippe in ejus gremio caput reponens. Ed. — *Tereti cervice.* Wakef. intelligit *flexili*, non *lævi*, quia hic sensus potius Venerem attingeret, quam amasium ejus durum ac robustum. Quidni tamen lævem et pulchram cervicem tribuas Marti, utpote Deo, et semper juveni, et quem cæteris Diis Venus amatorem prætulit ? Sed epitheton hic, ut sæpius apud priscos scriptores, positum puto propria significatione, id est, rotunditatis in longum porrectæ. Conf. Cic. Arat. Ph. vs. 60 ; Virg. Æn. VIII, 633. Ed.

37. *Pascit visus.* Cic. Phil. XI, 3 : « oculos paverit suos ». Conf. Virg. Æn. I, 464 ; Terent. Phorm. I, 2, 35 ; Claudian. in Ruf. I, 165. — *Inhians in te*, quasi aperto ore appetens te. Translatio est ab animantibus avide, et aperto ore cibum appetentibus, apud poetas frequens. Plaut. Aul. II, 2, 89 ; Stich. IV, 2, 25. Virg. Georg. II, 463 ; Æneid. VII, 814.

38. *Eque tuo pendet*, etc. Recubans enim in gremio Veneris Mars quasi os ori, labra labris affixa tenet. Sic IV, 1188. *Fay.* — *Pendet spiritus*, pars animæ, vel anhelatio suspensa. Hanc quoque locutionem imitatus est Virgil. Æneid. IV, 79 : « *pendet*que iterum narrantis *ab ore* ». Conf. et Q. Curt. III, 6, 10. —Vide Disq. var.

39. *Recubantem corpore*, etc. Jungenda hæc arbitror, non *circumfusa corpore*, ut alii volunt. Jacentem in gremio significat, ut vs. 34. Ed.

40. *Circumfusa*, id est, te circumfundens. — *Loquelas.* Sic apposite appellat suavia ac mellita verba. *Preig.*

41. *Incluta*, clara, nobilis, gloriosa.

42. *Nam neque nos*, etc. Alioquin enim vigente bello debuisset arma cum studiis permutare : nec ipse Memmius illum audire potuisset æquo animo, si quidem a studiis ad arma fuisset avocandus. Scilicet, ut recte ait Cicero Tusc.,

Possumus æquo animo; nec Memmî clara propago
Talibus in rebus communi deesse saluti.
Quod superest, vacuas aureis mihi, Memmius, et te,
Semotum a curis, adhibe veram ad rationem:
Ne mea dona, tibi studio disposta fideli,
Intellecta prius quam sint, contemta relinquas.
Nam tibi de summa cœli ratione Deumque
Disserere incipiam, et rerum primordia pandam;
Unde omneis natura creet res, auctet, alatque;
Quoque eadem rursum natura peremta resolvat:
Quæ nos *materiem* et *genitalia corpora* rebus
Reddunda in ratione vocare, et *semina* rerum
Appellare suemus, et hæc eadem usurpare

nemo bene potest inter belli strepitus ac plebis seditiones æquo animo philosophari. *F.* — *Agere hoc;* huic, quod suscepimus, studio incumbere; naturam rerum explicare versibus; cf. IV, 970. — *Tempore iniquo*, belli tempore, Marianis scilicet ac Syllanis temporibus. Vide supra p. 56 not. — *Iniquo* opponitur τὸ *æquo;* est antithesis.

44. *Talibus in rebus*, in rebus adeo turbulentis. *F.* — *Communi deesse saluti*, non consulere rei publicæ bono, consiliis aut armis eam tuendo. *Fay.*

45. *Quod superest.* Cæterum, quod reliquum est. Sic attentionem sibi prius comparat. — *Vacuas*, otiosas atque attentas.

46. *Semotum*, etc. A negotiis, ab omni cura liberum animum adjunge ad cognitionem veritatis.

47. *Ne mea dona*, opus quod in tuam gratiam scribo. — *Disposta*, disposita et in ordinem digesta.

49. *Cœli ratione.* Alii legunt *cœli regione.* Verum non de cœli ac Deorum regione, sed de intima universaque cœli natura ac ratione disputat Poeta. *Fay.*

50. *Disserere*, id est, varias doctrinas exponere.

51. *Unde*, quibusnam ex rebus, quibus ex principiis, sc. aperiam.—*Auctet*, frequentativum a verbo *augeo.*

52. *Quoque*, in quas res, in quæ primordia. — *Eadem peremta*, easdem res peremptas, et dissolutas. Mutatur quidem genus, quum supra dixerit *res omnes.* Sed hoc Lucretio familiare. Alii *eadem peremta*, nempe *Natura*, sup. *seipsam* resolvat. *F.*—Nodum aliter solvit Preig. qui verbum *peremta* connectit sequentibus *quæ nos*, etc. Sic autem *eadem* refer ad *Natura.* Sed melius forsan hic versus præcedenti respondebit, si solus stet ac separatus. Ed.

53. *Quæ nos materiem*, quæ quidem rerum omnium principia, nos quum pandere et explicare tentamus, variis appellamus verbis, *materiem* scilicet, *corpora genitalia*, *semina rerum*, etc. Ed. — *Genitalia rebus*, ad res gignendas idonea.

55. *Usurpare*, sermone scilicet; notandum tamen verbum sic absolute positum pro *vocare.* Conf. Cicer. in Timæi fragm. c. 11.

Corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.
[Omnis enim per se Divom natura, necesse est,
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.]
Humana ante oculos fede quom vita jaceret
In terris, oppressa gravi sub Religione,
Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans;
Primum Graius homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra:
Quem neque fama Deum, nec fulmina, nec minitanti

57. *Omnis enim per se*, etc. Locus, ut videtur, interpolatus, qui legitur etiam II, 646. Si tamen admittas, sermonis seriem hanc habe: Res omnes e primis corporibus ortæ et concretæ sunt, sed nulla Deorum adjuvante opera; nam Dii rerum naturam neć fecere, nec curant. Ed.

59. *Semota ab nostris rebus*, vel quia Dii nullam nostri curam habent, vel potius quia remoti et necessario sejuncti ab humanarum rerum contactu. Ed.

60. *Privata*, omnis doloris expers, non particeps.

62. *Promeritis*. A verbo *promereor*, id est, bene meritis, gratia. — *Capitur*, flectitur, ducitur, propitiatur. — *Tangitur*, afficitur, commovetur. — *Ira*. Non *ira nostra*, ut quidam pessime volunt, i. e. stultitia qua cœlum petimus (ut ait Hor. Carm. I, 3, 38); sed ira, quam ipsis inculerent *male promerita*, hoc est, flagitia nostra, si quidquam illos mortalium cura remorderet. Cf. Cic. De nat. Deor. I, 17. Ed.

63. *Humana vita*. Quum genus humanum *jaceret* prostratum et abjectum, *ante oculos*, propalam, in medio; si quid tamen valent duo hæc verba, quæ facile equidem expletiva crediderim: nisi mavis acute dictum, *ante oculos* sapientis, vel philosophiæ. Ed.

65. *Gravi sub religione*, exitiali et importuno Deorum timore; gravi superstitionis jugo. Ed.

65. *Ostendebat*. Antiquitus *obtendebat*, i. e. caput coram oculis mortalium exhibebat, et quasi in os ingerebat. *Wak.*

66. *Super instans*, quasi parata esset involare, et eos arripere. *Wakef.*

67. *Graius homo*. Epicurus Athenienses, ex oppido Gargetto, Neoclis filius, cujus laudes et encomia prosequitur Lucretius initio lib. III, et vs. 1055. — *Mortaleis oculos*. Quamvis esset æque mortalis atque illi quos tantopere religio terreret, non dubitavit tamen obtueri et fortiter resistere. *Wakef.*

69. *Quem neque fama Deum*, etc. Quidquid igitur de Deorum potentia, quidquid de Jovis tonitru ac fulmine vulgatum erat hactenus apud mortales atque creditum, id ne vel minimum quidem

Murmure compressit cœlum; sed eo magis acrem
Irritât virtutem animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, et extra
Processit longe flammantia mœnia mundi;
Atque omne immensum peragravit mente animoque:
Unde refert nobis victor, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.
Quare Religio, pedibus subjecta, vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.
Illud in his rebus vereor, ne forte rearis

movit Epicurum : sed alta mentis ratione pervicit omnia, rerumque causas agnovit. *F.*—*Fama,* fabulæ de Diis. Vid. Disq. v. — *Minitanti murmure.* Iisdem verbis usum video M. Tullium in Arateis : « nec metuunt canos *minitanti murmure* fluctus ». Gemello sermone Flaccus Carm. II, 1, 17, « minaci murmure ». *Wakef.*

71. *Irritât* pro *irritavit*, ultima circumflexa. Vide in Disq. var. — *Arcta claustra,* ideoque valide munita, ut sunt urbium portæ. Viam igitur sibi rupit, et longius quam ullus antea in scrutandis naturæ arcanis progressus est. Ed.

72. *Cupiret*, quartæ conjugationis, pro *cuperet.*

73. *Vivida*, potens, acris; quam Arnobius V, p. 179 *ingenii vivacitatem* vocat. *Wakef.*

74. *Flammantia mœnia mundi*, ambitus cœli, quibus tanquam mœnibus cingitur mundus; et quos flammantes vocat propter sidera et ignes æthereos. *F.*

75. *Omne,* universum, τὸ πᾶν, quod ipsum mundum complectitur. — *Peragravit.* Ita Cicero, De fin. II, 31, « innumerabiles mundos mente peragravisset ». — *Mente animoque.* Hæc verba item junguntur apud Horat. Epist. I, 14, 8; cf. et Virg. Æn. I, 304, et VI, 11.

76. *Refert.* Non *ostendit,* ut vult Nonius; sed *reportat* bene exponit Lamb. collato Virg. Æn. IV, 93. Et hoc optime congruit cum verbo *victor.* Ed. —Victor Epicurus refert nobis ex ea veritatis investigatione, atque explicatione naturæ, quid possit nasci, quid non possit : qua ratione suus cuique rei finis sit constitutus, et terminus immotus, stabilis, æternus, altissimeque defixus. *Lamb.*

78. *Terminus hærens.* Cf. Virg. Æn. IV, 614. Metaphora sumpta ex agrorum terminis qui solo infigebantur et inhærebant.

79. *Pedibus subjecta.* Ad hunc locum videtur alludere Virg. Georg. II, 490. — *Vicissim*, quia ipsa modo (vs. 64) mortales opprimebat. Poetice admodum et vivida imagine totus hic locus tractatur. Ed.

81. *Illud in his rebus.* Objectionem præoccupat, negatque in primis se impietatis elementa suadere, aut sceleribus viam sternere, dum religionis metu solvit animos mortalium. *Fay.*

Impia te rationis inire elementa, viamque
Indugredi sceleris; quod contra sæpius olla
Religio peperit scelerosa atque impia facta.
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianassæo turparunt sanguine fede
Ductores Danaum delectei, prima virorum:
Quoi simul infula, virgineos circumdata comtus,
Ex utraque pari malarum parte profusa est;
Et mœstum simul ante aras adstare parentem
Sensit, et hunc propter ferrum celare ministros,

82. *Impia rationis elementa,* impiam disciplinam, ac institutionem. Impia disciplinæ initia, principia.

83. *Indugredi,* vel *endogredi,* pro *ingredi.* Antiqua præpositio *endo* vel *indu* pro *in* : sic passim. — *Quod contra.* Multi legunt *quin contra*, male; *quod* quarto casu positum est : contra hanc tuam opinionem, qua rearis, etc. Hæc autem locutio non semel occurrit apud Ciceronem.— *Olla.* Vide supra pag. 77.

85. *Aulide,* portu Eubœæ insulæ in Bœotia, ubi mactata est Iphigenia ad aras Dianæ. — *Quo pacto,* quemadmodum factum est quum Græci, etc. — *Triviai,* Triviæ, Dianæ.

86. *Iphianassæo,* Iphianassæ, seu Iphigeniæ, quæ filia fuit Agamemnonis; de qua Euripidis exstat fabula. — *Turparunt sanguine.* Sic locutus est Virg. Æn. X, 832.

87. *Delectei.* Sic apud Virg. Ecl. IV, vs. 34, *delectos heroas.* — *Pr. virorum.* Hellenismus; τὰ πρῶτα τῶν ἀνδρῶν. I. e. primi viri, flos virorum, delectus militum. Cf. Ovid. Amor. I, 9, 37.

88. *Quoi simul,* cui simul ac infula, utpote hostiæ, cingens virgineas comas, æqualiter ex utraque parte, etc.—*Infula.* Filamentum laneum, quo et hostiæ, et deditii homines, et supplices, et sacerdotes velari solebant. Virg. Georg. III, 487; Sueton. in Calig. 27. — *Circumdata comtus,* data circum comptus; ἀναστροφή : id est, circumdata capiti comptæ virginis, vel compto capiti virginis. *Lamb.* — *Comtus,* cultus, ornatus, καλλώπισμα.

89. *Ex utraque pari.* Structuram orationis sic ponit Wakef. : « Infula profusa est ex utraque malarum, pari parte, id est, æqua utrobique mensura »; non male profecto ad sensum; sed *malarum* ad *parte* referri ipsa latinitas, opinor, imperat; ut sit ordo : Ex utraque malarum parte, *pari* quidem, pariter, æqualiter velata et ornata. Ed.

90. *Adstare parentem.* Haud ægre crediderim poetam nostrum in hujusce descriptionis ornatu perficiendo fructus aliquid decerpsisse ex celeberrima Timanthis tabula quam laudant Quintil. Inst. Or. II, 13, et Plin. H. N. XXXV, 36. *Wakef.*

91. *Hunc propter,* prope illum stantem et præ dolore immotum (cave ne intelligas : in illius gratiam), sacrificio se accingebant ministri, et cultros, jam expeditos, ex oculis adhuc miserrimæ virginis removebant ipsi misericordia quadam commoti, quanquam in scelus impelleret superstitio. Sic bene loco convenit τὸ

Aspectuque suo lacrumas effundere civeis;
Muta metu, terram, genibus submissa, petebat:
Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donarat nomine regem:
Nam sublata virum manibus, tremebundaque ad aras
Deducta est; non ut, solemni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari hymenæo:
Sed casta inceste, nubendi tempore in ipso,
Hostia concideret mactatu mœsta parentis,
Exitus ut classi felix faustusque daretur.
Tantum Religio potuit suadere malorum!
  Tutemet a nobis jam quovis tempore, vatum
Terriloquis victus dictis, desciscere quæres.

celare. Vide Disquisitiones varias. Ed.

92. *Civeis,* Argivos, immolandæ virginis aspectu commotos.

93. *Submissa,* etc. Hæc verba reddidit Virgil. Æn. III, 93: «submissi terram petimus». Ergo non erat cur *subnixa* substituere tentaret Wakef. Ed.

94. *Miseræ,* Iphigeniæ.

95. *Quod patrio princeps,* etc. Quod major natu fuerit inter liberos Agamemnonis. Sic ipsa apud Eurip. alloquitur patrem, vs. 1220: Πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα, καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ. «Prima te patrem vocavi, tu me filiam.»

96. *Sublata,* sursum ablata, vel quia reluctaretur, vel quia aræ imponenda erat. Hinc occasionem capit alludendi ad veterem morem, quo novæ sponsæ sursum latæ ritu solemni domum mariti deducebantur. Et hac oppositione Poeta miserationem movet et invidiam exaggerat. Ed.

97. *Claro comitari hymenæo,* splendida nuptiarum pompa domum deduci. Sic IV, 1244, *comitari* sumitur passive.

99. *Sed casta,* etc. Sed ut potius, quamvis pura virgo esset, impuris tamen manibus virorum polluta mactaretur. Ed.

100. *Mactatu parentis,* cæde patrata manibus, aut certe jussu patris. Conf. Æschyl. Agam. 23.

101. *Exitus,* exeundi et navigandi copia.

103. *Tutemet a nobis,* etc. Et tu ipse, Memmi, in quacumque vitæ conditione versaberis, opinionem vulgi, non meam hanc sequuturus es, quia animum tuum vicerunt et sub jugo tenent religiosorum fabulæ: illæ tamen adeo vanæ sunt, ut non disparia somnia mihi liceret ad libitum confingere, quæ te pariter, et merito terrerent; nam nullum est homini hodie contra hos terrores auxilium. Obscurior locus et varie tentatus, de quo plura in Disq. var. Ed. — *Quovis tempore.* Nos post Wakef. cum *quæres* junximus; alii referunt ad *victus*, hoc sensu: Per omnem anteactam ætatem, hactenus; non male, præsertim si *jam* vulgato sensu (*déjà*) capias, non pro *etiam*, ut vult Preig. Ed. — *Vatum.* Non modo poetæ, ut opinor, sed etiam quicumque de religione commenta proferunt, ideoque vaticinatores et Deorum ministri. Ed.

104. *Terriloquis*, quæ loquuntur ad terrendos homines.

Quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum
Somnia, quæ vitæ rationes vortere possint,
Fortunasque tuas omneis turbare timore.
Et merito : nam, si certam finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus atque minis obsistere vatum :
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas;
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim, quæ sit natura animai;
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur;
Et simul intereat nobiscum, morte diremta,
An tenebras Orci visat, vastasque lacunas;

107. *Fortunasque tuas,* felicemque tuum vitæ statum.

108. *Et merito.* Supple *turbare possint.* — Se ipsum Lucretius quasi corrigit, et aliquam esse in iis fabulis vim fatetur, dum de anima diversi philosophi diversa pronuntiant. *Creech.* — Hæc verba referri tantum debent ad vs. proxime præcedentem, et dicta intelligi pro : Necessario, quod non mirum est, quod aliter fieri nequit (scil. te vehementer terreri fabulis illis), quia *homines* (quod verecunde dictum est pro *tu,* perinde ac alii homines) qui veriora Epicuri dogmata non sequuntur, nesciunt morte omnia finiri, etc. *Forb.*

109. *Ærumnarum,* si finem miseriarum certam esse in morte cognoscerent.

111. *Restandi,* id est, resistendi; ut apud Ovid. Fast. II, 749; Sil. Ital. VI, 125. *Wakef.*

112. *Timendum,* hellenismus; conf. 139, 382; II, 492, etc. — Hæc autem videtur esse constructio, si res in elementa sua resolvatur, et suppleatur orationis series : timendum est futuras esse pœnas æternas in morte. *Wak.* — Conf. Sanctii Minervam III, 8; Ruddim. Inst. Gr. II, p. 251 sqq. *Forbig.* — Id ex se non dicit Lucretius, sed ex vatum scriptis (commentis); quum contra ex opinione Epicuri nihil mortuis timendum. *Fab.*

114. *Nata sit, an contra,* etc. Animam veteres alii creatam ab æterno voluerunt, incorpoream, et immortalem; alii natam cum corpore, corpoream, et mortalem. Plato creatam ab æterno esse voluit, eamque inter cœli stellas recondi, donec cœlestium tædio, atque amore terrenorum capta, sese insinuaret in corpora nascentium. Aristoteles non creatam ab æterno, sed cum corpore, hoc est, e cœlo oriri tum, quum corpus nascitur, et in corpus infundi, ac in eo manere donec per mortem e corpore remigraret in cœlum. Eam tamen incorpoream ac immortalem esse censuit. *F.* — *Insinuetur,* i. e. se insinuet; ut Propert. III, 9, 28, *insinuentur opes. Wak.*

115. *Et simul intereat,* etc. Quippe quæ et corporea sit et mortalis. — *Diremta.* Et quoniam sit *diremta,* id est, divulsa atque separata a consortio corporis, ideo simul intereat nobiscum. Conf. Cic. Tusc. I, 29. *Wakef.*

116. *An tenebras Orci visat,* id est, in inferos descendat post mortem. Or-

An pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni frunde coronam,
Per genteis Italas hominum quæ clara clueret:
Etsi præterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus edens,

cus enim Thessaliæ fluvius, quia e Stygio lacu inferorum profluere creditus est, vulgo pro inferorum locis usurpari solet apud poetas. *F.*—*Vastasque lacunas.* Vel quas Orcus, ut fluvius, facit; vel potius ingentia inferorum stagna innuit, veluti Stygem, aut evagatas Cocyti et Phlegethontis aquas. Hic procul dubio ipsas Ennii voces exscribi merito contendit Wak., etsi in illius poetæ fragmentis non omnino appareant. Ed.

117. *An pecudes*, etc. Nempe per metempsychosin: quæ Pythagoræ fuit sententia. — *Alias.* Quia homo, teste Horat. Sat. I, 3, 100, «mutum et turpe *pecus*» primo fuit; vel τὸ *alias* abundat, aut potius *pecudes* pro cunctis animantibus Noster posuit. Ed. — *Divinitus*, ex legibus æternæ circumductionis, divina ratione constitutæ. *Wak.* — Ennius apud Varr. L. L. VI: «Inde venit pulleis divinitus insinuans se Ipsa anima». Quem forsan versum Noster respexit.

118. *Ennius ut noster, qui primus*, etc. Ennius poeta Latinus, qui centum circiter annis ante Lucretium vixit. Is autem a Lucretio vocatur *primus* poeta Latinorum, non quidem quod ætate cæteros omnes antecesserit; sed quod e Latinis primus carmen epicum et heroicum scripserit. *F.*—Alludere videtur ad opinionem Ennii ad quam refertur fragm. apud Cic. Acad. II, 16; conf. etiam Horat. Epist. II, 1, 50, et Pers. Sat. VI, 10. Ed.—*Amœno*, arboribus dense consito; Horat. Carm. I, 12, 5, «*umbrosis* Heliconis oris». *Wakef.*

119. *Perenni frunde.* Quam vocat Plinius Hist. Nat. XVI, 93, *æterna fronde*; ex arbore scilicet, cujus folia per anni totius vices florent, nec pallida, nec decidua. *Frunde* vero antiquitus; Charis. I, p. 105: «*Frus*, hujus *frundis*; quod sic ab Ennio est declinatum». *Wakef.*

120. *Genteis Italas hominum*, id est, Italorum hominum. Sic Virg. Æn. XII, 199, «Vimque Deum infernam», pro *infernorum*. Vide infra vs. 475. *Wak.*— *Clueret*, κλύοι, audiret, nominaretur, vel splenderet. Vide Disq. var.

121. *Etsi præterea*, etc. Hæc cum præcedentibus jungenda, ut correctio sit. — Quasi dixerit: Quanquam, ut erumpat a me in immortalem virum vera vox, vix sibi constare videatur Ennius, aut saltem nugas effutire, quum, etc. *Wak.* — *Acherusia templa*, infernas sedes, regiones. «*Templum*, inquit Festus, locus est qui ab omni parte aspici, vel ex quo omnis pars videri potest». Item quoque locus inauguratus. Hic Wakef. vult intelligi altas cavernas, ut *templa cœli*, vs. 1013, pro concavo laqueari. Nescio an recte. Ed.

122. *Edens, quo.* Alii distingunt *edens: quo*; id est, dicens, significans duobus his versibus qui sequuntur; ita ut plane Enniani sint. Equidem tamen malim hic ad Ennii opinionem alludi, quam ejus verba omnino exscribi. Itaque locum sic ordinarem: Ennius, opinionem suam edens immortali carmine, contendit esse infernas sedes, in quas defunctorum manes descendant, etc. Ed.

Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra;
Sed quædam simulacra, modis pallentia miris:
Unde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem lacrumas effundere salsas
Cœpisse, et rerum naturam expandere dictis.
Quapropter, bene quom superis de rebus habenda
Nobis est ratio, solis lunæque meatus
Qua fiant ratione, et qua vi quæque gerantur
In terris; tunc cum primis ratione sagaci,
Unde anima atque animi constet natura, videndum:

123. *Quo neque animæ.* Pythagoricus quidem est, et animarum transmigrationem docet Ennius; sed tamen, ne Plutoni injuriam inferret, devovit inferis non animas, sed spectra, seu simulacra, et quasi animarum umbras, quæ mirifice pallentes, nobis vigilantibus obviæ, aut dormientibus, aut ægris terrorem in animum interdum incutiunt. *Fay.*

124. *Simulacra*, species, imagines, umbræ, spectra. Quæ veteribus tertia fuit natura, ex qua, cum corpore et anima, homo constaret. *F.*—Hæc totidem verbis integra sumpsit Virgil. Georg. I, 477.

125. *Unde*, ex quibus Acherusiis locis. — *Sibi exortam*, visam ante oculos exsurgere, et ab inferis sedibus emergere. — *Semper florentis.* Ipse semper floret, ut sertum, quo coronatur, foliis non deciduis. Multi legunt uno verbo, ut apud Terent. Andr. I, 2, *semper-lenitas.* — *Homeri.* Ennius jactitabat animam Homeri in se transmigrasse; aiebatque sibi Homeri umbram, ex inferis exortam, visam fuisse, quæ amare lacrymans sibi rerum naturam expanderit. Quam stultitiam bene ridet Cicero, loco supra citato, ad vs. 118. *Fay.*—Cf. etiam Cic. in Somn. Scip. c. 1.

126. *Salsas*, amaras; sunt enim salsæ lacrymæ. Alii *falsas*, id est, fictas, non veras; quia revera lacrymas non effudit Homeri imago, sed visa est effundere; minus bene.

127. *Cœpisse.* Ordo est: Commemorat speciem Homeri, inde exortam, cœpisse lacrymas effundere, etc. — Quorsum vero lacrymas effundit Homerus? an miserias istius illætabilis regionis deflens? *Wak.*

128. *Quapropter, bene*, etc. His 9 vss. concludit, quoniam ex rerum ignoratione misere perturbantur homines, non solum res superas penitus nobis esse cognoscendas, solisque ac lunæ meatus: sed etiam perquirendum nobis esse qua vi cuncta in terris regantur; ac præsertim quæ sit natura animæ, et animi; et unde constent; et quæ sit res, quæ obvia nobis vigilantibus aut dormientibus terrorem incutit. Videtur autem Poeta divisionem operis sui instituere his 9 vss. namque lib. I, et II, agit de rerum principiis; III, de natura animæ et animi; IV, de imaginibus et simulacris; V, et VI, de cœlo, æthere, terra, aqua, deque rebus iis, quas hæc continent. *F.*— *Quom*, cui respondet particula *tunc* vs. 131. — *Superis.* Quæcumque ad Deos, cœlum et astra pertinent.

130. *Qua vi*, quæ sit vis ac potentia quæ res terrestres regat, et gubernet.

131. *Cum primis*, pro *inprimis*, id est, præsertim. Cf. Virg. Georg. I, 178.

132. *Anima atque animi natura.* In-

Et quæ res, nobis vigilantibus obvia, menteis
Terrificet morbo affecteis, somnoque sepulteis;
Cernere uti videamur eos, audireque coram,
Morte obita quorum tellus amplectitur ossa.
Nec me animi fallit, Graiorum obscura reperta
Difficile illustrare Latinis versibus esse;
Multa novis verbis præsertim quom sit agundum,
Propter egestatem linguæ et rerum novitatem:
Sed tua me virtus tamen, et sperata voluptas
Suavis amicitiæ quemvis efferre laborem
Suadet, et inducit nocteis vigilare serenas,
Quærentem, dictis quibus, et quo carmine demum
Clara tuæ possim præpandere lumina menti,

fra in lib. III, vs. 137 sqq. discrimen inter animam et animum ipse statuet et explicabit. Ed.

133. *Obvia*, postquam obvia fuit.

136. *Morte obita.* Hic versus iteratur IV, 735. Sic Virg. Æneid. X, 641. — *Obire mortem* est quasi adire; vide etiam ad Cic. pro Sext. c. 38. Ed.

137. *Nec me animi fallit*, etc. Monet hæc omnia, de quibus antea Græci disputaverunt, Latino carmine conscribere arduum opus esse ac difficile, quum propter egestatem linguæ Latinæ, tum propter novitatem rerum. *F.*—*Animi fallit.* Supple, *ratio*. Idem repetit vs. 991. Quæ loca imitatus est Virg. Georg. III, 289 sqq. — *Obscura reperta*, id est, doctrinas subtilissimas quas e reconditioribus naturæ penetralibus deprompserunt Græci, philosophiæ repertores. *W.*

138. *Illustrare*, in novam et inopem linguam transferre et ita luce perfundere, ut evadant clariora. *Wakef.*

139. *Multa ... agundum.* Conf. vs. 112. Alii versum hunc parenthesi includunt, ut 138 et 140 una cohæreant: minus eleganter, ut videtur. Nos Wakef. sequimur, qui locum sic exponit: « Scio difficile esse res tam obscuras in lingua Latina dilucide exponere; præsertim quum sermonis inopia et ipsarum rerum novitas me redigant ad dictiones inauditas hactenus, atque ideo ab hominum communi intellectu remotiores, procudendas ». Ed.

140. *Propter egestatem linguæ*, etc. Scil. *Latinæ*. Cf. vs. 831 sq. et III, 261. Sic Cic. De fin. III, 1, conqueritur de linguæ Latinæ egestate: Manil. III, 40 et seqq. Plin. Epist. IV, 18.

141. *Sperata voluptas.* Alii, *spectata voluptas*, quod præferendum censet Wakef. quia melius Poeta memorare videatur voluptates diu jucundissimo commercio perceptas, quam gaudiorum futurorum spem; quasi diffidere posset amici sui studio et constantiæ, nisi amorem ejus labore demereretur. Vulgata tamen, opinor, bene habet. Ed.

142. *Efferre.* Alii, *perferre*; quod ex interpretatione videtur. Conf. Cic. pro Sext. cap. 48.

143. *Serenas*, tranquillas, quietas. Vide Disq. var.

145. *Præpandere*, quasi facem præferendo lumen afferre, vel quasi e spe-

Res quibus occultas penitus convisere possis.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est
Non radiei solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed Naturæ species, Ratioque:
Quojus principium hinc nobis exordia sumet,
Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.
Quippe ita formido mortaleis continet omneis,
Quod multa in terris fieri cœloque tuentur,
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt; ac fieri divino numine rentur.
Quas ob res, ubi viderimus nil posse creari
De nihilo, tum, quod sequimur, jam rectius inde
Perspiciemus; et unde queat res quæque creari,
Et quo quæque modo fiant opera sine Divom.
Nam, si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus

cula facem exhibere, quæ naviganti viam monstret.

146. *Convisere*, perspicere, et penitus intueri; malit Wakef. *adire*, *attingere*.

147. *Hunc igitur terrorem*, etc. His 13 vss. quo facilius ex hominum mentibus discutiat Poeta et metum Deorum, quem incussit vana religio, et tenebras illas, quas peperit rerum ignoratio, præfatur non radiis solis ac telis diei, hoc est, non exteriori rerum intuitu, sed ratione ac naturæ specie tantum, hoc est, interiori rerum physicarum et per causas, ut aiunt, cognitione atque contemplatione discuti posse. *F.*—Vide II, 58, et III, 91.

148. *Tela diei*, radii solis, qui telorum instar vibrantur.

149. *Naturæ species*, contemplatio, speculatio; Cic. De nat. Deor. II, 62.—*Ratioque*. Vel ipsa ratio, cujus lumine mens humana videat rerum causas; vel ipsius naturæ ratio, sicut vs. 49, dixit *rationem cœli*, id est, cognitionem. *F.*

150. *Quojus principium*, cujus rationis, vel philosophiæ principium ab hoc, quod insequitur, axiomate exordietur. *Wakef.*

151. *Nullam rem e nihilo*. Cf. Pers. III, 84. De hoc veterum physicorum placito plura Gataker. ad Anton. IV, 4, citante Wakef. — *Divinitus*, Deorum voluntate et potentia.

152. *Continet*. Metus hic superstitiosus mortales ita finibus angustis inclusos tenet; mentes eorum adeo coercet et constringit, ut veras rerum causas investigare non audeant. *F.*

153. *Quod*. Alii, *quom*. — *Tuentur*, cernunt, vident oculis. Statim *videre*, scil. animo deprehendere, intelligere.

154. *Quorum operum*. Hi duo versus repetuntur VI, 56 et 90.

157. *Quod sequimur*, id est, quod tractamus, quod probandum prosequimur, quod indagare conamur; nimirum unde res quæque procreetur, etc.

158. *Unde*, quanam ex materia, quibus ex rebus; vs. 76.

160. *Nam, si de nihilo*, etc. Argu-

Omne genus nasci posset; nil semine egeret.
E mare primum homines, e terra posset oriri
Squamigerum genus, et volucres; erumpere cœlo
Armenta, atque aliæ pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta ac deserta tenerent:
Nec fructus îdem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur; ferre omnes omnia possent.
Quippe, ubi non essent genitalia corpora quoique,
Quî posset mater rebus consistere certa?
At nunc, seminibus quia certis quæque creantur,
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies ubi inest quojusque et corpora prima:
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quod certis in rebus inest secreta facultas.
Præterea, quur vere rosam, frumenta calore,

mentum primum proponit, quo probare tentat res cunctas ex nihilo non fieri. Nimirum si res ex nihilo fierent, sane non egerent semine; itaque, quodlibet nasci posset ex quolibet, v. g. homo de mari; pisces et volucres de terra, etc. Atqui jam constat res cunctas fieri ex certis seminibus, et habere sua certa corpora genitalia, ex quibus enascantur. *F.—Fierent.* Scil. *quæque.—Ex omnibu' rebus.* Quanquam veteres literam illam *s* in pronuntiando tantum omisisse videntur, nos ut faciliori lectioni inserviremus, etiam in scribendo omisimus, apostropho usi. *Forb.*

162. *E mare.* Priscian. VII, p. 759: « Vetustissimi solebant hujuscemodi nominum ablativum etiam in *e* proferre ».

164. *Aliæ pecudes.* Vide Disq. var.

165. *Incerto partu:* id est, animalia mitiora temere in desertis nascerentur, sæva autem in cultis locis atque inter homines, quum foret partus sine ulla seminum lege promiscuus. Ed.

166. *Constare,* ordine uno atque imperturbato stare. Virg. Æn. III, 518: « cuncta videt cœlo constare sereno ». *W.*

167. *Ferre omnes* arbores *omnia* fructuum genera *possent.* Sic Virg. Georg. II, 109: « Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt ».

168. *Genitalia corpora,* primordialia, semina rerum; supra vs. 51-57.

169. *Mater.* Eodem verbo utitur Virg. Georg. II, 268.

171. *Inde.* Jungenda sunt hæc duo *inde, ubi,* id est, ex eo loco quæque res nascitur, ubi illius corpora genitalia reperiuntur.

174. *Secreta facultas,* vis propria et peculiaris, distincta et separata.

175. *Præterea, quur,* etc. Argumentum alterum proponit, quo confirmat ex nihilo nihil fieri. Scilicet ex statis anni tempestatum effectibus probat nihil in lucis auras edi, quod certum tempus, ut generetur, non postulet. Sic v. g. rosa explicatur vere: segetes fundunt frugem

Viteis auctumno fundi sudante videmus;
Si non, certa suo quia tempore semina rerum
Quom confluxerunt, patefit quodquomque creatur,
Dum tempestates adsunt, et vivida tellus
Tuto res teneras effert in luminis oras ?
Quod si de nihilo fierent, subito exorerentur
Incerto spatio, atque alienis partibus anni :
Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genitali
Concilio possent arceri tempore iniquo.
Nec porro augendis rebus spatio foret usus

æstate : vitis maturas uvas fovet in autumno. Igitur argumento est certa rerum semina postulare certam et statam anni tempestatem, ut ad rerum concretionem confluant atque concilientur. *F.* — *Calore*, caloris æstu ; æstate ; sic Virgil. Georg. I, 297 : « rubicunda Ceres medio succiditur æstu ». Ed.

176. *Fundi.* Quod quidem verbum tribuitur et rosæ, et frumentis, et uvis. Dicitur enim rosam fundi vere, id est, explicari ; Cic., frumenta fundi calore, seu æstate, i. e. elici, vel emitti ; uvas fundi autumno, i. e. mitescere seu maturescere. *Fay.* — Hæc equidem Ciceronis loca non inveni ; sed vide Tuscul. V, 13, § 37 ; de Nat. Deor. II, 62, § 156. — *Fundi* autem simpliciter dictum puto pro : uberrimo proventu emitti. Ed. — *Sudante.* Vulgatam tueor, quanquam Wakef. illud hebeti atque inscita ratione factum arguat, malitque *suadente*, quasi blandis vocibus compellante, et commodissimam se effundentibus spondente tempestatem. *Sudare* autem mihi poetice dici posse videtur de autumno, qui vi maturitatis et fecundis roribus largum succi humorem uvis aliisque fructibus subministrat. Ad quem verbi sensum cf. Virg. Ecl. IV, 30, et VIII, 54. Ed.

177. *Si non*, etc. Cur hoc videmus, nisi quod, quum propria rerum semina idonea tempestate coierint, tunc se ostendat et explicet, quodcumque gignitur, ob anni tempestatem peculiariter convenientem ?

179. *Tempestates*, commoda et opportuna anni tempora.—*Adsunt*, favent, opitulantur. *W.*— *Vivida*, vegeta, valida.

180. *Res teneras*, quum recenter sint natæ. Eodem pacto Virg. de vernis fœtibus Georg. II, 343, *res teneræ*. Neque inobservatum ille habuit hunc locum eod. lib. vs. 332. *Wak.*

181. *Exorerentur*, tertiæ conjug.

182. *Incerto spatio*, tempestatum anni ; modo hoc, modo illo tempore. — *Alienis*, intempestivis, non idoneis. Sic *alienis mensibus* apud Virgil. Georg. II, 149.

183. *Quippe ubi*, quippe quia. Formula Nostro varie usitata ; I, 168, 243 ; al. Virg. G. I, 505. Ed.

184. *Concilio ... genitali*, concursu valente ad res gignendas : congregatione et cœtu genitabili. Sic 518, 772 ; II, 564, 919, etc. — *Iniquo*, iis augendis et maturandis incommodo. *Wak.*

185. *Nec porro augendis*, etc. Argumentum tertium proponit ; idque ex naturali rerum incremento deductum. Si enim, inquit, res fierent ex nihilo, subito quoque augerentur, neque opus esset tempore ad hoc, ut crescerent. Hinc sta-

Seminis ad coitum, e nihilo si crescere possent :
Nam fierent juvenes subito ex infantibu' parvis,
E terraque, exorta repente, arbusta salirent :
Quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
Paullatim crescunt, ut par est, semine certo;
Crescentesque genus servant : ut noscere possis
Quidque sua de materia grandescere, alique.
Huc accedit, uti sine certis imbribus anni
Lætificos nequeat fetus submittere tellus;
Nec porro, secreta cibo, natura animantum
Propagare genus possit, vitamque tueri :
Ut potius multeis communia corpora rebus
Multa putes esse, ut verbeis elementa videmus,
Quam sine principiis ullam rem exsistere posse.
Denique quur homines tantos natura parare

tim infans evaderet in adultum, etc. *F.*— *Usus*, opus. Sic Virgil. Æn. VIII, 441, « nunc viribus usus ». Sic Cic. Offic. I, 26, § 92 : « Si quando usus esset ».

186. *Seminis ad coitum*, id est, simul ac semina confluxissent; ergo *ad* hic positum pro *juxta*, *statim post*.

190. *Semine certo*. Vide ad vs. 170.

191. *Crescentesque*. Multi legunt *crescundo*, ut verba aptius congruant; sed potest repeti *res* e vs. 185; qua de anomalia Wak. citat Sanctii Minervam I, 18, et plura ipse apud Nostrum loca similia defendit, I, 283, 353, 1099; II, 909, al. Hanc igitur lectionem codicum auctoritate commendatam admittere non dubitavi, parum adversante Forbigero. Ed.

193. *Huc accedit, uti*, etc. Argumentum quartum deductum ex alimenti necessitate in rebus ad hoc, ut crescant. Sic v. g. sine certis anni imbribus terra non valet certos fetus emittere : sic animalia sine alimento non valent aut vitam tueri, aut genus propagare, etc. *F.*

194. *Lætificos fetus*. Ut *lætas segetes* Virg. Georg. I, 1. — *Submittere*. Supra vs. 7.

195. *Secreta cibo*, separata ab alimentis ideoque eis privata.

196. *Propagare*, multiplicare, amplificare. — *Vitamque tueri*, a fame atque aliis infortuniis, quibuscum mortalitas luctari solet, defendere. *Wakef.*

197. *Ut potius*. Tantum abest ut nulla sint rerum principia, ut potius plura communiter exsistere crediderim. Ed.

198. *Elementa*, literas, quas elementa vocant a similitudine. Sicut enim elementa dicuntur prima rerum principia, ita literæ, quia ex iis primis syllabæ et voces formantur, elementa vulgo dicuntur. *F.*

200. *Denique, quur homines*, etc. Quintum argumentum, quod deducitur ex certa et finita rerum concretarum magnitudine ac duratione. Namque si ex nihilo gignerentur v. g. homines, cur in immensam magnitudinem non crescerent? Cur multa secula non viverent? etc. *F.*

Non potuit, pedibus quei pontum per vada possent
Transire, et magnos manibus divellere monteis,
Multaque vivendo vitàlia vincere secla;
Si non, materies quia rebus reddita certa est
Gignundeis, e qua constat quid possit oriri?
Nil igitur fieri de nilo posse fatendum est;
Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ
Aeris in teneras possent proferrier auras.
Postremo, quoniam inculteis præstare videmus
Culta loca, et manibus meliores reddere fetus,
Esse videlicet in terris primordia rerum;
Quæ nos, fecundas vortentes vomere glebas,
Terraique solum subigentes, cimus ad ortus.
Quod si nulla forent, nostro sine quæque labore

201. *Pedibus quei pontum*, etc. Qualis fingitur Polyphemus Æn. III, 664 sq. — Quibus tanta foret proceritas, ut per pontum gradientibus ipsa maris altitudo tanquam vadum facile pedibus transeatur. Ed.

203. *Vitalia secla.* Qualia nempe vivunt communis plebes hominum : *virûm secula* vocavit Virg. Georg. II, 295. *Wakef.*

204. *Si non, quia*, etc. Eadem locutio supra occurrit vs. 177. — *Reddita*, i. e. data, attributa, assignata.—*Certa*, finita, quæ terminum vitæ pariter et accretionis reddat. Neque enim quælibet atomus datur ad quodlibet incrementum, aut ad quantumvis vitæ spatium. *Fay.*

208. *Aeris in teneras*, etc. Ut *tenerum aera* II, 145, id est, mollem, facile cedentem. Conf. Virg. Æn. IX, 699. *Wak.* — *Possent*, nempe in omni ævo præterito, ut nunc etiam proferuntur. Alii, *possint*. *Wak.*

209. *Postremo, quoniam*, etc. Argumentum sextum et ultimum proponit. Scilicet, quæ terra rudis et inculta manet, non nisi rudes et agrestes fetus gignit : quæ vero cultu et labore hominum excolitur, meliores fundit fruges. Igitur insunt terris semina, quæ cultu quasi expergefacta surgant ad meliores rerum ortus ac generationes. Non ergo ex nihilo res fiunt. *Fay.*

210. *Manibus.* Vel tertius, vel sextus est casus. Opere rustico, cultura, fundunt meliores fruges; vel agricolis tellurem subigentibus lætiores fructus rependunt ac retribuunt. Wakef. apte hoc loco citat Virgilii similem locutionem Æneid. IX, 704 : « neque enim jaculo vitam ille dedisset ». Ed.

211. *Esse videlicet*, pro, videre licet esse; sic etiam *scilicet* cum infinitivo jungitur. Cf. Terent. Heaut. IV, 8, 16.

212. *Quæ nos*, etc. Hi duo vss. iterantur V, 211. — *Vortentes vomere.* Cf. Virg. Georg. III, 525.

213. *Terraique solum.* Solum terræ proprie hic sumitur pro suprema terræ superficie, quæ sale quodam solidatur ac conditur, quo uberior fiat, ac gramine

Sponte sua multo fieri meliora videres.
Huc accedit, uti quidque in sua corpora rursum
Dissolvat natura, neque ad nihilum interimat res.
Nam, si quid mortale e cunctis partibus esset,
Ex oculis res quæque repente erepta periret:
Nulla vi foret usus enim, quæ partibus ejus
Discidium parere, et nexus exsolvere posset.
Quod nunc, æterno quia constant semine quæque,
Donec vis obiit, quæ res diverberet ictu,
Aut intus penetret per inania, dissoluatque,
Nullius exitium patitur Natura videri.
Præterea, quæquomque vetustate amovet ætas,
Si penitus perimit, consumens materiem omnem,

luxuriet. *F.*— *Cimus ad ortus*, provocamus ad oriendum, facimus oriri et nasci.

215. *Sponte sua*, sua vi; per se; sine manu hominum ac cultura. — *Multo meliora.* Quia mortali ingenio valde solertius naturæ artificium.

216. *Huc accedit*, etc. Alterum nunc physicorum effatum proponit; scilicet *in nihilum nil posse reverti.* Quod quidem principium ita primo accedit, ut non aliud, sed illius pars esse videatur. Solent quippe hæc duo principia simul copulari. Pers. Sat. III, 84. *F.* — *In sua corpora*, in ea principia, ex quibus constat, resolvitur.

218. *Nam, si quid mortale*, etc. Argumentum primum. Scilicet, si qua res in nihilum resolvi posset, ea mortalis esset secundum omnes suas partes, atque adeo posset repente interire, et sine ullo conamine; neque vi opus esset, aut extrinseca, qua icta interimeretur; aut intrinseca, qua intus penetrata dissolveretur. *Fay.*

219. *Repente periret*, id est, eodem horæ momento quo cessarent *videri* res, cessarent *esse*. *Wak.*

220. *Usus.* Cf. vs. 185. — *Ejus*, sc. cujusque rei.

221. *Discidium.* A verbo *discindo.* I. e. dissolutionem, vs. 250.—*Nexus*, compagem et coagmentationem dissolvere.

222. *Quod nunc.* Alii legunt, ex interpretatione ut videtur, *at nunc. Quod*, κατ' ὁ, vel ὁ, qua ratione; sic vs. 235, 411, 903; cf. etiam I, 656; II, 124.

223. *Obiit*, obvenit, incurrit. Ovid. Met. XI, 418, « ora pallor obit ». *Wak.* — *Diverberet*, dissecet, disjungat. — *Ictu*, plaga extrinsecus incussa. Duplici quippe ratione res interire posse notat, vi externa, aut interiori.

224. *Per inania*, per vacua spatia quæ rebus insint intermixta. Res enim omnis, ut infra dicetur, inani constat et corpore, i. e. atomis et vacuo, vs. 420. *F.*

225. *Exitium.* Innuitur hic non *exitium* proprie sic dictum, sed dissolutio partium tantummodo, et in aliam quamvis speciem conversio, quæ oculis tenus verum *exitium videri* potest. *Wak.*

226. *Præterea, quæquomque*, etc. Argumentum secundum. Quum superior ratio de iis tantum rebus concluderet, quæ violenter dissolvuntur, nunc ut omne

Unde animale genus generatim in lumina vitæ
Reducit Venus; et reductum dædala tellus
Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens?
Unde mare ingenuei fontes, externaque longe
Flumina suppeditant? unde æther sidera pascit?
Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt,
Infinita ætas consumse ante acta, diesque.
Quod si in eo spatio atque ante acta ætate fuere,
E quibus hæc rerum consistit summa refecta,
Immortali sunt natura prædita certe:

subterfugium occludat, hoc altero argumento evincit Lucretius, ne res quidem, quæ naturali via corrumpuntur, etiam in nihilum reverti. Namque si res omnis interemta in nihilum rediret, nulla igitur jam res superesset, ex qua nova fieret generatio rerum, alimentum, et augmentum. *F.*—*Amovet ætas*, longa annorum series amovet ex oculis, conficit.

228. *Animale genus*, animalia cuncta; conf. vs. 4. — *Generatim*, suo quodque genere; supra vs. 21.

229. *Reducit*, propagat, et in locum intereuntium alia reficit. Alii, metro consulentes, legunt *Redducit*, et sic sæpius alibi; parum interest. — *Dædala*. Supra vs. 7.

230. *Generatim pabula*. Punctum post *generatim* poni jubet Bentleius; sed vulgata cum loci hujus sensu melius congruit: « Unde animalia vicissim producuntur, et pabulis cuique generi convenientibus, sustentantur? »

231. *Ingenuei*, nativi; hoc est, non arte, sed natura facti. Vel perennes, qui perpetua scaturigine naturaliter erumpunt: ita interpretatur P. Gassendi. Vel, ut apud alios poetas, *virginei*, *casti*, sinceri, clari, non turbati et permixti. — Wak. post *mare* distinguit, et *suppeditant* pro *suppetunt*, *sufficiuntur* passive dictum putat; non male quidem. Sed totius phrasis tenor poscere videtur ut *suppeditant* active accipiatur; namque ut Venus *reducit*, ut tellus *alit*, ut æther *pascit*, sic etiam fontes *suppeditant*. Significat igitur eos nunquam exhaustos sufficere alendis fluminibus implendoque Oceano. Ed.—*Externaque longe*. Wak. corrigit *æterna*, optime ad sensum, nisi quod sic τὸ *longe* abundaret. Nec male vulgata: fluvios procul peregrinantes, longis errantes cursibus, ideoque majorem aquarum copiam trahentes. Ed.

232. *Æther sidera pascit*. Loquitur ex eorum opinione, qui solem ac sidera crediderunt esse ignes, quos pastu egere, et Oceani humoribus ac terræ vaporibus ali voluerunt. Cic. Nat. Deor. II. *F.* — Virg. Æn. I, 608.

233. *Mortali corpore*, materia interitura ac dissolubili.

234. *Consumse*, syncope, pro consumsisse. — *Ante acta*, *diesque*. Alii jungunt hæc verba, et post *consumse* distingunt. *Dies* hic pro *tempus* dictum. Noster infra 558: « longa diei infinita ætas ». Innuit longam annorum seriem et infinitum tempus quod jam præteriit. Ed.

235. *Fuere*. Supp. semina, principia quædam rerum.

236. *Rerum summa*, Natura, Universum.

Haud igitur possunt ad nilum quæque revorti.
Denique res omneis eadem vis causaque volgo
Conficeret, nisi materies æterna teneret
Inter se nexu minus aut magis indupedita;
Tactus enim leti satis esset causa profecto;
Quippe, ubi nulla forent æterno corpore, quorum
Contextum vis deberet dissolvere quæque.
At nunc, inter se quia nexus principiorum
Dissimiles constant, æternaque materies est,
Incolumi remanent res corpore, dum satis acris
Vis obeat, pro textura quojusque reperta.
Haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes

239. *Denique, res omneis*, etc. Argumentum tertium. Nimirum ex Epicuri doctrina dispares sunt ac variæ rerum concretiones, pro dispari ac vario atomorum coitu. Licet enim atomi sint immortales, ex iis tamen mortalia fiunt corpora, quæ minus aut magis difficiliter dissolvuntur, pro minori aut majori nexu, quo atomi retinent illa. His ita positis sic argumentatur : Si cunctæ res concretæ redirent ad nihilum, dum intereunt, nec in iis esset materies æterna, quæ minus aut magis retineret illarum nexus, profecto vis eadem ac causa, v. g. levior tactus, res cunctas nullo discrimine dissolvere ac interimere posset. *F.* — *Eadem vis.* Wakef. intelligit illam, quæ modo memorata est vs. 234, vim vetustatis exitium inevitabile tandem inducentis; perperam, opinor. Sensus enim indicatur τῷ *tactus* vs. 242; cf. etiam mox 248. Ed.

240. *Æterna*, interitui non obnoxia.

241. *Indupedita.* Rectæ constructionis foret *indupeditas*, nempe res; sed conf. sup. v. 191 (et statim sequitur *nulla* vs. 243). Ordo est : « Nisi materies æterna teneret impedita nexu minus aut magis inter se »; ita ut vi majore vel minore dissolvi possint res in sua primordia, mox in novas species coalituræ, sed interituræ nunquam. *Wak.*

242. *Tactus enim leti.* Hæc jungit Wak. exponitque : Si vel tangeret mors, omnia perirent. Melius alii interpretes : solus tactus, levissimus ictus sufficiens foret leti causa. *Satis causa* durior videtur locutio, quam tamen nonnullis defendere posses exemplis. Vide Burm. ad Virg. Æn. III, 348, et Ernest. in Clav. Cic. sub v. *Satis.* Ed.

243. *Quorum.* Sic omnes Mss. sed in quibusdam edd. corrigitur *eorum;* male; nam sensus idem est : quippe quorum contexturam, compagem vel minima vis dissolveret, si nihil in iis foret quod destrui nequeat. Nolim igitur interpretari *quippe ubi*, quippe quia, ut vs. 183, et 989. Ed.

246. *Dissimiles*, dispares, varii, diversi, ita ut res concrescere et connecti queant. Quod quidem non probat, sed ex Epicuri doctrina assumit. — *Æternaque materies.* Quod probabit vs. 460 et seqq.

247. *Incolumi remanent.* Inde sequitur ut res tamdiu perstent integræ, donec vis reperiatur quæ *obiens* (vs. 223),

Discidio redeunt in corpore materiai.
Postremo, pereunt imbres, ubi eos pater Æther
In gremium matris Terrai præcipitavit :
At nitidæ surgunt fruges, rameique virescunt
Arboribus; crescunt ipsæ, fetuque gravantur.
Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum :
Hinc lætas urbeis pueris florere videmus,
Frundiferasque novis avibus canere undique sylvas :
Hinc fessæ pecudes pingues per pabula læta
Corpora deponunt; et candens lacteus humor
Uberibus manat distentis : hinc nova proles

incurrens, possit propriam cujusque rei contexturam dissolvere. Ed.

250. *Discidio,* dissolutione, vs. 221. — *Redeunt in corpore,* dissolutis partibus, in atomos redeunt, et Materiæ *magno se corpore miscent,* ut ait Virgil. Æn. VI, 727. Vide Disq. var. Ed. — *Corpus* autem *materiæ,* nihil aliud est quam materia ipsa.

251. *Postremo, pereunt,* etc. His 15 vss. præoccupatio est, quæ quarti argumenti locum tenet. Poterat quippe aliquis objicere multas res, quæ perire videantur, ac in nihilum reduci; v. g. pluviæ, ubi ceciderunt ex aere in terram, ita exsiccantur, ut penitus evanescant. Cui respondet præclara inductione, qua probat tantum abesse ut pluviæ decidentes penitus intereant, ut etiam ex iis, tanquam ex seminibus novis, terra fetus fundat, arboresque virescant, ac fructus ferant, etc. *F.—Pater Æther,* etc. Virg. Georg. II, 325, hunc Lucretii locum imitatus est. Cf. infra II, 990. — Et totus hic locus rerum suavitate et carminis elegantia dignus profecto qui Virgilio facem prætulerit! Ed.

253. *Nitidæ,* lætæ, uberes, quasi primo sui ortus flore nitescentes.

254. *Crescunt ipsæ.* Non modo imbres efficiunt ut rami arborum virescant, sed arboribus ipsis vigorem et incrementum sufficiunt. Male igitur Fab. intelligit *ipsæ,* sine cultu humano, propria vi. Ed.

255. *Hinc alitur,* ex his frugibus et fetu arborum.

256. *Pueris florere,* nova prole abundare; V, 1441.

257. *Novis avibus.* Vel implumibus, et modo natis; vel minus stricte, generis novi fetu. *Wak.* — *Canere,* cantu resonare, loqui. Sic Manil. III, 651 : « totumque canora Voce nemus loquitur ».

258. *Hinc,* ex quibus fructibus, ut supra vs. 255. — *Fessæ,* non labore, sed pinguedine gravatæ, vel etiam onere gestandi fetus. — *Pingues per pabula.* Hæc jungit Wak. exponitque : Pingues ope pabulorum. Equidem potius interpretarer : Hinc pinguefactæ pecudes, ideoque facilius fessæ, requiescunt per pascua fertilia. Neque crediderim cum Bentl. hic partum innui per *corpora deponunt.* Melius Forb. intelligit de pecudibus gravidis et ubera præbentibus. Ed.

260. *Distentis,* lactis copia turgentibus. Sic Virg. Ecl. IV, 21 : « Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Ubera ». — *Nova proles.* Puta ovium, aut capellarum.

Artubus infirmis teneras lasciva per herbas
Ludit, lacte mero menteis perculsa novellas.
Haud igitur penitus pereunt quæquomque videntur;
Quando alid ex alio reficit Natura, nec ullam
Rem gigni patitur, nisi morte adjuta aliena.
Nunc age, res quoniam docui non posse creari
De nihilo, neque item genitas ad nil revocari;
Ne qua forte tamen cœptes diffidere dicteis,
Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;
Accipe præterea, quæ corpora tute necesse est
Confiteare esse in rebus, nec posse videri.
Principio, venti vis verberat incita pontum,
Ingenteisque ruit naveis, et nubila differt;
Interdum, rapido percurrens turbine, campos

261. *Lasciva*, petulans, ludibunda, lasciviens. Virg. Ecl. III, 64.

262. *Lacte mero*, puro et almo, *perculsa* (ut supra vs. 13) *mentes novellas*, teneras, utpote recenter natas. Noster enim III, 766, ait «in tenero tenerascere corpore mentem».

264. *Quando alid*, antiquo more, pro voce *aliud*, sicut *alis* pro *alius* apud Sallust. Bell. Cat. in fine. Vide Sosip. Charis. p. 133; Diomed. p. 323; Prisc. p. 959. Adde Voss. Etymol. sub v. *Alis*, et Schneid. Gramm. Lat. I, p. 116.

265. *Adjuta*, natura quæ excitata, impulsa. Corruptio quippe unius, est generatio alterius. Lambino *adjutam*, supp. rem.

266. *Nunc age*, etc. His 64 vss. totus jam in id incumbit Lucretius, ut ex data occasione evincat primordia, quas atomos vulgo vocant, etsi cæca sint, hoc est, sub oculos nostros non cadant, vera tamen et solida esse corpora. Igitur licet res in interitu videantur penitus interimi, supersunt tamen semper corpora materiæ, æterna et immortalia. Rem autem totam probat a simili, ut aiunt; variaque rerum corporearum exempla congerit, quæ vera corpora esse nemo negaverit, sed quæ tamen oculis cerni nequeunt. Puta ventos, odores, calores, frigora, voces, etc. *F.*

268. *Ne qua*. Supple, ratione, causa. — *Cœptes diffidere*. Ne qua tamen suspicio tibi suboriatur me vera non eloqui, quia rerum principia oculis distingui non possunt, audi argumenta quibus opinionem fulciam. Ed.

272. *Principio, venti*, etc. Primum exemplum repetit a ventis, quos quidem vera esse corpora ex eo arguit, quod sensus impellere possunt: «Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res». Hinc occasione data præclaram validi venti descriptionem facit, quem modo furenti mari, modo torrenti horrendo comparat. Sic Virg. Georg. I, 316 sqq. vim venti describit. *F.*

273. *Ruit*, id est, subruit, evertit; Virg. Æn. I, 85. — *Differt*, dissipat et disjicit; in diversum aufert. Conf. Virg. Georg. III, 197.

Arboribus magnis sternit, monteisque supremos
Sylvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus.
Sunt igitur ventei nimirum corpora cæca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.
Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant,
Ac quom mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti; quem largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decursus aquai,
Fragmina conjiciens sylvarum, arbustaque tota:
Nec validei possunt pontes venientis aquai
Vim subitam tolerare; ita, magno turbidus imbri,

275. *Arboribus sternit,* cooperit; elegantius dictum quam *arbores campis sternit.* — *Monteis supremos,* summa montium cacumina. Sic Virg. Georg. IV, 460. *Wak.*

276. *Sylvifragis,* sylvas frangentibus, hoc est, acribus et validis flatibus. — *Vexat,* vehementer agitat, et conturbat. Virg. Ecl. VI, 76. — *Ita.* Particula exclamationis quæ conclusioni sæpissime inservit (ut mox vs. 287); sed hoc loco aliena, si *pontus* tuearis; nisi tamen intelligas pro *ideoque, itaque* dictam; at sic quoque locus vix sanus erit. Vide Disquis. var. Ed.

278. *Cæca,* quæ sub oculos non cadant. Sic *vada cæca* Virg. Æn. I, 593.

280. *Verrunt.* Virg. Æn. I, 63. — *Vexantia.* Refer ad *corpora;* alii legunt *vexanti turbine,* eodem sensu; nisi *vexantia* passive dictum accipias: pro *res omnes istas,* quæ vexantur, et concussæ dejiciuntur; ut apud Virg. Æn. X, 363, *saxa rotantia,* etc. sed minus placet. Ed.

281. *Nec ratione fluunt,* etc. Nunc ventorum vim comparat cum torrentis impetu. Qua comparatione belle quidem et vis et propagatio ventorum adumbratur. Ventus enim et fluvius sunt uterque fluidus, etc. *F.* — *Stragemque propagant,* id est, longe et late omnia evertunt ac ruinas faciunt.

282. *Mollis aquæ,* quæ facile cedit. Sic *mollis aqua* dicitur saxa cavare, Tibull. I, 4, 18, et Ovid. Art. Am. I, 475.

283. *Abundanti.* Virg. Georg. I, 115. — *Quem.* Sic e Mss viri docti edidere, ut respectus tacitus habeatur ad dictionem *fluvium* in *flumine* delitescentem. Quæ tamen ratio paulo durior mihi videtur: malim *quod.* Ed.

284. *Decursus aquai.* Torrentem innuit. Sic Ovid. Met. XV, 266. — Conf. Homer. Iliad. E, 87.

285. *Conjiciens,* una dejiciens, et promiscue correpta secum trahens. Ed.

287. *Turbidus.* Quæ vox quum amnem lutulentum et sordibus aut cruore infectum vulgo exprimat, corrigunt quidam *turgidus;* frustra, opinor; quum lectio vulgata turbulentam et turbineam vim amnis bene significet. Conf. Virg. Æn. XII, 283 et 685. Ed.

Molibus incurrit validis cum viribus amnis;
Dat sonitu magno stragem; volvitque sub undis
Grandia saxa; ruit, qua quidquam fluctibus obstat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri:
Quæ, veluti validum quom flumen procubuere
Quamlibet in partem, trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris; interdum vortice torto
Corripiunt, rapideique rotanti turbine portant.
Quare etiam atque etiam sunt ventei corpora cæca;
Quandoquidem, factis et moribus, æmula magneis
Amnibus inveniuntur, aperto corpore quei sunt.
Tum porro varios rerum sentimus odores;
Nec tamen ad nareis venienteis cernimus unquam;
Nec calidos æstus tuimur, nec frigora quimus
Usurpare oculis; nec voces cernere suemus:

288. *Molibus*, obstaculis, objicibus (*les digues*) vel saxeis pilis quæ pontes impositos sustinent. Ed. — *Cum* eleganter abundat, ut sæpius; qua de re conf. Perizon. ad Sanctii Minervam IV, 6, not. 8. *Forb.*

290. *Ruit*, diruit, *qua quidquam*. Sic Wak. Eichst. Forbig. At vulgo editur *quidquid*, hoc sensu: *ruit*, disjicit, evertit quidquid sibi obstat, et *qua*, id est, quo maxime loco obstat. Ed.

292. *Quæ, veluti*, etc. Quæ postquam, magni torrentis instar, in partem quamlibet incubuerunt, etc. Conf. Virg. Æn. I, 86 sqq. Ed.

293. *Trudunt res ante, ruuntque*. Venti omnia trudunt ante se, id est, interprete Virgilio, « ferunt rapidi secum »; vel *ruunt*, funditus evertunt. Non male etiam Wak. suadet ita distingui, « trudunt res, ante ruuntque ». Minus bene Haverc. conjungit *res* cum *ante*, ut sint res anteriores, oppositæ. Nec velim *ruunt* exponi *feruntur*. Ed.

295. *Rapidei*, scil. *ventei*; quæ vox ex præcedd. (vel etiam e vs. sq.) supplenda; nam proxime Noster dixerat *flamina*. Sed cf. vs. 191. Hinc ortæ variæ lectt. de quibus in Disq. var. Ed.

296. *Quare etiam*, etc. Concludit iterum iisdem verbis quæ præmiserat vs. 278. Ed.

297. *Moribus*. Tralatio ab hominibus ducta. Sic Virg. Georg. I, 51, « varium cœli morem » dixit.

298. *Aperto*, id est, nudo, manifesto, quod oculis usurpari possit. Virg. Æn. VI, 406: « *aperit* ramum qui veste latebat ». *Wak.*

299. *Tum porro varios*, etc. Nunc repetit alterum exemplum ex odore, ex calore ac frigore, et ex vocibus. Hoc est, vocat in rei testimonium sensus omnes, quorum objecta, quæ vocant, vera sunt corpora, quum tamen pariter sub oculos non cadant. *F.*

301. *Tuimur* tertiæ conjug. Dicimus enim *tuor* et *tueor*.

Quæ tamen omnia corporea constare necesse est
Natura, quoniam sensus impellere possunt:
Tangere enim aut tangi, nisi corpus, nulla potest res.
  Denique fluctifrago suspensæ in litore vestes
Uvescunt; eædem dispansæ in sole serescunt:
At neque, quo pacto persederit humor aquai,
Visum est, nec rursum quo pacto fugerit æstu.
In parvas igitur parteis dispergitur humor,
Quas oculei nulla possunt ratione videre.
  Quin etiam, multis solis redeuntibus annis,
Annulus in digito subter tenuatur habendo:
Stillicidî casus lapidem cavat: uncus aratri
Ferreus occulte decrescit vomer in arvis:
Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conspicimus: tum portas propter ahena

305. *Tangere enim*, etc. Scilicet ex Epicuri principiis, quidquid tangere potest, aut tangi, id verum ac solum est corpus. Sic et Arist. Physic. ausc. IV, σῶμα οἴονται εἶναι πᾶν ἁπτόν. Cf. infra vs. 455. Sic II, 434; III, 167, etc.

306. *Denique*, etc. Exemplum tertium ex humore roscido, quem vestes in litore maris appensæ de nocte bibunt: et quem rursum calor solis exsiccat. *F.* — *Fluctifrago.* Solent enim ad litora frangi maris fluctus.

307. *Dispansæ*, quum panduntur, et explicantur ad solis radios. Vide Disq. var. — *Serescunt*, siccantur. Sic *serenus*, siccus, apud Virg. G. I, 461. *Hav.*

308. *Quo pacto persederit*, quomodo vestibus illis penetrando inhæserit. Sic apud Virg. G. III, 442, « imber altius persedit ». Ed.

309. *Æstu*, per solis calorem.

312. *Quin etiam*, etc. Exemplum quartum proponit quum ex annulo, qui digito diu gestatus extenuatur; tum etiam ex vomere, qui terram scindendo teritur: et ex pavimento, quod pedibus populi minuitur: et ex lapide, quem cavat aquæ gutta, etc. *F.*—Sic Ovid. præclare IV de Pont., 10, v. 5 sq. « Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu, Et teritur pressa vomer aduncus humo, etc. » — *Solis annis.* Ex ornatu poetico, quum sol sit anni dominus et rector. Sic *lustra solis* V, 929. *Wak.* — Vide Disq. var.

313. *Subter*, qua parte carnem tangit. *Lamb.* — *Habendo*, dum habetur, dum gestatur. Sic Virg. G. II, 250, « lentescit habendo »; cf. infra vs. 534. Ed.

314. *Stillicidî.* Eamdem sententiam tractat IV, 1280.

315. *Ferreus.* Vomer aduncus aratri, quamvis sit e ferro conflatus, sensim tamen minuitur, « sulco attritus », ut ait Virg. G. I, 46. Ed.

316. *Strata ... viarum saxea*, hoc est, stratæ lapidibus viæ. Conf. Virg. Æn. I, 422.

317. *Portas propter*, hoc est, propter, seu prope portas, supp. urbium. Scilicet simulacra ænea ponebantur olim ad por-

Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.
Hæc igitur minui, quom sint detrita, videmus;
Sed, quæ corpora decedant in tempore quoque,
Invida præclusit speciem natura videndi.

Postremo, quæquomque dies naturaque rebus
Paullatim tribuit, moderatim crescere cogens,
Nulla potest oculorum acies contenta tueri;
Nec porro quæquomque ævo macieque senescunt:
Nec, mare quæ impendent, vesco sale saxa peresa
Quid quoque amittant in tempore, cernere possis.
Corporibus cæcis igitur natura gerit res.

tas urbium, quæ salutarent ii qui ex urbe peregre proficiscerentur, et qui in urbem peregre adventarent. Horum autem dextras osculabantur. *F.*

319. *Tactu.* Non manuum solummodo contrectantium, sed etiam labrorum, dum turbæ salutatrices deosculantur. Conf. Cic. Verr. IV, 43. *Wak.*—*Præterque meantum*, et prætereuntium.

320. *Quom sint detrita:* quum tandem detrita fuerint tempore, factam extenuationem oculi nostri deprehendunt; sed continuo et quo sensim progressu fieret, non vidimus. Ed.

321. *Corpora decedant*, minuta corpuscula, quæ singulis diebus per tactum decidant et detrahantur rebus, videre ac deprehendere nobis non concessit natura.

322. *Speciem videndi.* Sic jungendum arbitror exponendumque : rationem, facultatem videndi. Quæ tamen quum dura videatur locutio, libens forsan aliquis interpretaretur : *Natura videndi*, id est, oculorum ratio, *invida*, quæ multa nobis invidet, non permittit, *præclusit speciem* corporum, *quæ*, etc. Cæterum jam supra vs. 149, Noster dixit *naturæ speciem*, sensu non multum absimili. Ed.

323. *Postremo, quæquomque*, etc. Exemplum quintum et ultimum de augmento et decremento rerum. Neque enim incrementa aut decrementa, quæ in rebus fiunt, dum aut moderatim crescunt, aut paulatim senescunt, oculis cernere possumus. Vera tamen sunt corpora. *F.* — *Dies*, tempus; vs. 234.

325. *Contenta*, id est, *se contendens*, vi omni acerrime connisa. *Wak.* — Sic *intentus* et *attentus*; sic *oculos contendere se*, IV, 410.

326. *Ævo senescunt*, proprio sensu; *macie senescunt*, secundario et tralato; ut alii optimi scriptores passim. *Wak.*

327. *Mare quæ impendent.* Quasi separatim legeretur « quæ in mare pendent » optime exponit Wakef. : sic enim sæpissime verba composita adhibent veteres; Terent. Phorm. I, 4, 2, « *te* impendent mala »; ubi tamen alii legunt *in me*. Ed. — *Vesco*, edaci. A. Gell. XVI, 4 : « Vescum, quod ex particula *ve* et *esca* copulatum est, utriusque significationis vim capit ». — *Sale*, unda maris, quæ salsa.

328. *Quoque in tempore*, singulis horæ momentis. Cf. vs. 321. Ed.

329. *Gerit res*, id est, administrat et moderatur tanquam imperatrix. *L.*

Nec tamen undique corporea stipata tenentur
Omnia natura; namque est in rebus inane:
Quod tibi cognosse in multis erit utile rebus;
Nec sinet errantem dubitare, et quærere semper
De summa rerum, et nostreis diffidere dicteis.
[Quapropter locus est intactus, inane, vacansque.]
Quod si non esset, nulla ratione moveri
Res possent; namque, officium quod corporis exstat,
Officere atque obstare, id in omni tempore adesset
Omnibus: haud igitur quidquam procedere posset,
Principium quoniam cedendi nulla daret res.

330. *Nec tamen undique*, etc. Hactenus igitur probavit in rebus inesse corpora prima materiæ, ex quibus res fiant tanquam ex primordiis, et in quæ res revertantur: sed quæ cæca sint, nec sub oculos cadant. Jam vero rem aliam aggreditur, atque non solum in rebus corpora prima inesse, sed et inane, ex quo ut ex illis primis corporibus res cunctæ coalescant. *F.* — *Stipata.* Vide ad vs. 346. — *Tenentur*, id est, continentur, conglobantur, et inter se cohærent. *Wak.*

334. *De summa rerum*, de universa rerum summa; vs. 75; II, 303, 530.

335. *Locus est intactus*, etc. Lucretio hæc vocabula sunt synonyma: Inane, vacuum, vacans, intactilis locus, incorporeum. Epicuro autem, teste Laert. X, inane dicitur, *natura intactilis*, et *regio*. Quod autem eadem intactilis illa natura sit corpore destituta, ideo Epicuro et Lucretio, inquit Empiricus, dicitur *inane*: quod occupata sit a corpore, appellatur *locus*: quod vero corpora moveantur in illa, vocatur *regio*. *F.*—Versus hic obscurus et loco non idoneus.

336. *Quod si non esset*, etc. Argumentum primum, quo probatur inane esse; ex motu scilicet. — Sine vacuo, res nulla ratione moveri possent: nam naturale officium corporis, quo solet cuivis, extrudere et impellere conanti, obstare atque resistere, omnibus corporibus in omni tempore, comes individuus, adesset; adeo ut nulla corpora de suo statu possent hilum amoveri, nec alteri utique cedentia, nec invenientia vicissim quæ ipsis cederent; quum nihil cogitari possit, unde principium movendi vel cedendi ullo modo subnascatur. *Wak.*

337. *Officium*. Nescio an volens poeta verbum hoc cum *officere* contulerit, ut sit aliqua sensus cognatio; malo tamen simplicius capere: munus illud corpori proprium, peculiaris illa corporum ratio. Ed.

338. *Officere*. Vide ad V, 887.—Infinitivi illi, ut sæpissime, substantivorum munere funguntur. *Forb.*

339. *Procedere posset*. Wak. ex uno codice *possent*. Sed vulgata præstat quum *quidquam*, ut subjectum sententiæ acceptum, optime respondeat antecedenti *omnibus*, et sequenti *nulla res*; pro accusativo vero absoluto sumptum prorsus langueat et abundet, in primis post verba *nulla ratione* vs. 336 prægressa. *Forb.*

340. *Principium*, primum initium; ut vs. 384.

At nunc per maria, ac terras, sublimaque cœli,
Multa modis multis varia ratione moveri
Cernimus ante oculos : quæ, si non esset inane,
Non tam sollicito motu privata carerent,
Quam genita omnino nulla ratione fuissent,
Undique materies quoniam stipata quiesset.

Præterea, quamvis solidæ res esse putentur,
Hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas.
In saxis, ac speluncis, permanat aquarum
Liquidus humor, et uberibus flent omnia guttis:
Dissupat in corpus sese cibus omne animantum :
Crescunt arbusta, et fetus in tempore fundunt :
Quod cibus in totas, usque ab radicibus imis,
Per truncos ac per ramos diffunditur omneis :

341. *Sublimaque cœli*, sublime cœlum. Sic vs. 316, « strata viarum » ; II, 1098, « Serena cœli, etc. » Veteres autem dicebant *sublimus* et *sublimis*. Non. VIII, 45.

344. *Sollicito*, agili nempe crebroque; sic Noster VI, 1036 : « sollicito motu semper jactatur ». *Wakef.* — *Privata carerent.* Participium hic tantum vim verbi auget. Non modo motus facilitate privarentur et omnino carerent, sed nunquam genita fuissent, quia nullus, quem nascentia occuparent, patuisset locus. Ed.

346. *Stipata.* Ita condensata, ut omne spatium plenitus occuparet corporea natura expleretque. *Wak.* — *Quiesset,* iners et incapax motus qui ad rerum generationem unice facit. *Creech.*

347. *Præterea, quamvis solidæ,* etc. Argumentum alterum, quo contendit dari inane in rerum natura. Deducitur autem ab exemplis rerum, in quibus inane reperiatur necesse est : 1° a saxis, quæ guttas aquarum fundunt ac distillant in cavernis ; 2° a corporibus variis, in quæ introgreditur alimentum ; 3° a parietibus, quos voces penetrant ac transvolant; 4° ab ossibus, ad quæ frigus permanat. Quæ omnia fieri sine inani non possunt. *F.* — *Quamvis.* Lambinus int. quantumvis; male; non enim a *solidissimis* rebus argumentum noster capit, sed ab iis tantum quæ solidæ putantur. Ed.

348. *Hinc,* ex iis, quæ statim in exemplum afferuntur. — *Esse licet cernas.* Videre potes easdem ipsas res non pleno tamen, et prorsus solido corpore constare, sed *raro*, in quo inani locus sit. Ed.

350. *Liquidus*, id est, clarus, splendidus, λευκός. Et primam hujus voc. syllabam pariter produxit ad II, 452, et alibi, nec non priorem in *liquor*. *W.* — *Flent omnia.* Elegantissime dictum de guttis quæ, tanquam lacrymæ, fluunt. Sic *lacryma* et *ploratus* apud Plin. Nat. Hist. XII, 54, § 4 sqq. Ed.

351. *Dissupat*, distribuit, dispergit.

353. *Cibus.* Exquisite de nutrimentis arborum. — *In totas.* Suppl. arbores; licet supra non *arbores,* sed *arbusta* posuerit : sic sæpe variat genera vs. 191.

Inter sæpta meant voces, et clusa domorum
Transvolitant : rigidum permanat frigus ad ossa.
Quod, nisi inania sint, qua possent corpora quæque
Transire, haud ulla fieri ratione videres.
Denique, quur alias alieis præstare videmus
Pondere res rebus, nihilo majore figura?
Nam, si tantumdem est in lanæ glomere, quantum
Corporis in plumbo est, tantumdem pendere par est;
Corporis officium est quoniam premere omnia deorsum:
Contra autem natura manet sine pondere inanis.
Ergo, quod magnum est æque, leviusque videtur,
Nimirum plus esse sibi declarat inanis;
At contra gravius plus in se corporis esse
Dedicat, et multo vacuum minus intus habere.
Est igitur nimirum id, quod ratione sagaci
Quærimus, admixtum rebus; quod inane vocamus.
Illud, in his rebus ne te deducere vero

355. *Sæpta.* Sæptum locus est omnis clausus ac vallatus. — *Meant*, penetrant. Conf. IV, 616; VI, 951. — *Clusa domorum*, clausas domos : vss. 316, 341, etc. — Cæterum non valet conclusio poetæ, quum sonus propagari possit per sæptum locum, non meatuum vacuorum via, sed ædificii concussione ex aeris vibrati pulsibus, aera etiam externum inde commovente. *Wak.*

356. *Rigidum*, quod facit rigere.

357. *Nisi inania sint*, nisi forent in rebus vacui meatus per quos singula corpora (aqua scilicet, et cibus, etc.) permeare possent. Ed.

359. *Denique, quur alias*, etc. Argumentum tertium, ex rerum pondere. Neque enim explicari potest, cur e duobus corporibus ejusdem figuræ ac magnitudinis alterum plus ponderis habeat, alterum minus, nisi quod in illo plus insit corporis, minus vero vacui : in hoc vero minus corporis, plus autem vacui. *F.*

361. *Nam, si tantumdem*, etc. Si solidum pariter ac plenum corpus haberent lanæ glomus et plumbi massa, tum profecto utrique idem pondus foret; nam ea est corporis solidi proprietas, ut gravitate deorsum feratur et omnia deprimat; natura autem vacui semper levis est. Ed. — *Glomere.* Prima est longa, etiamsi in verbo *glomerare* corripiatur.

368. *Dedicat*, declarat, aperit, indicat. Alii legunt *deliquat*, ut et 423. — *Et multo vacuum minus.* Multi corrigunt *vacui.* — Ordo est : Et multo minus (præ leviore corpore) intus habere vacuum. *Wak.*

369. *Est igitur*, etc. Concludit nunc inane, de quo disputavit, rebus inesse; quod proposuerat sup. v. 330. Ed.

370. *Admixtum.* Sic loquitur vss. 383, 656; et V, 366.

371. *Illud, in his rebus*, etc. Occupa-

Possit, quod queidam fingunt, præcurrere cogor.
Cedere squamigereis latices nitentibus aiunt,
Et liquidas aperire vias, quia post loca pisces
Linquant, quo possint cedentes confluere undæ :
Sic alias quoque res inter se posse moveri,
Et mutare locum, quamvis sint omnia plena.
Scilicet id falsa totum ratione receptum est :
Nam quo squamigerei poterunt procedere tandem,
Ni spatium dederint latices? Concedere porro
Quo poterunt undæ, quom pisces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum est corpora quæque,
Aut esse admixtum dicundum est rebus inane;
Unde initum primum capiat res quæque movendi.

tio est, cui respondet Lucretius. Sic enim Aristot. Phys. IV, 7, Cic. Acad. II, 40, et Seneca Nat. Q. II, 7, objiciunt, non opus esse vacui ad hoc, ut corpora moveantur; namque corpus advenienti corpori efficiose cedit. Sic v. g. aqua cedit piscibus procedentibus, atque illorum locum priorem subit. Respondet autem Lucretius pisces in aqua sibi viam aperire, locumque post se linquere non posse; quia non possunt procedere pisces, nisi aquæ cedant locum : cedere autem locum aquæ non possunt, nisi alius pateat locus *vacuus*, quo se recipiant. Revera tamen in aqua moventur pisces, quia in rebus intermixtum est inane, quod principium movendi rebus præbeat. Secus enim nulla res moveri posset. *Fay.—Deducere vero,* dimovere a vera ratione, a veritate rei; vel deorsum ducere e veritatis fastigio in humilem vitæ vulgaris callem, ut bene exponit Wak.

372. *Præcurrere*, præoccupare, prævertere. — Antequam aliud argumentum aggrediar, vanæ quorumdam opinioni cogor occurrere, ne te transversum agat.

373. *Squamigereis*, piscibus. — *Nitentibus*, procedere conantibus.

374. *Quia post loca.* Aiunt aquas ideo piscibus viam aperire, quod ii post se relinquant locum in quem aquæ, dum ceduat, confluere possint. Ed.

377. *Plena*, solida, non intermixta inani.

379. *Nam quo squamigerei*, etc. Vide not. 371.

381. *Quom pisces ire, nequibunt?* Sic arget argumentum Noster : Nulla unquam vi piscis procederet, nisi prius aquæ locum cederent; oportet igitur aliquo interea se recipiant, dum procedit piscis, ut mox relictum ab eo spatium occupent. Aliter enim, nisi prius recedat aqua, pisces se movere nequirent. Vide autem quæ de hoc argumento disserunt viri docti ad Sen. Nat. Q. II, 7. Ed.

382. *Privandum est corpora.* Vide vs. 112. — Ergo, aut negandum est quidquam moveri, aut fatendum, *esse in rebus inane*, quod motus principium est. Ed.

384. *Initum*, exordium, ingressum. Vide vs. 13. *Wak.* — Cf. vs. 340.

Postremo, duo de concurso corpora lata
Si cita dissiliant, nempe aer omne necesse est,
Inter corpora quod fiat, possidat inane.
Is porro quamvis, circum celerantibus auris,
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Compleri spatium : nam primum quemque necesse est
Occupet ille locum, deinde omnia possideantur.
Quod si forte aliquis, quom corpora dissiluere,
Tum putat id fieri, quia se condenseat aer,
Errat : nam vacuum tum fit, quod non fuit ante;
Et repletur item, vacuum quod constitit ante;
Nec tali ratione potest denserier aer:
Nec, si jam posset, sine inani posset, opinor,

385. *Postremo, duo,* etc. Exemplo confirmat esse vacuum. Sint igitur duo corpora plana et lata, quæ concurrant ac sibi obvient; motuque citissimo dissiliant atque a se invicem revellantur, sane medium illud spatium inter ea interseptum, ubi primum dissiluerunt, necesse est ut vacuum sit ac inane; neque enim repleri potuit nisi ab aere; non potuit autem repleri uno et eodem temporis spatio, quum partes exteriores prius repleri debuerint; deinde proximæ, tum sequentes, et tandem mediæ. *F.* — *De concurso,* de commissura, de conjunctione, postquam concurrerunt; participio sic sæpe Noster utitur in substantivi morem; conf. vs. 795, al. Ed.

387. *Fiat,* fieri, effici debet. Alii *fuvat,* quasi *fuerat;* in cassum. — *Possidat.* Antique dictum est *possido* pro *possideo.*

388. *Celerantibus auris.* Etsi subito spatium aer repleat, flatibus ipsis quantumvis celeriter urgentibus, et intrudentibus acrem.

390. *Primum quemque locum,* exteriorem spatii partem; extrema loca.

391. *Omnia,* suppl. loca : id est, totum illud medium spatium.

392. *Quod si forte aliquis,* etc. Locus hic quibusdam mutilus videtur, negante Wakef., qui bene orationis seriem explicat : « Si quis putet, quum corpora dissiluere, *id fieri,* hoc est, ea dissilire, non quia ita se contingant, ut omnis aer excludatur et mutua collisio repellat, sed quia condensatus aer ipse resistat, mox dilatandus, is profecto in errorem cadit ». Tum duobus argumentis propositum confirmat poeta; 1° quia in hoc motu corporum densari non potest aer, sed loco tantum moveri; (moles enim corporum non fit amplior; nec minus est spatium quod aer compleat;) 2° quia, si aer se contrahere et condensari potest, ideo non plenum ac solidum corpus est. Ergo sic propositam, confutata objectione, firmatur. Ed.

393. *Condenseat.* Verbum *denseo, es,* pluribus in locis Virgilio restituerunt viri docti; G. I, 418; Æn. VII, 794; X, 432, al. Noster sæpius adhibuit; mox vs. 396, 648, etc.

397. *Nec, si jam posset,* etc. Atque, etiamsi hoc in concursu corporum posset densari aer, non tamen posset se ipsum in se contrahere, nisi inane exsisteret. Ed

Ipse in se trahere, et parteis conducere in unum.
Quapropter, quamvis causando multa moreris,
Esse in rebus inane tamen fateare necesse est.
  Multaque præterea tibi possum commemorando
Argumenta fidem dicteis corradere nostreis:
Verum animo satis hæc vestigia parva sagaci
Sunt, per quæ possis cognoscere cætera tute.
Namque canes ut montivagæ persæpe ferai
Naribus inveniunt intectas frunde quietes,
Quom semel institerunt vestigia certa viai;
Sic alid ex alio per te tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, cæcasque latebras
Insinuare omneis, et verum protrahere inde.
  Quod si pigraris, paullumve recesseris abs re,

399. *Causando multa*, etc. Multas causas afferendo; prætexendo causas. Sic Virg. Ecl. IX, 56. — *Moreris*, rem in longum ducas his objectionibus, et aliis quæ pariter solverentur.

401. *Multaque præterea*, etc. Concludit poeta satis hactenus de inani disputatum esse; quanquam possit adhuc bene multa argumenta commemorare, quibus inane rebus asserat: sed iis supersedet; quippe quia ex jam dictis cætera facile possunt percipi; remque explicat præclara comparatione ducta a canibus venaticis, qui, quum semel feræ vestigiis institerunt, eam medias inter sylvas ac frondes latitantem inveniunt. *F.*

402. *Arg. fidem corradere.* Per appositionem colligere argumenta quæ fidem faciant; vel simplicius: argumenta multa commemorando, possum fidem dictis *corradere*, id est, conciliare, comparare. Cf. VI, 303, 443. Ed.

405. *Montivagæ*. Hoc epitheton ad *canes* referunt Haverc. et Preig. Sed Wak. aliquantulo elegantius cum *ferai* jungendum ait, quod magis arridet, ob sequens *quietes*: eo enim difficilius inveniuntur quo magis in montibus evagantur feræ. Ed.

406. *Intectas frunde quietes*, cubilia frondibus obducta et operta. Inveniunt odoratu, quanquam oculis non videant. Vere et simpliciter dictum, ideoque Wakef. non assentior, qui triviale hoc et ejiciendum pronuntiat. Ed.

407. *Institerunt vestigia*, pro regimine usitatiori posterioribus, *institerunt vestigiis*. Cf. Virg. Æn. XI, 573. *Wak.* — Sanctius Min. III, p. 343.

408. *Alid ex alio*. Cf. vs. 264.

409. *Cæcas*, obscuras, retrusas, abditas penetrare. Virg. Æn. III, 424. — *Verum*, veritatem.

411. *Pigraris*, pigraveris; id est, si tardior fueris, et ad veritatem indagandam segnior, si ab hoc studio nobilique opera paullum cessaveris. Alii legunt *nisi pigraris*; minus bene, opinor. Creech autem versum sic explicat: « Si vero in assensu his argumentis præbendo tardior sis, et adhuc de re modo proposita dubites ». Nec male. Ed.

Hoc tibi de plano possum promittere, Memmi;
Usque adeo largos haustus e fontibu' magnis
Lingua meo suavis diti de pectore fundet,
Ut verear, ne tarda prius per membra senectus
Serpat, et in nobis vitai claustra resolvat,
Quam tibi de quavis una re versibus omnis
Argumentorum sit copia missa per aureis.
Sed nunc, ut repetam cœptum pertexere dictis.
Omnis, ut est, igitur per se natura duabus
Constitit in rebus : nam corpora sunt, et inane,
Hæc in quo sita sunt, et qua divorsa moventur.
Corpus enim per se communis dedicat esse
Sensus : quoi nisi prima fides fundata valebit,

412. *De plano,* liquido, clare, aperte, non multo labore. Formula JCtorum.

413. *Largos haustus e fontibu' magnis.* Vide Disq. var. — *Magnos* vocat *fontes* Epicuri opera et doctrinam, unde uberrimam argumentorum copiam hausit, quæ mox in Memmii delectamentum simul et utilitatem redundatura est. Ed.

414. *Suavis,* utpote quæ versibus loquatur. — *Diti,* divite; sic *divitis ingenii* dixit Ovid. Trist. II, 335. *Wak.*

415. *Tarda senectus.* Virg. Æn. IX, 610. *Wak.*

416. *Serpat,* sensim veniat, quia *obrepit non intellecta senectus,* ut ait Juvenal. IX, 129. — *Vitai claustra,* quasi scilicet carcere conclusæ et vinculis corporeis implicitæ. Elegantissima est figura. *Wak.*

417. *De quavis una re,* de re qualibet; sic *unumquodvis* IV, 125.

418. *Copia missa per aureis.* Priusquam omnem argumentorum copiam, de probanda re qualibet maxime abundantem, hoc carmine in tui gratiam scripto exhauserim. Ed.

419. *Sed nunc, ut.* Vulgo *nunc jam.* Supple, oportet.—*Pertexere,* perficere; metaphora sumpta a textoribus, qui primum telam ordiuntur, orsam deinde texunt. *Fay.* — *Repetam pertexere.* Sic infra lib. VI, 936; quæ sunt locutiones rarissimæ. *Wak.*

420. *Omnis, ut est, igitur,* etc. Interruptum orationis cursum repetit; statuitque duo hæc esse solum in rerum natura, corpus, et inane. 1° Corpus quidem asserit sensus communis; cui prima fides non est deroganda. 2° Inane vero esse probat ex dictis a vs. 330 ad vs. 400. *F.* — *Ut est per se.* Omnis igitur natura, ut exsistit per se, si res per se exsistentes spectemus, duo tantum complectitur. *Cr.*—Idem est *per se constitit.*

422. *Hæc in quo :* inane, in quo hæc corpora sint, et diversimode moveantur.

423. *Corpus enim per se,* etc. Sensus, qui communis est cunctis hominibus; vulgaris illa quæ sensibus obsequitur omnium hominum ratio, nullis adjuta doctrinæ luminibus, demonstrat corpora per se exsistere; neque ullo ultra opus est argumento, quum hoc primum sit fidei omnis fundamentum. Ed. — *Dedicat;* vs. 368.

424. *Quoi.* Alii, *quo.*

Haud erit, occultis de rebus quo referentes
Confirmare animos quidquam ratione queamus.
Tum porro locus ac spatium, quod inane vocamus,
Si nullum foret, haudquaquam sita corpora possent
Esse, neque omnino quoquam divorsa meare:
Id quod jam supra tibi paullo ostendimus ante.

Præterea nihil est, quod possis dicere ab omni
Corpore sejunctum, secretumque esse ab inani;
Quod quasi tertia sit numero natura reperta.
Nam, quodquomque erit, esse aliquid debebit id ipsum
Augmine vel grandi, vel parvo denique, dum sit;
Quoi si tactus erit quamvis levis exiguusque,
Corporis augebit numerum, summamque sequetur:
Sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
Rem prohibere queat per se transire meantem;
Scilicet hocc' id erit vacuum, quod inane vocamus.

425. *Quo referentes.* Nihil erit, ad quod recurrentes, quum de rebus occultis et sensui non subjectis erit ratiocinandum, possimus *animos*, judicium nostrum, *quidquam*, κατὰ τι, ullo modo rationis vi confirmare. Vide infra vs. 694 sqq. Ed.

427. *Tum porro.* Ad alteram propositi partem transit; scilicet, quum corpora exsistant, inani opus esse, siue quo nullibi esse posita, nec quoquam moveri possent. Ed.

430. *Ostendimus;* a vs. 335.

431. *Præterea*, etc. Persequitur argumentationem, probatque præter corpus et inane, non esse tertiam naturam, quæ per se exsistat diversa ab his. Namque vel illa esset tactilis vel intactilis: si tactilis, sane corpus esset: sin intactilis, esset inane. *F.*

433. *Quod quasi tertia sit*, etc. Nihil est quod sit quasi tertia natura; non inveniri potest tertium rerum genus, a duobus aliis bene separatum ac distinctum. Ed.

434. *Esse aliquid debebit*, etc. Etenim quidquid illud erit, oportet id ipsum, dummodo exsistat, vel grandi, vel parva substantia constare. Si legas, ut multi, *esse aliud*, sensus erit: Id ipsum aliud, tertia illa natura debebit, etc. Forbiger vero ita distinguit: *id ipsum, augmine... denique dum sit.* Ed.

436. *Tactus*, passive; si naturam habeat tactilem, tactui obnoxiam. Ed.

437. *Corporis augebit numerum.* Augebit hanc τοῦ Παντὸς partem, quæ *corpus* est. Bene Wak. *numerum* explicat quantitatem, allato Ciceronis exemplo in Verr. II, 72. Ed.—*Summamque sequetur*, ei immiscebitur, veluti quum nummus nummorum acervo adjicitur. Ed.

439. *Rem prohibere.* Ita ut ex nulla sui parte impedire possit quin res per ipsum vadant ac transmeent.

440. *Scilicet*, etc. Quidam jungunt

Præterea, per se quodquomque erit, aut faciet quid,
Aut aliis fungi debebit agentibus ipsum,
Aut erit, ut possunt in eo res esse, gerique:
At facere, et fungi, sine corpore nulla potest res;
Nec præbere locum porro, nisi inane vacansque.
Ergo præter inane et corpora, tertia per se
Nulla potest rerum in numero natura relinqui;
Nec quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros,
Nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam quæquomque cluent, aut his conjuncta duabus

vacuum inane, quod equidem nolim; melius videtur: scilicet *hocce* de quo loqueris, nil aliud erit quam vacua illa natura, inane appellata. Ed.

441. *Præterea, per se*, etc. Argumentationem altera fulcit ratione. Substantia hæc quæcumque per se exsistens, et ideo plane a cæteris distincta, debebit vel facere aliquid, vel ab aliis pati; aut contra talis erit, ut in ea motus rerum fiat. Ergo vel corpus, vel inane. Ed.

442. *Fungi*. Videtur hic pro *pati* dictum, ut vs. 444.—*Aliis agentibus*, dum alii ipsum agunt, impellunt. Verba absolute posita; nec ablativus casus a *fungi* pendet, ut bene monuit Lambinus. Ed.

443. *Ut possunt*. Sensus est: Quodcumque per se est, aut ipsum faciat aliquid necesse est, aut patiatur alios se uti (ideoque corpus sit); aut id erit, in quo, nec faciente nec patiente aliquid, res tantum esse, moveri possunt, id est, inane. Vulgo *possint;* minus bene. *Forb.* — *Gerique*, id est, moveri, crescere, dissolvi, et omnia denique sua, quæcumque sint, officia peragere. *Wak.* — Cf. vs. 473.

444. *Fungi*. Vs. 442. Hoc verbum non semel eodem sensu protulit Noster; cf. III, 734, 814; V, 359, etc.

446. *Tertia per se*. Cf. vs. 433. At hic Lucretium interrogat Baylius Dict. hist. sub voc. *Lucrèce*, not. *S*, quomodo hæc congruant cum *natura* Deorum, de qua supra vs. 59; num Dii *corpora* sunt, num *inane?* Unde autem constabit summa eorum felicitas, etc. Ed.

448. *Nec quæ*, etc. Iteratur hic negatio quæ jam in *nulla* comprehensa est: nulla potest relinqui, nulla, inquam, quæ vel sensibus, vel mente deprehendi possit. Ed.

449. *Ratione animi*, vi mentis, cogitatione, intelligentia. — *Apisci*, assequi, comprehendere.

450. *Nam quæquomque*, etc. Quum igitur multa observantur in rerum natura, quæ neque corpus, neque inane esse videantur; poeta non negat quidem multa esse præter corpus et inane: sed contendit ea non *esse per se;* verum utriusque, corporis et inanis, esse conjuncta et eventa, hoc est, ut aiunt vulgo, *proprium* et *accidens*. Proprium dicitur id, quod rei adesse aut abesse non potest sine rei interitu: accidens contra, quod citra rei interitum adesse potest aut abesse. *F.* — *Cluent*. Omnes aliæ res quæ nominantur, dicuntur exsistere. Cf. vs. 120. — *Conjuncta duabus rebus*, etc. Corporis et inanis *proprietates*, ut aiunt, aut *accidentia* sunt. — Hos versus affert Nonius, III, 85, p. 399. *Forb.*

Rebus ea invenies, aut horum eventa videbis.
Conjunctum est id, quod nunquam sine perniciali
Discidio potis est sejungi, seque gregari:
Pondus uti saxi, calor ignis, liquor aquai,
Tactus corporibus cunctis, intactus inani.
Servitium contra, paupertas, divitiæque,
Libertas, bellum, concordia, cætera, quorum
Adventu manet incolumis natura, abituque;
Hæc solitei sumus, ut par est, eventa vocare.
Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo;
Tum, quæ res instet, quid porro deinde sequatur:
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.
Denique, Tyndaridem raptam, belloque subactas

452. *Conjunctum est id, quod*, etc. Proprietas ita rebus inhæret, ut sine earum interitu separari non possit. Ed.

453. *Potis*, in neutrali genere, indeclin., ut V, 718; etiam dicitur *potis sunt*. Vide Prisc. VI, 12; XV, 2; Periz. ad Sanctii Min. II, 10, not. 1; IV, 17, not. 3. — *Seque gregari*, tmesis est pro *et segregari*.

454. *Liquor*, liquiditas, fluida natura. — Vide Disq. var.

455. *Tactus*. Ut vs. 436.—*Intactus*. Vox Lucretio propria. Id est, ea natura ut tangi nequeat. Ed.

456. *Servitium contra*, etc. Nunc explicat quid sit *eventum*, quod vulgo *accidens* vocatur; cujus exempla sex proponit. *F.*

460. *Tempus item*, etc. Alteram præoccupat objectionem. Quum enim tempus videatur esse aliquid in rerum natura præter corpus et inane, respondet quoque non esse per se; neque conjunctum, aut eventum: sed præcipuum eventorum eventum, ut ait Epicurus apud Laert. X. Itaque docet tempus non re, ut aiunt, sed mente tantum exsistere. Hinc, ut ait Cic. De inv. I, 26, difficile est tempus definire: et D. Augustinus Conf. II, 14: « Si nemo ex me quærat quid sit tempus, scio: si quærenti explicare velim, nescio ». *F.* — Vide infra Disq. var.

461. *Consequitur sensus*. Hoc est, mentis ratio ab ipsis rebus colligit, percipit varias temporis partes, præteritum scilicet (id quod in sæculis antea actum est), præsens (id quod nunc instat et adest) atque futurum. — Isidorus Origg. V, 31: « Tempus per se non intelligitur, nisi per actus humanos ». *Wak.*

465. *Denique, Tyndaridem*, etc. His septem vss. alteram solvit instantiam de præterito tempore; aitque res ante actas, v. g. Helenam (Tyndari filiam) raptam, aut Trojanos devictos, neque jam esse aut exsistere per se, sicut corpus aut inane exsistunt: sed esse tantum eventa rerum seu personarum, aut regionum. *F.*—Vide infra Disq. var. et not. 470.

Trojugenas genteis quom dicunt *esse*, videndum est,
Ne forte hæc per se cogant nos *esse* fateri;
Quando ea secla hominum, quorum hæc eventa fuerunt,
Irrevocabilis abstulerit jam præterita ætas:
Namque aliud terreis, aliud legionibus ipseis,
Eventum dici poterit, quodquomque erit actum.
Denique, materies si rerum nulla fuisset,
Nec locus ac spatium, res in quo quæque geruntur;
Nunquam Tyndaridis formæ conflatus amore
Ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens,
Clara accendisset sævi certamina belli;
Nec clam durateus Trojanis Pergama partu

468. *Secla hominum*, genera, seu gentes hominum: vs. 21.

470. *Namque aliud terreis*, etc. Hic aliquot versus excidisse putat Creech, quasi in solvendis argutiis immorari debuisset poeta. Sed omnia forsan jungi et bene cohærere possunt, modo recte exponantur. Ergo rem expedire tentabo; nodum peritior solvet. Noster a vs. 465 sic pergit: « At enim si tempus in genere est *eventum*, non item de tempore præterito seu *rerum memoria*, quoniam nulla jam res exstat ad quam *accidens* referatur. Porro quum dicimus Helenam raptam esse, Trojanos victos esse, profitemur sane *aliquid* adhuc *exsistere*, sc. factum, belli memoriam et effectum. Ergo fatendum est *hoc aliquid* per se exsistere, quoniam jam diu periere homines, quorum *eventa* res illæ dici potuerint. Immo vero, refert poeta, videndum est ne cogamur fateri hoc *per se* exsistere; nam profecto res omnes gestæ, tanquam *eventa* referri semper poterunt sive ad regiones, sive ad homines ipsos; quippe, si nulla demum materies fuisset, etc. » Tum argumentationem evolvit, ut eodem redeat conclusio in v. 482 sq. Ed.

472. *Denique materies*. Pergit demonstrando res olim gestas non per se constare, sed inanis et corporis eventa esse; quoniam si nullum corpus nec inane olim exstitisset, istæ res nunquam fuissent gestæ. *Creech.*

473. *Locus ac spatium*, inane, vacuum, vs. 335. — *Geruntur*, administrantur, moventur. Lambinus *genuntur*, quasi gignuntur; ut ad vs. 443.

474. *Conflatus*, accensus. Elegantissime dictum est, quum incendia solus suscitet ventorum *flatus*. *Wak.*

475. *Alexandri*, Paridis. Paris enim Priami ex Hecuba natus alio nomine dictus est Alexander. — *Phrygio*. Poetice dictum est et ad morem Lucretianum pro « Phrygii Alexandri pectore ». Vide supra vs. 10, 120; III, 372. *Wak.*

476. *Clara*, splendida, illustria: quod epitheton alludit τῷ *ignis*; cui sæpe jungitur, ut apud Virg. Æn. II, 705.

477. *Durateus*. Græca vox est δουράτιος, id est, ligneus; quam Noster videtur esse mutuatus ex Hom. Odyss. VIII, 493. — *Partu nocturno*, quia per noctem Græcos alvo emisit, ut fetum prægnans mulier. Eadem utitur tralatione Virg. Æn. II, 238, « scandit fatalis machina muros, *Feta* armis ». Ed.

Inflammasset equus nocturno Grajugenarum :
Perspicere ut possis, res gestas funditus omneis
Non ita, uti corpus, per se constare, neque esse :
Nec ratione cluere eadem, qua constat inane :
Sed magis ut merito possis eventa vocare
Corporis atque loci, res in quo quæque gerantur.
Corpora sunt porro partim primordia rerum,
Partim concilio quæ constant principiorum.
Sed, quæ sunt rerum primordia, nulla potest vis
Stringere; nam solido vincunt ea corpore demum;
Etsi difficile esse videtur credere quidquam
In rebus solido reperiri corpore posse:
Transit enim fulmen cœli per sæpta domorum,
Clamor ut, ac voces : ferrum candescit in igni;
Dissiliuntque fere ferventi saxa vapore :

479. *Perspicere ut possis*, etc. Hinc fit ut facile queas intelligere, omnia omnino facta quæ memoriæ traduntur, non per se exsistere sicut corpora, neque eodem modo *cluere* (vs. 120), se habere, quo vacuum. Ed.

483. *Corporis*. Alii, *Corporum*. — *Loci*, inanis, vacui; vide not. 335. — *Gerantur*. Vs. 443.

484. *Corpora sunt porro*. Statuto igitur duplici numero principiorum, corporum, et inanis, jam aggreditur poeta utriusque naturam explicare; hisque viginti versibus asserit corpora prima, quæ atomi vulgo dicuntur, ita solida, plena, ac æterna esse, ut nulla vis ea distringere, deradere, aut lædere valeat. *F.* — *Partim primordia*. Ne quis in ratione corporum fallatur, distinguit poeta duplex corporum genus, quæ vulgo vocant *simplicia* et *composita*. Hæc fiunt ex illis, tanquam ex primis principiis, dicunturque *concretiones* rerum; qualia sunt aurum, argentum, ferrum, lapis, arbor, homo, etc. Illa vero sunt prima rerum primordia, quas et *atomos* appellamus, et de quibus jam disputaturus rogat Memmium, ut ipsum attente audiat. Cf. Epicurus apud Laert. X, 40. *F.*

485. *Concilio*, concretione, cœtu, vs. 184.

486. *Nulla vis*, neque exterior, neque interior; ut vs. 223; vel nulla vis, quantacumque sit.

487. *Stringere*, elidere, deterere, deradere. Virg. Æn. VIII, 62. *W.* — *Vincunt*, vim omnem superant perfecta soliditate, quanquam creditu difficile videatur quidquam esse in rerum natura perfecte solidum. Ed.

488. *Credere*. Sic vulgo; sed Forb. ex optimis codd. *fors ita*. Vide Disq. var.

490. *Fulmen*. Fulminis ictus, telum penetrabile; neque enim hic tonitru, fragorem innui crediderim, quanquam de clamore et vocibus simul mentio fiat. Cf. VI, 227 sq. Ed. — *Sæpta domorum*, septas domos, vs. 355.

Collabefactatus rigor auri solvitur æstu:
Tum glacies æris, flamma devicta, liquescit:
Permanat calor argentum, penetraleque frigus;
Quando utrumque manu, retinentes pocula rite,
Sensimus, infuso lympharum rore superne:
Usque adeo in rebus solidi nihil esse videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturaque rerum
Cogit, ades, paucis dum versibus expediamus,
Esse ea, quæ solido atque æterno corpore constent;
Semina quæ rerum, primordiaque esse docemus:
Unde omnis rerum nunc constet summa creata.
Principio, quoniam duplex natura duarum

493. *Collabefactatus.* Sic IV, 701, « igni collabefacta ». Quod vocabulum proprie significat: Ita vi quadam concussus ut labet et corruat. Ed. — *Rigor,* durities auri flammarum calore victa dissolvitur. Sic « ferri rigor » apud Virgil. Georg. I, 143.

494. *Glacies æris,* id est, æs, utcumque sit *gelidum* rigidumque, flammæ potestati cedit. Hujusce tamen locutionis hinc fortasse rectius concipias rationem, si ad metallum respicias, igne liquefactum, deinde frigore *congelatum. Wak.* — An voluit Noster: Æs sicut glacies rigidum, pariter sicut ea igne vincitur et liquescit? Ed.

495. *Permanat.* Egregie dictum, quum *fluidus* calor sit. *Wak.* — *Penetraleque frigus.* Virg. G. I, 93.

496. *Quando utrumque.* Siquidem *utrumque*, calorem scilicet et frigus, manu sentimus quum poculum argenteum tenemus cui aqua calida aut frigida infunditur. Ed. — *Retinentes*, pro simplici *tenentes.* Wakef. sequuti sumus, post *manu* distinguentem. Alii *manu retinentes* jungunt. Ed. — *Rite.* Solemni more uti fit in conviviis et libamentis. Porro leguntur parallela in VI, 949. *W.*

497. *Lympharum rore.* Simpliciter aqua, vel aquæ liquore; neque enim ego caperem de aquis minutim et guttatim, roris instar, infusis. Ed.

499. *Sed quia vera,* etc. Attamen, quoniam qui res vere intelligunt, et naturam rerum penitus introspexere, coguntur contrarium fateri, *ades,* animum attende, dum breviter convincam exsistere atomos perfecte solidas et indissolubiles (rerum principia, primam materiem dicimus), ex quibus tota mundi compages concrevit et coaluit. Ed.

500. *Ades, paucis dum,* etc. Conf. Terent. Andr. I, 1, 2; Virg. Æneid. XI, 314.

504. *Principio, quoniam,* etc. Argumentum primum, quo solida esse corpora probet, quia simplicia, et non immixta. — Jam probaverat duo esse rerum principia, dissimilis prorsus naturæ, corpus scil. et inane; ista vero dissimilia per se, vel a se invicem separata mutuo, et distincta exsistere quis neget? Quacumque enim inane est, ibi qui dicit corpus esse absurde dixerit, et vice versa. Unde infert prima corpora perfecte solida et plena esse; ibi enim exsistunt ubi nullum est inane. *Creech.*

Dissimilis rerum longe constare reperta est,
Corporis atque loci, res in quo quæque geruntur;
Esse utramque sibi per se, puramque necesse est.
Nam quaquomque vacat spatium, quod inane vocamus,
Corpus ea non est : qua porro quomque tenet se
Corpus, ea vacuum nequaquam constat inane.
Sunt igitur solida ac sine inani corpora prima.
Prætereа, quoniam genitis in rebus inane est,
Materiem circum solidam constare necesse est;
Nec res ulla potest vera ratione probari
Corpore inane suo celare, atque intus habere,
Si non, quod cohibet, solidum constare relinquas.
Id porro nihil esse potest, nisi materiai
Concilium, quod inane queat tectum cohibere.
Materies igitur, solido quæ corpore constat,

506. *Corporis atque loci.* Vs. 483.

507. *Esse sibi per se,* id est, se habere solam, sine rei cujuslibet mixtura; sibi res suas habere, ut Plautus plus semel loquutus est; simplicem, ἀσύνθετον. *Wak.*

508. *Quaquomque.* Supple, parte. Etenim, ut sit *spatium* et vere *inane,* oportet necessario omnis materia absit; alioqui non esset merum inane; et vice versa. Hic, ut jam diximus, de *atomis* tantum, non de concretis corporibus agitur. Ed.

510. *Vacuum inane.* Non otiosum omnino epitheton, quum aer quoque *inane* vocetur, ut bene monet Turneb. Adv. V, 24. Cf. Virg. XII, 906.

511. *Corpora prima.* Horum corporum primigeniorum, sive atomorum, uberrima exstat atque luculentissima descriptio apud Plutarch. De plac. phil. I, 3. *W.*

512. *Prætereа, quoniam,* etc. Argumentum alterum, quo probat corpora prima esse solida. Sic autem arguit : si res genitæ includunt inane, necesse est inesse solidam materiam, quæ circumambiat illud ac cohibeat; alias enim nulla ratione potest probari inesse rebus inane, nisi solidum quid in iis admittatur, quo cohibeatur. Illud autem solidum, nihil aliud esse potest, præter ipsas atomos, hoc est, corpora prima. *F.— Genitis in rebus,* quæ concretæ sunt, ideoque dissolvi possunt; iis opponuntur corpora non genita, id est, æterna. Ed.

517. *Materiai concilium,* congeries simplicium corporum. Cf. vs. 184.

518. *Tectum cohibere.* Hæc vicissim respondent versui 515. Alii legunt *rerum,* et sic omnes fere libri, sensu vix idoneo, nisi dicas *inane rerum,* illud inane quod in rebus genitis est, vs. 512. Wakef. sequimur qui *tectum* ex edit. Pii, et collatt. Heins. recepit. Ed.

519. *Materies igitur,* etc. His duobus vss. concludit corpora prima esse quoque æterna, quæ altera propositionis pars fuit vs. 501, et 504, scilicet ex eo, quod sint solida. Quod tamen priusquam probet, nonnulla præmittit vss. seqq. *Fay.*

Esse æterna potest, quom cætera dissoluantur.
Tum porro, si nil esset, quod inane vacaret,
Omne foret solidum : nisi contra corpora certa
Essent, quæ loca complerent, quæquomque tenerent,
Omne, quod est, spatium, vacuum constaret inane.
Alternis igitur nimirum corpus inani
Distinctum; quoniam nec plenum gnaviter exstat,
Nec porro vacuum : sunt ergo corpora certa,
Quæ spatium pleno possint distinguere inane.
Hæc neque dissolvi plagis, extrinsecus icta,
Possunt; nec porro, penitus penetrata, retexi;
Nec ratione queunt alia tentata labare:
Id quod jam supra tibi paullo ostendimus ante.
Nam neque collidi sine inani posse videtur
Quidquam, nec frangi, nec findi in bina secando:
Nec capere humorem, neque item manabile frigus,

521. *Tum porro*, etc. Nunc priusquam ex soliditate corporum primorum æternitatem eorumdem arguat et asserat, rursus distinguit corpus ab inani; aitque omne universum nec esse corpus solum, nec inane solum, sed ex utroque constare ac distingui. *Fay.*

522. *Omne*, universum, universa natura. — *Certa*, quædam; ut VI, 783; et Virg. Georg. I, 60. *Wak.*

523. *Quæ loca complerent*, etc. Quæ spatium illud, quodcumque occupant, penitus implerent.

524. *Omne, quod est, spatium.* Lamb. exponit: « *Omne quod est*, id est universum, foret spatium vacuum et inane ». An potius : omne spatium, quocumque extenditur, nil foret nisi vacuum inane? Parum tamen refert. Ed.

525. *Alternis*, alternatim, per vices, alterum ab altero.

526. *Distinctum.* Vulgo contra libros adjiciunt *est*, a Wak. tandem omissum. — *Gnaviter*, omnino, prorsus, universe.

529. *Hæc neque dissolvi*, etc. Argumentum primum, quo probet prima corpora materiæ, h. e. primordia rerum, esse æterna ac immortalia; quippe quæ nec extrinsecus icta dissilire, nec intrinsecus penetrata dissolvi, nec alia ratione labefactari queant ob inanis defectum. Ideo enim res intereunt, quia intermixtum habent inane, quod cuivis dissolutioni viam præbet. Cf. vss. 220 sqq. *Fay.*

530. *Retexi*, resolvi, discindi, ita ut textura pereat.

531. *Tentata.* Sic *morbo tentari* dicitur. Cf. Virg. Ecl. I, 50. — *Labare.* Ita turbari, ut partium cohærentia discutiatur. *Wak.*

532. *Ostendimus.* Hoc enim jam ostendit vss. modo citatis 220 sqq.

533. *Sine inani*, nisi insit inane.

534. *Secando.* Passive; id est, dum secatur. Cf. v. 313. Ed.

535. *Manabile frigus.* Variat quæ modo dixit vs. 495.

Nec penetralem ignem; quibus omnia conficiuntur.
Et quo quæque magis cohibet res intus inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labascit.
Ergo, si solida ac sine inani corpora prima
Sunt, ita uti docui, sint hæc æterna necesse est.
  Præterea, nisi materies æterna fuisset,
Antehac ad nihilum penitus res quæque redissent;
De nihiloque renata forent, quæquomque videmus.
At quoniam supra docui, nil posse creari
De nihilo, neque, quod genitum est, ad nil revocari;
Esse immortali primordia corpore debent,
Dissolvi quo quæque supremo tempore possint,
Materies ut suppeditet rebus reparandeis.
Sunt igitur solida primordia simplicitate,
Nec ratione queunt alia, servata per ævom,

536. *Quibus omnia conficiuntur.* Nam ignis, et frigus, et humor perennes excidii aut dissolutionis causæ sunt. Ed.

537. *Quo... magis... tam....* Hoc est, quanto magis, tanto magis. Lambinus et alii vulgo contra omnes codd. legunt *quam*. Cf. II, 197; IV, 252, 1082; VI, 459; et alibi. Sic Virg. Æn. VII, 787. — Sensus est : quanto plus vacui res aliqua continet intra se ipsam, tanto magis *his rebus*, humore scilicet, frigore et igni, percussa dissolvitur ac perit. Cf. 531.

541. *Præterea, nisi materies*, etc. Argumentum alterum quo probat corpora prima esse æterna. Nimirum nisi corpora prima essent æterna, jamdudum res cunctæ creatæ penitus interiissent; ac rursus ex nihilo natæ forent illæ, quas jam videmus. Atqui jam supra a vs. 160, ad vs. 330, demonstratum est ex nihilo nihil fieri posse. Igitur corpora prima, quæ sunt semina rerum, æterna esse necesse est. *Fay.*

543. *Renata.* Cf. vs. 675 et 758.

544. *Supra docui.* Nimirum a vs. 160, ad vs. 330.

545. *Quod genitum est.* Vide supra vs. 512. Innuit poeta res omnes concretas quæcumque exsistunt, et sub sensus cadunt. Ed.

547. *Quo*, in quæ primordia unumquodque dissolvi queat. — *Supremo tempore*, quum hora interitus accesserit; vs. 94.

548. *Suppeditet*, suppetat, satis sit, parata sit; cf. 1039; II, 1138; III, 731.—Conf. Tac. Ann. IV, 4; XV, 11; Hist. IV, 40, 49. Quint. I. O. I, 1, § 31.

549. *Sunt igitur*, etc. Sic ergo concludit prima corpora esse æterna, quia solida; esse solida, quia simplicia. Nisi enim simplicia essent, non forent solida, quia admixtum haberent inane; nisi solida essent, non forent *servata per ævom*, id est, æterna, quia dissolvi possent : nisi æterna essent, profecto res cunctæ jam et ex nihilo fierent, et in nihilum rédirent. Hic versus iteratur vss. 575, 610. *Fay.*

Ex infinito jam tempore res reparare.
Denique, si nullam finem natura parasset
Frangundeis rebus, jam corpora materiai
Usque redacta forent, ævo frangente priore,
Ut nihil ex ollis a certo tempore posset,
Conceptum, summum ætatis pervadere finem;
Nam quidvis citius dissolvi posse videmus,
Quam rursus refici : quapropter longa diei
Infinita ætas ante acti temporis omnis
Quod fregisset adhuc, disturbans dissoluensque,
Nunquam id relicuo reparari tempore posset :
At nunc nimirum frangundi reddita finis

551. *Ex infinito jam tempore.* Quidam hæc verba jungunt cum *servata;* sed maluimus cum Wak. ad *reparare* ea referre, quoniam satis per se significat τὸ *ævum.* Ed.

552. *Denique, si nullam,* etc. Argumentum tertium, quo evincit poeta prima corpora esse æterna. Nimirum nisi daretur rebus frangendis certa finis, nec perveniretur ad certa corpora insecabilia et æterna, profecto jam, præ longo ævo dissolvente, prima corpora ita redacta esse deberent ad nihilum, ut ex iis nihil posset creari, adolescere, et ad justum ætatis florem pervenire. Atqui res cunctas procreari, adolescere, et ad ætatis finem pervadere nunc videmus. Igitur debet esse in rebus frangendis certus terminus, et perveniri tandem ad corpuscula certa, quæ insecabilia sint, et immortalia. *Fay.*

554. *Ævo frangente priore,* quum materiæ particulas fregisset et attrivisset longum illud quod jam præteriit tempus. Ed.

555. *Ut nihil ex ollis ... Conceptum.* Ut nulla res, ex illis particulis compacta et concreta, posset *a certo tempore,* post certum, ex quo enata foret, tempus, ad maturitatem extremumque vitæ terminum sensim pervenire. Justus enim vigor, justa magnitudo rebus ideo deficiens, nunquam repararetur. Fayus *a certo tempore* intelligit hoc modo : « ut ex iis nihil, non jam modo, sed et a longo tempore posset creari ». Non assentior. Ed.

557. *Nam quidvis citius,* etc. In hanc prudentissimam sententiam dudum Pindarus concesserat, Pyth. IV, 484. *Wak.*

558. *Longa diei,* etc. Ita capias verborum constructionem : « quapropter quod fregisset longa, immo infinita ætas diei, quæ est omnis anteacti temporis, etc. » *Wak.* — Impedita locutio; vide Disq. var.

560. *Adhuc,* in hunc usque diem. Possis etiam hanc vocem ad sequentia referre hoc sensu : quæcumque præteritum tempus fregisset, eadem nunc etiam disjiciens et dissolvens, illa, etc. Alterum tamen magis placet. Ed.

561. *Relicuo tempore,* quantumcumque sit futurum tempus. V. Disq. var.

562. *At nunc.* Argumenti conclusio; not. 552.—*Reddita;* pro simpl. *data;* vide ad vs. 204. *Wak.*

Certa manet, quoniam refici rem quamque videmus,
Et finita simul generatim tempora rebus
Stare, quibus possint ævi contingere florem.
  Huc accedit, uti, solidissima materiai
Corpora quom constant, possint tamen omnia reddi
Mollia, quæ fiunt, aer, aqua, terra, vapores,
Quo pacto fiant, et qua vi quomque gerantur;
Admixtum quoniam semel est in rebus inane.
At contra, si mollia sint primordia rerum,
Unde queant validei silices ferrumque creari,
Non poterit ratio reddi : nam funditus omnis
Principio fundamenti natura carebit.
Sunt igitur solida pollentia simplicitate;
Quorum condenso magis omnia conciliatu

564. *Generatim*, per sua quæque genera et species, vs. 21.

565. *Contingere*, consequi, adipisci. — *Florem ævi*. Virg. Æn. VII, 162 : « primævo flore ». Cf. Homer. Iliad. N, 484. *Wak.*

566. *Huc accedit*, etc. Argumentum quartum, quo confirmat corpora prima esse æterna, quia simplicia, et solida esse debent, non autem mollia. Scilicet ejus naturæ esse debent prima principia, ut ex illis res molles æque ac duræ fiant. Atqui ex principiis solidis ac duris commode fieri possunt res molles æque ac duræ; namque minus aut magis solidæ fiunt pro minori aut majori inanis interjectu : ex mollibus vero res solidæ fieri nequeunt, defectu soliditatis, quod est duritiei fundamentum. Ergo primordia solida esse necesse est; si vero solida, ergo et æterna atque insecabilia. *Fay.*

567. *Corpora*, atomi, primordia, etc. — *Quum constant*, quum conceditur ea constare, quum admittas ea esse solidissima. Ed.

568. *Quæ fiunt*. Omnia quæ nascuntur, ideoque composita et concreta sunt; et supra dictum est, vs. 512. Ed. — Verba *aer, aqua*, etc. in appositione addita sunt vocabulo *omnia*. *Forb.*

569. *Quo pacto*. « *Quocumque* tandem pacto hæ res (aer, aqua, terra, ignis) molles exsistant, et *quacumque* demum vi negotia eorum omnigena administrentur. » Ad utrumque, *quo* et *qua*, relativum illud *quomque* arcessitur. *W.*

570. *Quoniam semel*. Non enim difficile est concipere, res quasdam posse molles fieri, si *semel* spatia sint in corporibus omni vacua materie.

572. *Validei*, duri, resistentes.

574. *Principio fundamenti*. Namque fundamentum primum cujusque rei debet esse firmum ac solidum. At si mollia forent prima corpora, sane non firmum esset ac solidum rerum naturæ fundamentum, quod est ipsa materia prima, immo fragile foret ac caducum. *Fay.*

575. *Sunt igitur*. Vide v. 549.

576. *Quorum condenso*. Quorum cœtu quo magis densato, res cunctæ

Arctari possunt, validasque ostendere vireis.
Porro, si nulla est frangundeis reddita finis
Corporibus, tamen ex æterno tempore quæque
Nunc etiam superare necesse est corpora rebus,
Quæ nondum clueant ullo tentata periclo.
At quoniam fragili natura prædita constant,
Discrepat, æternum tempus potuisse manere
Innumerabilibus plagis vexata per ævom.
Denique, jam quoniam generatim reddita finis
Crescundi rebus constat, vitamque tenendi;
Et quid quæque queant, per fœdera naturai,

queunt eo magis condensari, et exhibere firmiores vires. *Fay.*

578. *Porro, si nulla est*, etc. Argumentum quintum, ex sententia Peripateticorum, qui res cunctas in infinitum dividi posse censebant. At etiamsi res in infinitum ita secari possent, ut nulla pars esset, quæ semper in plures dividi non posset, nec tandem ad eas solidas partes usquam perveniretur, quæ frangi non possent; nihilominus necesse esset aliqua etiam nunc esse in rebus corpuscula, quæ nondum periculo tentata essent, hoc est, quæ nondum devicta ac fracta fuissent; alioquin jam nihil refici posset ex rebus dissolutis, quas æternum tempus ac infinitum ævum penitus peremisset: aut saltem res ex nihilo nascentur, quod fieri nequit. Atqui repugnat posse rem simul dividi, et æternam esse. Igitur admittendum est quid minimum in rebus, quod sit æternum et insecabile. *Fay.* — Vide Disq. var. — *Reddita finis*, vs. 562.

579. *Quæque*, singula ea corpora, ex quibus res peculiariter constant atque efficiuntur. *Wak.* — Vulgo *quædam*; quam lectionem faciliorem esse nemo negabit. *Forb.*

580. *Superare*, superesse; ut Virg. Æn. III, vs. 339. *Wak.*

581. *Clueant*, sint. Vs. 120.

583. *Discrepat.* Huic argumento dissidet, non congruit, contradicit; ad verbum, *aliud dicit* ei quod argumenti tui tenor postulat. *Wak.*

585. *Denique, jam*, etc. Argumentum sextum, quo iterum confirmat prima corpora materiæ esse immutabilia et immortalia. Id autem arguit ex Naturæ multiplici constantia et immutabilitate, v. g. in provehendis animantibus ad certas usque ac statas virium, incrementi, vitæque metas; in imprimendis iisdem semper discriminibus, notis, ac maculis cuique volucrum generi per suas species. Quod quidem natura non præstitura esset, nisi principiis uteretur certis, constantibus, immutabilibus, ac proinde æternis. *Fay.* — *Generatim.* Vs. 564.

586. *Vitamque tenendi.* Sic *vita teneatur* apud Cic. Nat. D. II, 54; et *lucem tenes*, apud Senec. Œdip. 1775. *Wak.* — Rebus etiam inanimatis vitam hoc loco, ut supra (556, 565) ævi ætatisque finem ac florem cuique suum tribuit. *Preig.*

587. *Per fœdera naturai.* Ex lege

Quid porro nequeant, sancitum quandoquidem exstat;
Nec commutatur quidquam; quin omnia constant
Usque adeo, variæ volucres ut in ordine cunctæ
Ostendant maculas generaleis corpore inesse:
Immutabile materiæ quoque corpus habere
Debent nimirum; nam, si primordia rerum
Commutari aliqua possent ratione revicta,
Incertum quoque jam constet, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens:
Nec totiens possent generatim secla referre
Naturam, motus, victum, moresque parentum.
Tum porro, quoniam est extremum quoique cacumen
Corporis illius, quod nostri cernere sensus

naturæ, vel quasi ex beneficio aut pacto naturæ sancitum est. *Fay.*

588. *Nec commutatur.* Et quoniam nulla res a legibus sibi statutis desciscit, immo naturalem ordinem ita constanter servat, ut volucres variis coloribus pictæ, etc. Ed.

590. *Variæ,* pictæ, pulchris coloribus decoræ. *W.*—*In ordine.* Ordine sic fideliter per naturam in singulis conservato, ut nullo tempore in eadem volucrium classe permutatio fiat macularum. Ἑκάστῃ ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι, uti locutus est Apostolus ad I Cor. XV, 23. *Wak.*

591. *Generaleis:* suo generi propritim datas. *Wak.* — *Corpore inesse;* esse in corpore; III, 634.

592 sqq. *Immutabile ... debent nimirum.* Inde fit ut *omnia* (quæ vox e versu 589 retrahenda) constare debeant e principiis immutabilibus. Ed.

593. *Revicta,* vicissim victa et superata. *Lamb.*

595. *Quid possit oriri,* etc. Repetiti vss. e 76 sqq.

598. *Generatim secla,* etc. Vid. vs. 21.

599. *Victum,* vivendi rationem; Creech. *vultum* conjicit.

600. *Tum porro,* etc. Argumentum septimum, quo soliditatem et æternitatem principiorum asserit ex illorum individua et insecabili natura. *Fay.* — Vide Disq. var. — *Cacumen,* apex ultimus, in quem res quæque finitur; quasi dicat «Minimum in atomo esse, qualem apicem anguli in acuta atomo concipimus». *Gassend.*—Vexatissimam hic lectionum varietatem arguit Wak. cujus editionem sequimur, de loci explanatione pæne desperantes. Forbiger autem legit *quodque.* Vide not. seq. Ed.

601. *Corporis illius.* Ordo est: « quoniam est cuique (corpori) cacumen illius corporis, quod, etc. » *Wak.* — Hæc fateor mihi subobscura videri. An voluit dicere: « quoniam unaquæque res habet pro extremo apice corpus illud primum, sub sensus nostros non cadens, ideo putandum est illud principium esse simplex et individuum »? Ed. — Omnem locum sic explico: « quia *quodque cacumen* sive ultimum illud et extremum

Jam nequeunt; id nimirum sine partibus exstat,
Et minuma constat natura : nec fuit unquam
Per se secretum, neque posthac esse valebit;
Alterius quoniam est ipsum pars primaque, et ima :
Inde aliæ, atque aliæ, similes ex ordine partes
Agmine condenso naturam corporis explent.
Quæ, quoniam per se nequeunt constare, necesse est
Hærere; unde queant nulla ratione revelli.
Sunt igitur solida primordia simplicitate,
Quæ minumis stipata cohærent partibus arcte;

cujusvis rei punctum, ad quod ubi deventum est, nulla amplius sectio datur, *illius corporis est*, id est, corpore ejusmodi naturæ constat, quoad corpoream naturam tale, nimirum tam pusillum est, *quod* corpus *sensus cernere nequeant*, id est, ut sensus non amplius id cernere possint, *id* cacumen *sine partibus exstat*, etc. » *Est* igitur mihi quidem non per *adest*, *exstat*, interpretandum, sed simplex copula logica videtur : verba autem *illius corporis* non cum reliquis editoribus pro *in illo corpore* posita, sed genitivum qualitatis quem vocant habeo, quia aliter nec *quodque*, nec *illius* commode potest explicari. Ceterum minimis illis partibus rerum quæ amplius dividi non possint, id est, atomis, primordiis ipsis, *corpus* et corpoream naturam sic adscribi, neminem offendet, qui meminerit quoties hæc primordia ipsa a poeta nostro *corpora* et *corpuscula* nominentur. *Forbig.* — *Cernere sensus.* Hæc ad oculos præsertim referenda videntur; possis tamen de tactu quoque intelligere. Cf. etiam vs. 750. Hinc innuere videtur atomos singulas sub sensus nostros non cadére, neque unquam, nisi plures sint, perspici; quod quidem ex sqq. colligas. Ed.

603. *Et minima constat*, etc. Et est quod physici vocant *minimum*.

604. *Secretum*, separatum et distinctum a rebus concretis. Atomus enim seorsim et sola per se exsistere nequit extra res concretas. *Fay.*

605. *Alterius.* Nempe rerum concretarum, quæ ex atomis fiunt. *Fay.* — *Prima et ima.* Prima quidem, quia principium est primum rerum creatarum : ima vero seu ultima, quia in illud, tanquam in ultimum quid, res resolvuntur.

606. *Similes partes.* Id est, atomi, prima corpora.

607. *Naturam corporis.* An corpus quodcumque concretum vel potius *naturam corporalem*, id est, materiem gignendis corporibus idoneam, ita ut plures atomi congregatæ, tandem oculis nostris deprehendantur et materiam genitalem efficiant. Cf. not. 601, 608. Ed.

608. *Quæ*, *quoniam.* Vide in Disq. var. notam 600. Hujus tamen loci sensum non plane intelligo, nisi velit Lucretius esse atomos minimam partem in quam ratio quidem corpora resolvit, quum tamen revera nunquam adeo dissolvantur corpora ut in atomos omnino redeant; ideoque *genitalem* quam vocat materiem non esse puras atomos, sed quamdam jam atomorum congregationem; eas enim *per se* nunquam *constare.* Cf. supra 601, 607, et mox 629 sqq. Ed.

611. *Quæ minumis stipata*, etc. Hoc

Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis æterna pollentia simplicitate :
Unde neque avelli quidquam, neque diminui jam,
Concedit natura, reservans semina rebus.
Præterea, nisi erit minumum, parvissima quæque
Corpora constabunt ex partibus infinitis :
Quippe ubi dimidiæ partis pars semper habebit
Dimidiam partem; nec res præfiniet ulla.
Ergo rerum inter summam, minumamque, quid escit ?
Nil erit, ut distet : nam quamvis funditus omnis
Summa sit infinita, tamen, parvissima quæ sunt,

autem sensu dicit atomos minimis partibus stipatas esse, non quidem ut ex ullarum rerum cœtu ac concilio concretæ sint, sicut ceteræ res naturæ constant ex cœtu atomorum; sed ita tantum, ut neque frangi neque dissolvi ullatenus possint. *Fay.*

614. *Unde.* Hinc fit ut : vel, quod maluerim, ex quibus, suppl. atomis, aut corporibus illis primis. *Fay.*

615. *Reservans.* Ne scilicet res ad nihilum redeant, vel ex nihilo fiant.

616. *Præterea, nisi erit*, etc. Argumentum octavum, ex eo, quod necesse sit in rebus esse minimum quid, ad quod quum perventum sit, ulteriori divisioni locus non detur. *Fay.* — Superlativus *parvissimus* Nostro, qui sæpius tamen utitur altera forma *minimus*, usurpatur etiam mox 622, et III, 200 ; ut Varroni apud Nonium VI, 43 ; Vegetio De re mil. I, 8, aliisque serioribus. Cf. quos laudat Ruddim. Inst. Gr. I, p. 173, not. 28. *Forb.*

618. *Quippe ubi*, etc. Quippe quia *pars dimidiæ partis*, id est, si dimidiam cujusdam corporis partem in duas quoque partes diviseris, utraque *pars* etiam in duas secari poterit. Male, opinor, Preig. legendum censet *par*. Ed.

619. *Præfiniet.* Id est, præ illa, quasi in ejus fronte scilicet, finem ponet quem transgredi et perrumpere non liceat. *Wak.* — Vulgo *perfiniet.*

620. *Rerum inter summam.* Quidnam igitur discriminis erit inter maximam rem et minimam. Preig. legit *minimum*, ut opponatur tota res cum minimis ejusdem partibus ; Haverc. subintelligit *partem* e vs. præcedente. Frustra, ut opinor. Ed. — *Escit.* Id est, *erit*, Festo interprete. Antiquior hæc forma, ex epico illo ἔσχον orta, in legg. XII Tabb. sæpius legitur. *Forb.*

621. *Nil erit, ut distet.* Nulla profecto erit ratio cur alterutra ab altera differat. Alii legunt *distent;* sed « singularis, ait Forbiger, in ejusmodi constructione disjunctiva, ubi utrumque oppositum per se cogitari, et cum verbo conjungi potest, etiam locum habere, res est notissima ». Wakef. autem allato Horatii versu Epist. I, 17, 44, absolute dictum putat ; cui Forb. refragatur. Ed.—*N. quamvis funditus*, etc. Etenim vel minima corporum particula ex infinitis partibus æque constabit ac omnis materiæ universalis congeries : quod veræ repugnat rationi. Ergo in his revera nihil est differentiæ. *Wak.*

Ex infinitis constabunt partibus æque.
Quod, quoniam ratio reclamat vera, negatque
Credere posse animum, victus fateare necesse est,
Esse ea, quæ nullis jam prædita partibus exstent,
Et minuma constent natura : quæ quoniam sunt,
Olla quoque esse tibi solida atque æterna fatendum.
Denique, si minumas in parteis cuncta resolvi
Cogere consuesset rerum natura creatrix,
Jam nihil ex ollis eadem reparare valeret :
Propterea, quia, quæ nullis sunt partibus aucta,
Non possunt ea quæ debet genitalis habere
Materies, varios connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus, per quos res quæque geruntur.

624. *Quod.* Id est, secundum quod, ut supra 222. *Wak.* — Sic plures codd. non *quoi*, ut voluit Lamb.

625. *Animum.* Animus enim non credit quæ fidem superant. Alii legunt *animi*, quod jungendum foret cum *victus*, ut apud Virg. Georg. IV, 491. Ed.

626. *Esse ea*, etc. Concludit esse atomos non divisibiles, ideoque solidas et æternas.

629 sqq. *Denique, si minumas.* Codd. omnium auctoritatem secutus sic restitui contra optimas recentiorum editiones. Locum igitur sic expono, ut Lucretius, postquam de primordiorum simplicitate solida, et æternitate disseruerit, concludat tamen nunquam res in hæc primordia omnino resolvi (cf. 604 et 608). Nota enim poetæ verba *cogere consuesset cuncta :* si natura, postquam corpusculorum concursu et coagmentatione res omnes creavit, *consuevisset* cogere *cuncta* in *minimum* istud resolvi, nihil jam inde reficere posset, et totum *creatricis* opus, quod in atomorum conciliatu consistit, omnino sic periret; quippe quia materies jam non cohærens, et inertiæ priori reddita (vs. 608) neque vitæ principia, neque generandi vim haberet. Alii, qui legunt *ni minimas*, interpretantur *minimas*, in infinitum secabiles; sed huic sensui obstat τὸ *nullis* vs. 632. Vide Disq. varias. Ed.

633. *Non possunt ea.* Supple *habere;* hoc enim verbum ad utramque phrasis partem refertur. Ed.

634. *Connexus*, conventus, congregationes; quæ variæ sunt pro vario atomorum cœtu. *F.* — *Pondera.* Gravitatem, qua deorsum feruntur atomi ad rerum concretiones; II, 61 sqq. — *Plagas.* Ictus exteriores quibus atomi aliæ in alias incurrentes repercutiuntur ad alias rerum concretiones; loc. cit. *F.*

635. *Concursus.* Conventum, congressum, quo atomi conveniunt ad res gignendas : lib. II, vs. 61 et sqq. — *Motus.* Qui duplex est : alter naturalis, alter reflexus. Hic, quo atomus una in aliam incurrens repercutitur. Ille, quo atomus suo pondere fertur in diversa : lib. II, vs. 83. Vel per motum intelligit mobilitatem, de qua lib. II, vs. 61 et sqq. *F.*

Quapropter, quei materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistère solo,
Magno opere a vera lapsei ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux prælia primus,
Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis,
Quamde graveis inter Graios, quei vera requirunt.
Omnia enim stolidei magis admirantur, amantque,
Invorsis quæ sub verbis latitantia cernunt;
Veraque constituunt, quæ belle tangere possunt
Aureis, et lepido quæ sunt fucata sonore.
Nam quur tam variæ res possent esse, requiro,
Ex uno si sunt igni puroque creatæ.

636. *Quapropter, quei*, etc. His 70 vss. explicat simul et refutat Heracliti sententiam de primis rerum principiis. Heraclitus autem, qui circa LXIX Olymp., an. CCL U. C. Val. Poplicola, et T. Lucretio coss., hoc est, ante Christum natum an. 101V, natus Ephesi dicitur, floruitque Darii temporibus, voluit unum et solum ignem esse primum rerum principium, ex quo cetera ficrent, et in quem cuncta reverterentur. *Fay.*

637. *Summam*, universam rerum naturam; vs. 236.

639. *Heraclitus.* De quo Cicero de Finibus, II, 5 : « Heraclitus, cognomento qui σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit ». — *Init prælia.* Hujus opinionis præcipuus auctor est, eamque omni ope propugnat. ED.

640. *Magis inter inanes.* Eum præsertim laudant vani et stolidi Græculi. — Obscurus enim hic scriptor multos habuit interpretes, sectatores etiam plurimos. *Creech.*

641. *Quamde.* Antique pro *quam ;* vid. Festus sub h. v. Cf. infra III, 794 ; V, 138. — *Vera*, veritatem.

643. *Invorsis verbis.* Id est, vel a propria ad alienam et inusitatam significationem translatis vocibus, vel præpostero ordine positis. *F.* — Cf. Terent. Heautont. vs. 372, id est, Act. II, sc. 2 (aliis 3), vs. 131.

644. *Veraque constituunt.* Ea tantum pro veris habent quæ *belle*, eleganter et suaviter aures demulcere possunt. ED. — Quum vox sit corporea, adeo quit *tangere ;* vide IV, 529 sqq. *Wak.*

645. *Fucata sonore.* Ut fucus veros rerum colores dissimulat oculosque fallit, sic verba suaviter sonantia veritatem aliquando mentiuntur et aures decipiunt. Audax quidem metaphora, sed quam nollem cum Wakef. portentosam judicare. ED.

646. *Nam quur tam variæ res*, etc. Argumentum primum Lucretii adversus Heraclitum. Arguit autem ex uno et solo igne tantam rerum, quæ sunt, diversitatem nasci non posse; neque aliud ex igne oriri, nisi ignem. Namque ex ipso Heraclito nihil ex igne etiam gigni potest, nisi aut condensatione, aut rarefactione. Atqui ex condensatione ignis nihil, nisi acrior ardor, fieri potest : ex rarefactione pariter ignis nihil, nisi remissior calor, oritur. *Fay.*

Nil prodesset enim calidum denserier ignem,
Nec rarefieri, si partes ignis eamdem
Naturam, quam totus habet super ignis, haberent.
Acrior ardor enim conducteis partibus esset:
Languidior porro disjecteis, disque supateis.
Amplius hoc fieri nihil est quod posse rearis
Talibus in causis; nedum variantia rerum
Tanta queat densis, rarisque ex ignibus esse.

Id quoque, si faciant admixtum rebus inane,
Denseri poterunt ignes, rareique relinqui:
Sed, quia multa sibi cernunt contraria inesse,
Et fugitant in rebus inane relinquere purum;
Ardua dum metuunt, amittunt vera viai:
Nec rursum cernunt, exemtum rebus inane,
Omnia denseri, fierique ex omnibus unum

648. *Calidum.* Cujus scilicet, utcumque modificati, sola proprietas *calor* est. *W.—Denserier.* Cf. vss. 396, 657.

650. *Super.* Wak. interpretatur: etiam, porro. Faber quem Haverc. sequitur, Virgilium citat, Æn. III, 489: « Sola mei *super* Astyanactis imago », ut sit *ignis super,* totus reliquus ignis; recte. Lamb. et Turneb. intelligunt ignem *superum*, cœlestem; quibus non assentior. Ed.

651. *Conducteis,* contractis, densatis.

652. *Disjecteis.* Rarefactis. — *Disque supatis.* Tmesis, pro *dissupatisque:* id est, laxatis, et non densatis. *Fay.*

653. *Amplius hoc.* Præter has plus aut minus intensi caloris vices, nihil aliud oriri potest, nisi mutatis causis, nisi aliæ subsint rerum causæ. Ed.

654. *Variantia,* varietas; sic III, 319. Vox aliis scriptoribus non usitata.

656. *Id quoque, si faciant,* etc. Argumentum alterum adversus Heracliti sententiam. Scilicet, etiamsi res cunctæ possent ex igne densato ac rarefacto oriri; tamen ignis Heraclito non densari nec rarefieri potest, quia Heraclitus non admittit inane rebus admixtum, sine quo res nec rarefieri, nec densari possunt. Namque ad rerum generationem requiritur motus: ad motum requiritur inane. Densitas autem et raritas sunt motus: ergo ubicumque sunt, erit et inane. *Fay.* — *Id quoque.* Supple: secundum. Vide ad v. 624. Male alii contra libros legunt *atque hi, si*, etc. — *Si faciant.* Id est, si ponant et statuant inane esse mixtum rebus. *F.*

657. *Denseri.* Vide ad vs. 393.

658. *Contraria inesse.* Sed quoniam hujusce opinionis asseclæ multa esse sibi contraria sentiunt atque iidem non admittunt vacuum; hinc fit ut veram viam amittant, dum salebrosam atque difficilem reformidant ingredi. *Wak.*

659. *Fugitant,* nolunt. Cf. VI, 1237.

660. *Ardua, vera viai.* Id est, arduum, et verum iter, vs. 355.

661. *Exemtum ... inane.* Alii, *exemto inani;* vide Disq. var.

Corpus, nil ab se quod possit mittere raptim,
Æstifer ignis uti lumen jacit, atque vaporem;
Ut videas non e stipatis partibus esse.
Quod si forte ulla credunt ratione potesse
Igneis in cœtu stingui, mutareque corpus;
Scilicet ex nulla facere id si parte reparcent,
Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor
Omnis, et ex nihilo fient quæquomque creantur.
Nam quodquomque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante:
Proinde aliquid superare necesse est incolume ollis,
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes,
De nihiloque renata virescat copia rerum.

663. *Mittere raptim.* Id est, celeriter, ita ut emissæ particulæ longissime decedant a corpore, quod eas jaculatur: qui videtur effectus stipatis corporibus male consentire. *Wak.*

664. *Æstifer ignis*, etc. Sed ignis lumen ex se emittit, et calorem. Igitur ignis non est solidum corpus, et sine inani. *F.* — Cf. II, 149.

665. *Stipatis*, solidis, et vacuo expertibus.

666. *Quod, si forte*, etc. Argumentum tertium adversus Heraclitum. Instat Lucretius, et ait ignem, quod esset primum rerum principium, non posse neque exstingui, neque mutare suam naturam, quum ad rerum concretionem concurreret, quia rediret in nihilum. Corpus enim simplex, et primum, qualis est ignis Heraclito, non potest mutari, nisi abeundo in nihilum. Atque adeo res non ex igne jam, sed ex nihilo fierent. *F.* — *Potesse.* Antique, pro *posse*, ut II, 225 et 1010.

667. *In cœtu*, in conciliatu, in concilio, in rerum concretione. — *Stingui*, interire, desinere esse ignes. — *Mutareque corpus*, naturam igneam amittere, et aliam sortiri.

668. *Reparcent.* Id est, abstineant. Si nempe ab hoc faciendo nulla ex parte abstineant, sed concedant ignes omnino exstingui, et suam naturam perdentes in aliam transire, actum est de Heracliti philosophia. *Wak.* — *Reparcare* [voluit sane *reparcere*] præter hunc locum non nisi bis legitur, apud Plaut. Truc. II, 4, 25, et Symmach. Epist. I, 33. Quare non mirum est lectioni *reparcent* substitutum esse *pararent*, vel *recepient*. *Facere* autem non solum in imperativo (ut II, 485), sed aliis etiam in modis Lucretius usurpat pro *sumere, putare;* cf. I, 748; III, 891; IV, 826, etc. *Forb.*

671. *Nam quodcumque.* Hi duo versus dogma continent Epicuri, tam certum et definitum, ut sæpius prorsus iisdem verbis recurrat; vs. 792; II, 753; III, 518. *Forb.*

672. *Hoc*, in quod mutatum est.

673. *Incolume*, immutabile, quod frangi ac mutari nequeat. — *Ollis*, scil. ignibus, vs. 667 commemoratis. *Forb.*

Nunc igitur, quoniam certissima corpora quædam
Sunt, quæ conservant naturam semper eamdem,
Quorum abitu, aut aditu, mutatoque ordine, mutant
Naturam res, et convortunt corpora sese;
Scire licet, non esse hæc ignea corpora rerum.
Nil referret enim, quædam discedere, abire,
Atque alio attribui, mutarique ordine quædam,
Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent:
Ignis enim foret omnimodis, quodquomque crearet.
Verum, ut opinor, ita est: sunt quædam corpora, quorum
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ,
Efficiunt igneis, mutatoque ordine mutant
Naturam: neque sunt igni simulata, neque ullæ

676. *Nunc igitur, quoniam*, etc. Argumentum quartum. Scilicet concludit Poeta superesse rebus corpuscula alia, quam ignem; quorum abitu et accessu, variaque positura, ipse ignis, et cetera omnia fiant et intereant; et quæ neque igni tamen, neque aliis rebus assimilata sint; hoc est, quæ neque ignea sint, neque alia natura, quæ valeat sensus nostros tangere per aliquid, quod ex se mittat. Si vero ex igne cuncta fierent, nihil sane prodesset illorum corpusculorum aditus, aut positio varia; quum per hæc novæ rerum aliarum concretiones fieri possent; sed quicquid crearetur, id totus ignis foret, quoniam ex igne nihil nisi ignis procreari potest. *F.*

680. *Scire licet.* Hinc perspicuum est rerum principia non ex igne fieri.

681. *Discedere.* Vulgo *decedere;* sed cf. III, 973. Sic restituit Forb. e cod. Vind.; libri vero omnes *descendere.*

682. *Alio.* Vulgo *alia.* — *Alio attribui,* id est, in alio loco res addi, dum ex alio decedunt. *Wak.*

683. *Si tamen.* Forbiger legit *tantum*, exponitque: « Etiamsi ignea primordia omni modo mutarentur, et nihil nisi igneam suam naturam retinerent, jam hoc unum quod ignea essent, sufficeret ad impediendum, quominus ex iis alia, quam ignea, corpora orirentur ». Vulgata autem facilior.

684. *Omnimodis*, omnino, omnibus modis id, quod ignis procrearet, foret ignis. Alii legunt *omnimodus;* alii *unimodus.* — *Crearet*, sc. ardor ille naturam materiæ genitricis efficiens. *Forb.*

685. *Verum, ut opinor, ita est.* Nunc sententiam suam exponit, quomodo ignes et cætera omnia e corpusculis, sensus nostros fugientibus, oriantur. Ed.

686. *Concursus*, conciliatus, congressus; vs. 635.

687. *Mutant Naturam.* Hoc est, non eamdem rem generant, quam antea.

688. *Simulata*, assimilata, cognata, similis naturæ. Alii *similata.* Hic autem sensus est: quod prima corpora neque ignea constent natura, neque alia, quæ possit sensus nostros tangere per aliquid, quod ex se mittat; sunt enim illa corpora prima simplicissima, et individua. *F.* — *Ullæ.* Antique, pro *ulli.*

Præterea rei, quæ corpora mittere possit
Sensibus, et nostros adjectu tangere tactus.
Dicere porro ignem res omneis esse, neque ullam
Rem veram in numero rerum constare, nisi ignem,
Quod facit hicc' idem, perdelirum esse videtur.
Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat,
Et labefactat eos, unde omnia credita pendent;
Unde hic cognitus est ipsi, quem nominat ignem.
Credit enim sensus ignem cognoscere vere;
Cætera non credit, quæ nilo clara minus sunt:
Quod mihi quom vanum, tum delirum esse videtur.
Quo referemus enim? quid nobis certius ipsis
Sensibus esse potest? quî vera, ac falsa notemus?
Præterea, quare quisquam magis omnia tollat,

689. *Rei.* Olim, ut Priscianus docet lib. I, scripserunt *reii*, unde passim producitur. *Hav.*

690. *Adjectu.* IV, 675. Jactu ad sensus, appulsu, seu conjectu, qui ad nostros tactus perveniat. *Lamb.* — *Tactus.* Nam omnis sensus necessario tactus est. *Fab.*

691. *Dicere porro ignem*, etc. Argumentum quintum adversus Heraclitum, quod ipsum suo, ut aiunt, telo conficit. *Fay.*

692. *Rem veram.* Multas enim res, quæ veluti elemento diversæ videntur, per se tamen *vere* non exsistere, sed ex igne gigni contendit Heraclitus. Ed.

693. *Hicc'*, Heraclitus. — *Perdelirum.* Rectam veræ rationis semitam transgreditur. De qua dictione vide Nonium in voce *delirare*, et Isid. Origg. X. *Wak.*

694. *Contra sensus*, etc. Nam dum argumentatur ab ipsis sensibus per quos ignem esse cognovit, adversus eosdem tamen pugnat qui pariter alia nobis ostendunt esse elementa, ut aquam, aerem, terram. Ergo si sensibus fidem adhibeamus, (quæ non deroganda, ut docuit vs. 424,) plus uno elemento admittendum est. Vide ad IV, 1081. Ed.

696. *Ipsi*, Heraclito.

698. *Cætera.* Vel elementa, puta aerem, aquam, et terram; quæ ab aliis philosophis reponuntur in numero principiorum: vel ceteras res omnes, quæ sensibus æque cognoscuntur, ac ipse ignis. *Fay.*

699. *Vanum.* Id est, falsum, mendax, ut apud Virg. Æn. II, 80. *Wak.*

700. *Quo.* Ad quid? Sic vs. 425, ubi hanc sententiam jam protulerat.

701. *Qui vera*, etc. Quomodo vera a falsis distinguamus? Vulgares editi, orationem continuantes, dant *quo.* Alterum haud dubie hic præstat.

702. *Præterea, quare quisquam*, etc. Ultimum argumentum adversus Heraclitum. — Supponit, si aquam, si alia, tam multa inspexerimus tetigerimusve, aliam plane nobis naturam apparituram, quam ignem; unde docet non esse majorem rationem, cur asseramus omnia esse ignem, quam negato igne quidvis aliud. *Gassendus.* — *Magis omnia.* Nulla ratio

Et velit ardoris naturam linquere solam,
Quam neget esse igneis, summam tamen esse relinquat?
Æqua videtur enim dementia dicere utrumque.
Quapropter, quei materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere posse;
Et quei principium gignundeis aera rebus
Constituere; aut humorem queiquomque putarunt
Fingere res ipsum per se; terramve creare
Omnia, et in rerum naturas vortier omneis;
Magno opere a vero longei deerrasse videntur.
Adde etiam, quei conduplicant primordia rerum,
Aera jungentes igni, terramque liquori;
Et quei quatuor ex rebus posse omnia rentur,
Ex igni, terra, atque anima procrescere, et imbri;
Quorum Agragantinus cum primis Empedocles est :

est cur quisquam alia elementa potius removeat, et ignem solum agnoscat, quam contra contendat ignes non esse, sed tria tantum principia. Ed.

704. *Summam*, numerum aliorum elementorum.

706. *Quapropter, quei materiem.* Concludit affirmando errare omnes qui rebus singulare principium constituunt, non modo ignem, ut Heraclitus, sed etiam aera, ut Anaximenes Milesius; vel aquam, ut Thales Milesius; vel terram, ut Pherecydes : testibus Plut. De placitis phil., Cicerone Nat. D. I, 10, § 25, 26, al. Ed. — Vide vs. 636, 637.

707. *Summam*, universam rerum naturam.

711. *Vortier*, mutari, transformari in cujuslibet rei naturam.

712. *Magno opere.* Magnam quasi operam dedisse putes, ut procul diversi a veritate deerrarent. *Wak.* — *Longei deerrasse.* Similem formulam vide ad II, 740; III, 464; IV, 1100.

713. *Adde etiam*, etc. His 116 vss. ceterorum philosophorum, sed unius præsertim Empedoclis sententiam refutat, qui non unum e quatuor vulgaribus elementis, sed aut duo, aut tria, aut quatuor simul statuerunt esse prima rerum principia. De his jam sigillatim. His itaque 4 vss. prioribus notat tantum horum omnium diversas opiniones.

714. *Aera jungentes igni.* Sic Œnopides Chius. *F.* — *Terramque liquori.* Sic Xenophanes. Porro et Armenides ignem terræ junxit : et Hippo Rheginus atque Archelaus ignem junxerunt aquæ : et Onomacritus ignem, aquam, et terram simul posuit primordia rerum. *Fay.*

715. *Et quei quatuor*, etc. Empedocles inprimis, cujus opinionem nominatim refutaturus est. *Fay.*

716. *Anima*, aere, qui flatus, spiritus, et anima est. Sic Virg. Eclog. VI, 32 : « Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent, Et liquidi simul ignis », etc. *F.* — *Imbri*, aqua. Sic vs. 784.

717. *Quorum Agragantinus*, etc.

Insula quem triquetris terrarum gessit in oris;
Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor
Ionium glaucis adspergit virus ab undis,
Angustoque fretu rapidum mare dividit undis
Æoliæ terrarum oras a finibus ejus.
Hic est vasta Charybdis, et hic Ætnæa minantur
Murmura, flammarum rursum se colligere iras,
Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis,
Ad cœlumque ferat flammai fulgura rursum.

His octodecim vss. laudes et nationem Empedoclis prædicat. Scilicet natus est hic Agrigenti in Sicilia : Metonis notissimi fuit filius : floruit circa 84 Olymp. hoc est an. circiter 404, ante Christum natum : Euripidi et Parmenidi coætaneus : quem nescias poetasne inter, an philosophos annumeres ; quippe qui eleganti carmine scripserit de rerum natura. Is porro docuit ex quatuor elementorum amicitia cuncta procreari. *Lamb.* et *Fay.* — *Cum primis,* inprimis : vel inter primos, vs. 131.

718. *Triquetris,* triangularibus. Sicilia quippe triangularem habet figuram, cujus in angulis tria sunt notissima promontoria, Pelorus, Pachynus, et Lilybæus. Hinc Trinacria, et Triquetra dicitur. Plin. III, 14 ; Justin. IV, 1, 2 ; Virg. Æn. III, 384, 429, et alii.—*Gessit.* Vel habuit, continuit, possedit ; vel potius genuit, tulit.

719. *Amfractibus.* Quasi ambitibus et circuitionibus fractis et interruptis. — Hinc intellige *maris* Ionii amfractus, non *litoris*, quamvis in utramque partem dictio indifferenter spectet. Cf. Val. Flacc. II, 452 ; IV, 727 ; Plin. III, 1, alios. *Wak.*

720. *Ionium.* Ea pars est Mediterranei maris, quæ Siciliam inter et Cretam supra fauces Adriatici maris extenditur. Unde a Græcis divisum est Ionium mare in Siculum et Cretense. Plin. IV, 18, § 14. *F.*—*Virus.* Aquæ marinæ salsuginem notat ; II, 476 ; V, 270 ; VI, 636.

721. *Fretu.* Antique *fretus,* quartæ declinationis, ut VI, 364. Illud autem angustum fretum notat Poeta, quod Siciliam ab Italia dirimit, quum antea Sicilia Italiæ juncta fuerit : sed fluctuum vi tandem abscissa est. Virg. Æn. III, 414.—Sensus est : Et mare, ob angustias freti rapidum et exæstuans, undis separat oras terrarum Italiæ a litoribus *ejus*, id est, Siciliæ. Ed.

722. *Æoliæ.* Alii *Italiæ*, ex interpretatione, ne Siciliam lector intelligeret. *Wak.*

723. *Charybdis.* Vide Virg. Æn. III, 420.—*Ætnæa... Murmura.* Ætna mons est Siciliæ, de quo Lucretius plura memorat VI, 639 et sqq.

724. *Flammarum rursum.* Quia jam sæpius vicinis urbibus clades intulit, timent populi, quoties montis audiuntur murmura, ne iterum accendatur et incendium evomat. Ed.

725. *Faucibus*, crateribus ; VI, 703. — *Eruptos.* Sic Virg. Æneid. III, 199 : « erupti e nubibus ignes ».

726. *Fulgura,* fulgores, splendores. Fulgur et fulgor idem sunt Lucretio passim. II, 726. — At forsan *fulgura* dixit eodem sensu quo *tonat* Virg. Æneid. III, 571. Ed.

Quæ, quom magna modis multis miranda videtur
Gentibus humaneis regio, visundaque fertur,
Rebus opima bonis, multa munita virum vi;
Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec sanctum magis et mirum carumque, videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, et exponunt præclara reperta;
Ut vix humana videatur stirpe creatus.
Hic tamen, et, supra quos diximus, inferiores
Partibus egregie multis, multoque minores;
Quamquam, multa bene ac divinitus invenientes,
Ex adyto tanquam cordis, responsa dedere
Sanctius, et multo certa ratione magis, quam
Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur;
Principiis tamen in rerum fecere ruinas,
Et graviter magnei magno cecidere ibi casu:

727. *Magna .... miranda.* Duo epitheta ἀσυνδέτως posita, vel, ut vult Wak. dictum pro *magnum miranda*, ut *rauca fremens* Virgilio; quod tamen parum placet. Malim exponere: quæ quum, magna exsistens multas ob causas, videtur miranda, etc. Ed.

729. *Multa munita virum vi.* Potens ob maximam incolarum copiam. Cf. Virg. Æn. I, 271. Ed.

730. *Hoc viro,* Empedocle.

731. *Sanctum;* quasi deus aliquis divinæque interpres veritatis; *carum*, quod in deliciis humano generi sit. *Wak.*

733. *Vociferantur.* Alta voce hoc laudibus ejus testimonium eloquuntur: vide II, 1050; ne τὸ *reperta* huic verbo jungas. *Wak.*

734. *Vix humana.* Cf. V, 8, 52, ubi Epicurus magis etiam, quam hic Empedocles, laudibus ad cœlum usque tollitur et dei similis prædicatur. *Forb.*

735. *Hic tamen*, etc. Redit ad rem, et erroris falsitatisque arguit Empedoclem, quamvis doctum et magnum virum fuisse prædicaverit. Arguit et ejusdem erroris nonnullos, qui, licet fuerint inferiores doctrina, quam Empedocles, nihilominus etiam responsa fecerunt magis sancta et præclara, quam ea, quæ Pythia Phœbi sacerdos facere solet ex tripode. *Fay.*

736. *Egregie,* valde, impense. Terent. Heaut. III, 1, 11 (vs. 420), «*egregie* ad miserias natus sum». Conf. Andr. I, 6, 38 (273).

738. *Ex adyto cordis.* Cf. Lucan. IX, 565, et Stat. Silv. III, 5, 56.

740. *Pythia.* Sacerdos enim Apollinis apud Delphos oracula reddebat ex tripode. Tripus autem ille, et sacerdotes ipsæ coronabantur lauro Apollini sacra. Unde ex tripode et lauro profari dicebantur. *Fay.*

741. *Fecere ruinas.* Id est, lapsi sunt. Vid. Horat. Sat. II, 8, 54.

742. *Cecidere ibi.* Id est, super ruinis

Primum, quod motus, exemto rebus inani,
Constituunt, et res molleis rarasque relinquunt,
Aera, solem, ignem, terras, animalia, fruges;
Nec tamen admiscent in eorum corpus inane:
Deinde, quod omnino finem non esse secandeis
Corporibus faciunt, neque pausam stare fragori;
Nec prorsum in rebus minumum consistere quidquam:
Quom videamus id extremum quojusque cacumen
Esse, quod ad sensus nostros minumum esse videtur;
Conjicere ut possis ex hoc, quod cernere non quis,
Extremum quod habent, minumum consistere rebus.
Huc accedit item, quoniam primordia rerum
Mollia constituunt, quæ nos nativa videmus
Esse, et mortali cum corpore funditus: atqui

principiorum quas ipsi fecerant, procubuere. *Wak.*

743. *Primum, quod motus*, etc. Primus est eorum error, quia voluerunt motum fieri posse sine inani: admiserunt*que* res cunctas, quæ tamen esse nequeunt sine inani; puta aera, solem, hoc est, æstum solis, etc. Quæ omnia mollia sunt et rara corpora, atque adeo inane admixtum habeant necesse est. Quod utrumque rite demonstravit supra vs. 330, et 427. *Fay.*

746. *Admiscent in corpus*, inane non admittunt. Sic «miscentur *in unum*» apud Virg. *Æn.* XII, 714. Cf. etiam supra vs. 570; III, 821; V, 366, ubi *admiscere* pariter τῷ *in* jungitur.

747. *Deinde, quod*, etc. Alter eorum error quod, dum quatuor, aut duo elementa rerum statuunt, rebus tamen frangendis finem non faciant; contra quod rite disseruit ipse Lucretius supra vs. 552, et sqq. *F.*

748. *Pausam*, moram, finem, III, 944; IV, 1109. — *Fragori*. Quasi fractioni; discidio, rebus frangendis.

750. *Quom videamus*, etc. Ita capias structuram orationis, et auctoris mentem: «Est extremum crassius cacumen corporibus, quod nos videre quimus; unde pronum est conjicere, id extremum tenuius quod habent corpora, et quod visu contingere non possumus, rebus minimum consistere. *Wak.* — *Cacumen*. Supra vs. 600.

753. *Extremum quod habent*, etc. Inesse rebus aliquid minimum, quod res ipsæ ultimum habent.

754. *Huc accedit*, etc. Tertius error Empedoclis, quod rerum primordia statuat mollia, nativa, et mortalia. Principia autem rerum solida esse debent, principio et fine carentia; quod supra demonstratum est. *F.* — *Quoniam*. His etiam alia accedit difficultas, quoniam, etc. Vide tamen infra Disq. var.

755. *Quæ nos nativa*, etc. Res enim molles generari, et corrumpi, et mortali omnino natura constare videmus. Ed.

756. *Atqui*. Inde autem necessario sequitur, ut universa rerum natura ad nihilum redeat.

Debeat ad nihilum jam rerum summa revorti,
De nihiloque renata vigescere copia rerum :
Quorum utrumque quid a vero jam distet, habebas.
Deinde inimica modis multis sunt, atque venena
Ipsa sibi inter se; quare aut congressa peribunt,
Aut ita diffugient, ut, tempestate coacta,
Fulmina diffugere atque imbreis ventosque videmus.
Denique, quatuor ex rebus si cuncta creantur,
Atque in eas rursum res omnia dissoluuntur,
Quî magis olla queunt rerum primordia dici,
Quam contra res ollorum, retroque putari?
Alternis gignuntur enim, mutantque colorem,
Et totam inter se naturam, tempore ab omni.
Sin ita forte putas ignis terræque coire

758. *Vigescere.* Alii *virescere*, quod fortasse irrepsit e vs. 675.

759. *Habebas*, noveras, nempe e vss. 160 sqq., 216 sqq.

760. *Deinde inimica*, etc. Quarto argumento Empedoclem urget, arguitque male ab illo quatuor elementa statui rerum principia; quia mutuo sese perimunt et mutant; utpote quæ natura constant contraria. Ignis enim qui calidissimus et siccus, pugnat cum aqua, quæ frigidissima est et humida. Et ita de aliis. *F.* — *Venena*, mortifera, lætalia sibi invicem.

761. *Congressa*, conciliata, coalita.

762. *Tempestate coactâ.* Quum nubes, quæ tempestatem efficiunt, *cogi* dicantur, quidni ipsa tempestas *coacta* esse possit? ut ipse Virgilius Georg. I, vs. 323, *glomerare tempestatem* dixit. Cf. apud Lucan. VII, 395, *nocte coacta.* Nollim cum Creechio *coacta* τῷ fulmina jungere. Ed.

764. *Denique, quatuor*, etc. Quinto argumento urget Empedoclem ex eo, quod non sit potior ratio cur ille quatuor elementa statuat rerum principia, quam res ipsas elementorum primordia; quum ex rebus ipsis vulgo et passim generentur ignis, aer, aqua, et terra, perinde ac res fiant ex igne, aere, aqua, et terra. *F.*

766. *Olla*, elementa quatuor. Mutat autem genus; namque vs. 764, dixit *quatuor ex rebus*, sed hoc ipsi familiare est. *Lamb.* — Forsan tamen *olla* dixit per attractionem, ut aiunt, ob sequens *primordia;* quæ locutio haud inelegans est. Sic fere Sallust. Cat. 20: « idem velle atque nolle, *ea* demum firma amicitia est ». Ed.

767. *Retro*, ex adverso, invicem.

768. *Colorem*, formam exteriorem; quæ sub oculos cadit. *F.*

770. *Sin ita forte putas*, etc. Concludit asserendo quatuor elementa in rebus procreandis non posse suam quæque servare naturam, atque integra remanere; aliàs enim ex iis non res vere et proprie crearentur; sed acervus seu aggregatum quoddam rerum, atque confusio quatuor elementorum, quæ inter se pugnarent. *Fay.*

Corpus, et aerias auras, roremque liquorum,
Nil in concilio naturam ut mutet eorum;
Nulla tibi ex ollis poterit res esse creata,
Non animans, non exanimo cum corpore, ut arbos:
Quippe suam quidque in cœtu variantis acervi
Naturam ostendet, mixtusque videbitur aer
Cum terra simul et quodam cum rore manere:
At primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandestinam cæcamque adhibere;
Emineat ne quid, quod contra pugnet, et obstet,
Quo minus esse queat proprie, quodquomque creatur.
Quin etiam repetunt a cœlo atque ignibus ejus;
Et primum faciunt ignem se vortere in auras
Aeris: hinc imbrem gigni, terramque creari
Ex imbri; retroque a terra cuncta revorti,

771. *Aerias auras.* Eadem verborum conjunctio quam Isidorus Orig. XIII, 11, e Lucretio commemorat, invenitur etiam IV, 934, et V, 502. *Ros* autem, ut aliis, sic Nostro etiam sæpius pro simplici *aqua* usurpatur, I, 497, 777; IV, 438. *Forb.*

772. *Concilio*, cœtu, congressione, conciliatu.

775. *Quippe suam*, etc. Nam quodlibet horum quatuor elementorum suam semper naturam ostendet in illa rerum diversarum confusa coacervatione. Ed.

779. *Cæcam*, latentem et obscuram, quæ sub sensus non cadat. — Wak. velit *certam*; male, ut opinor, et sensu ipso reclamante, quia vox ea opponitur τῷ *emineat*; non autem τῷ *proprie*. Ed.

780. *Emineat ne quid.* Cf. quæ ad vs. 775. Vult igitur in primordiis nihil esse quod sensibus percipiatur, quia non aliter possent in varias res se transformare; et sic res omnes creatæ non *propriam*, et peculiarem; sed ubique et semper similem naturam sortirentur. Ed.

782. *Quin etiam repetunt*, etc. Urget Empedoclem et ejus asseclas, qui mutuam elementorum mutationem admittunt. Quæ quam absurda sit probatur ex eo, quod repugnat naturæ primordiorum, quæ immutabilia esse debent, ut demonstratum est sup. vs. 592, ne res cunctæ redeant ad nihilum. Igitur, quum elementa commutentur ad se invicem, non possunt esse rerum principia. *F.* — *Repetunt.* Initium ducunt, exordiuntur: vel repetunt *primordia* (e vs. 778), quod magis placeret ne *repeto* absolute ponatur. Vide etiam de hoc Heracliti placito quæ Noster sup. exposuit vs. 666 sqq. Ed. — *A cœlo*, ab æthere, in quem sublimis ignis fertur, in quo esse creditur. Quanquam non in æthere, sed in cœlo ignem esse veteres crediderunt. *F.*

783. *Auras aeris.* Ut distinguantur ab *auris ætheriis*, proprie vitalibus: Virg. Æn. V, 520. *Wak.*

784. *Hinc.* Id est, ex aere. Senec. Nat. Quæst. III, 20: « ex *spiritu*, qui in *aquam* transfiguratus est ». *Wak.*

Humorem primum, post aera, deinde calorem:
Nec cessare hæc inter se mutare, meare
A cœlo ad terram, de terra ad sidera mundi:
Quod facere haud ullo debent primordia facto.
Immutabile enim quiddam superare necesse est;
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodquomque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Quapropter, quoniam quæ paullo diximus ante,
In commutatum veniunt, constare necesse est
Ex aliis ea, quæ nequeant convortier usquam:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Quin potius, tali natura prædita, quædam
Corpora constituas; ignem si forte crearint,
Posse eadem, demtis paucis, paucisque tributis,
Ordine mutato et motu, facere aeris auras:
Sic alias aliis rebus mutarier omneis.
At manifesta palam res indicat, inquis, in auras

787. *Mutare.* Eodem sensu quo *mutari*, vel *se mutare.* Cf. sup. vs. 398, et infra 1090; VI, 1188. Ad rem conf. Ovid. Met. XV, 244 sqq.

788. *Mundi*, cœli, quæ Universi pars est nobilior, et a poetis usurpatur pro toto mundo, vs. 74, 1053, etc.

789. *Haud ullo facto.* Id est, ex nullis rerum actionibus inter se, ex nulla naturæ constitutione. *Wak.* — Malim tamen simplicius *pacto;* neque placet *facere facto.* Sed plures addicunt codices: cf. vs. 941. Ed.

790. *Superare*, superesse, perpetuo remanere; vs. 580.

792. *Nam quodcumque*, etc. Vs. 671.

794. *Quæ.* Suppl. elementa quatuor.

795. *In commutatum*, in mutuam mutationem. Commutatus, ûs. Sic vs. 1094, cibatum. *F.* — Vel participium est, ut sup. v. 385.

796. *Ea.* Scilicet elementa necesse est constare ex aliis quæ immutabilia sint. *Lamb.*

798. *Quin potius*, etc. Hos 4 vss. quidam legunt cum interrogatione, hoc sensu et ordine: Cur non potius constituas quædam corpora tali natura prædita; ut, si forte ignem creaverint, possint quoque, paucis detractis aut additis, aerem creare? Verum sensus idem satis per se patet, etiam sine interrogatione. *Fay.*

799. *Ignem si forte.* Bentl. conjicit *ignem ut si*, etc. sed infeliciter. Constructio sic se habet: hac natura corpora constituas; eadem scilicet, si forte ignem creaverint, posse, etc. *W.*

802. *Aliis rebus.* Eodem modo cæteras res omnes in alias verti posse.

803. *At manifesta palam res*, etc. Objectionem proponit et solvit: Plantæ

Aeris e terra res omneis crescere, alique:
Et nisi tempestas indulget tempore fausto
Imbribus, et tabe nimborum arbusta vacillant;
Solque sua pro parte fovet, tribuitque calorem;
Crescere non possint fruges, arbusta, animantes,
Scilicet; et nisi nos cibus aridus et tener humor
Adjuvat, amisso jam corpore, vita quoque omnis
Omnibus e nervis atque ossibus exsoluatur.
Adjutamur enim duhio procul atque alimur nos
Certis ab rebus, certis aliæ atque aliæ res:
Nimirum, quia multimodis communia multis
Multarum rerum in rebus primordia multa
Sunt; ideo variis variæ res rebus aluntur.

cæteraque animalia nutritionem et incrementum suum quatuor elementis debent. Omnia enim e terra crescunt, quod nemo neget; sed tamen nisi benignus aeris tepor, calor solis, et opportuni imbres accedant, nihil quidquam terra ex sese progignet: ergo fatendum est aquam, ignem, etc. esse principia. Respondet vs. 809, ea non magis principia esse quam vinum, triticum, et alia quibus vitam sustentamus. Quæ enim nutriunt, non sunt illico principia, sed illa potius ex quibus ipsa sic contexuntur ut rebus alimento sint. *Creech.*

805. *Tempestas indulget.* Virgilius Georg. II, 345, *cœli indulgentia;* unde Wakef. colligit hic *tempore fausto* de veris imbribus unice intelligendum. Malim tamen omnino dictum accipere de imbribus, qui, vere quidem potius, sed alia quoque anni tempestate fruges et arbores innutriunt. Sensus est: nisi tempestas indulget imbribus, tempore opportuno, nisi sol, etc. tunc arbores crescere non possunt. Ed.

806. *Tabe nimborum*, nimbis liquefactis, in humorem resolutis; sic *tabe nivis* apud Luc. X, 225. Vide Disq. var. Ed. — *Vacillant*, nutant gravata, frondibus quasi defatigatis. *Wak.*

809. *Scilicet*, recte; sic se res habet, refert Lucretius. Cf. vs. 900. — *Cibus aridus.* Alimenta sicca, quæ liquidis opponit.

810. *Amisso jam corpore*, tabefacto, siccato; Cic. epist. ad Div. VII, 26: « vires et corpus amisi ». Sic inf. 1038.

813. *Certis aliæ.* Scil. a rebus quoque nutriuntur.

814. *Nimirum, quia*, etc. Disputat fuse IV, 635 sqq. cur alius aliis animantibus ac rebus sit cibus, aliudve alimentum. *F.*—Sensus est: Nam quia multis in rebus communia multarum rerum semina diversimode miscentur, idcirco diversæ res nutriuntur a diversis rebus. —Valde amat Lucretius voces ejusdem significationis cumulare, qua verborum abundantia vis sententiæ adaugeatur; cf. vs. 969; II, 1060; V, 337, 1429, etc. Inprimis ejusdem vocis *multus* bis terve positæ concursus in deliciis Nostro fuisse videtur; vs. 824, 1023; II, 115, 654, 695, etc. *Forb.*

Atque eadem magni refert primordia sæpe
Cum quibus, et quali positura contineantur;
Et quos inter se dent motus accipiantque.
Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, solem,
Constituunt; eadem fruges, arbusta, animanteis:
Verum aliis alioque modo commixta moventur.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides, multis communia verbis;
Quom tamen inter se versus ac verba necesse est
Confiteare et re et sonitu distare sonanti:
Tantum elementa queunt, permutato ordine solo!
At rerum quæ sunt primordia, plura adhibere
Possunt, unde queant variæ res quæque creari.
Nunc et Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομέρειαν,
Quam Graiei memorant, nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrii sermonis egestas:
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis,
Principium rerum, quam dicit ὁμοιομέρειαν.

823. *Quin etiam passim*, etc. His 7 vss. eadem, qua supra vs. 197, et II, 688, ubi hos versus repetit, comparatione utitur. Nimirum sicut literæ, quæ sunt vocum elementa, pro varia positura, et ordine vario possunt diversas voces, dictiones, et versus etiam diversos formare: ita et corpora prima, quæ sunt rerum principia, res varias possunt procreare pro vario motu, ordine, et positura, etc. *Fay.*

824. *Elementa*, literæ; sic vs. 827, supra vs. 198.

826. *Sonitu sonanti.* Vocali pronunciatione, ut aiunt. Geminata dictio, ut sæpius apud veteres. Sic Virg. Æneid. II, 53, *cavæ cavernæ.*

828. *At rerum*, etc. At rerum semina, quum sint longe plura quam verborum elementa, pluribus principiis pluribusque etiam modis conjungi possunt; ideoque ex iis rerum spectabilis varietas oriri. *Creech.*

830. *Nunc et Anaxagoræ*, etc. His 92 vss. jam explosa Heracliti, Empedoclis, et aliorum sententia de primis rerum principiis, Anaxagoræ pariter opinionem de iisdem refutare tentat. *Fay.* —Ὁμοιομέρειαν. Homœomeriam, similium partium naturam, vel partium similitudinem: a vocibus Græcis ὅμοιος *similis*, et μέρος *pars. F.*

832. *Patrii sermonis*, Romani, seu Latini, hanc verborum consociationem difficile admittentis. Huc alludit Plinius, Epist. IV, 18.

834. *Principium.* Sed tamen quid ipse velit, quum homœomeriam ait esse rerum principium, non difficile est explicare.

Ossa videlicet e pauxillis atque minutis
Ossibu', sic et de pauxillis atque minutis
Visceribus viscus gigni; sanguenque creari
Sanguinis inter se multis coeuntibu' guttis:
Ex aurique putat micis consistere posse
Aurum, et de terris terram concrescere parvis;
Ignibus ex igneis, humorem humoribus esse.
Cætera consimili fingit ratione, putatque.
Nec tamen esse ulla parte idem in rebus inane
Concedit, neque corporibus finem esse secandeis.
Quare in utraque mihi pariter ratione videtur
Errare; atque ollis juxta, quos diximus ante.
Adde, quod imbecilla nimis primordia fingit;

835. *Ossa videlicet*, etc. Fingit et putat Anaxagoras singulas partes cujusque rei, si diversæ sint, ex singulis partibus ac principiis similibus fieri. Sic vult ex minutis parvisque ossibus ossa procreari: ex minutis visceribus viscera, etc. Verum neque rebus intermixtum esse inane; neque rebus frangendis dari finem voluit. *F.*

837. *Sanguen.* Sic antiquiores; consule Nonium III, 203, et Gell. III, 7, et Barth. ad Stat. Theb. IV, 464. *Wak.*

839. *Ex aurique.* Bentleius et Wak. nollent hic aera solum ex omnibus elementis prorsus negligi, leguntque *auræ*.... *auram.* Ingeniose quidem, sed contra codd. Ed. — Porro si Lucretius de quatuor elementis modo disputaturus fuisset, ossium, viscerum, et sanguinis commemoratio non minus aliena esset. Accedit denique quod poeta noster alibi etiam aurum in exemplum adducere amat; cf. vs. 493; II, 829; VI, 950, etc. *Forb.*

841. *Ignibus ex igneis.* I. e. ignes ex ignibus; præpositio postponitur, ut II, 791, et apud Virg. Ecl. VI, 19. Ed.

843. *Nec tamen*, etc. Argumentum primum adversus Anaxagoræ sententiam. Scilicet, quia nec inane rebus, nec frangendis corporibus finem admittit Anaxagoras, eadem adversus illum retorquet argumenta Lucretius, quæ adversus Heraclitum, Empedoclem, et alios supra. *F.*

846. *Atque ollis juxta.* Sic diserte cod. Brit. 3 ex quo recepimus. Vulgo *atque illi supra quos;* ut jungatur locutio *pariter atque illi.* Sed *juxta*, adverbialiter positum, Sallust. Jug. 72 et 95; tertio casui bene jungitur. Liv. XXIV, 19, § 6: « rem parvam ac *juxta magnis* difficilem ». Sensus est: « In utraque re pariter errant, atque etiam similem errorem Heracliti discipulis supra commemoratis ». *Forb.* et *Wak.*

847. *Adde, quod imbecilla*, etc. Argumentum alterum. Carpit autem Lucretius Anaxagoræ principia, tanquam imbecilla, et ad resistendum inepta, quum eadem natura constent, qua res ipsæ concretæ, quæ et mortales sunt, et facile perimuntur. Igitur necesse foret ut et ad nihilum res in interitu redirent, et ex nihilo rursum exorirentur, quum nihil in illis firmum

Si primordia sunt, simili quæ prædita constant
Natura atque ipsæ res sunt; æqueque laborant,
Et pereunt; neque ab exitio res ulla refrænat.
Nam quid in oppressu valido durabit eorum,
Ut mortem effugiat, leti sub dentibus ipsis?
Ignis? an humor? an aura? quid horum? sanguis an? anne os?
Nil, ut opinor; ubi ex æquo res funditus omnis
Tam mortalis erit, quam quæ manifesta videmus
Ex oculis nostris, aliqua vi victa, perire.
At neque recidere ad nihilum res posse, neque autem
Crescere de nihilo, testor res ante probatas.
Præterea, quoniam cibus auget corpus alitque;
Scire licet, nobis venas, et sanguen, et ossa,
Et nervos alienigenis ex partibus esse:
Sive cibos omneis commixto corpore dicent
Esse, et habere in se nervorum corpora parva,
Ossaque, et omnino venas, parteisque cruoris:

superaret, quod morti posset obsistere. Primordia autem debent esse firmissima, et immortalia. *F.*

848. *Si primordia sunt,* etc. Si tamen ea dici possunt principia, quæ, etc.

850. *Neque ab exitio.* Id est, æque interitui obnoxia, et nequaquam ab exitio secura.

851. *Oppressu valido,* acri oppressione, qua res intereunt.

853. *Anne os?* Id est, ossa.

856. *Vi victa.* Wak. locum corruptum suspicatus ex ingenio restituit *vi functa,* collato III, 814. Sed quare sollicitemus codd. lectionem, quum bene habet? Ed. — Cf. vs. 1081; IV, 1115; 1281; V, 110, 307, 1103, etc. *Forb.*

857. *Recidere.* Sic vs. 1062. Quidam ut metro consulant, legunt *reccidere.* Equidem crediderim poetas aliquando syllabam *re* ex arbitrio produxisse, ut multis exemplis probari potest. Cæterum res eodem redit. Ed. — *Autem.* Id est, contra. Cf. 1078.

858. *Testor res ante probatas.* In testimonium voco ea quæ supra jam demonstravi, vs. 216 et seqq. Ed.

859. *Præterea, quoniam cibus.* Argumentum tertium.—Ex variis alimentis quæ dissimilibus prorsus constant partibus corpora nostra nutriuntur; unde partes nostri corporis dissimilibus constare sequitur: singulæ enim partes, ossa, nervi, venæ, etc. diversis et dissimilibus alimentis nutriuntur. Si autem dicant ista alimenta continere particulas nervorum, ossium, etc. fateantur necesse est non esse in istis corporibus eam, quam finxit Anaxagoras, Homœomeriam. *Creech.*

862. *Commixto corpore,* miscello, et alienigenis ex partibus composito. *Wak.*

Fiet, uti cibus omnis et aridus, et liquor ipse
Ex alienigenis rebus constare putentur,
Ossibus, et nervis, venisque et sanguine mixta.
Præterea, quæquomque e terra corpora crescunt,
Si sunt in terris, terram constare necesse est
Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur.
Transfer item, totidem verbis utare licebit:
In lignis si flamma latet fumusque cinisque,
Ex alienigenis consistant ligna necesse est;
Ex alienigenis, quæ lignis exoriuntur.
Linquitur hic quædam latitandi copia tenuis,
Id quod Anaxagoras sibi sumit; ut omnibus omneis
Res putet immixtas rebus latitare, sed illud
Apparere unum, quojus sint plurima mixta,
Et magis in promtu primaque in fronte locata:
Quod tamen a vera longe ratione repulsum est.

865. *Aridus.* Cf. 809.

866. *Ex alienigenis.* Contra Anaxagoræ doctrinam, quæ res consimiles postulat.

867. *Mixta.* Neminem offendat prædicatum neutrius generis *mixta*, substantivis masculini generis *cibus, liquor* adjectum. Vide Sanctii Min. IV, 4, p. 615 sq. Periz. *Forb.*

868. *Præterea, quæquomque*, etc. Argumentum quartum. Arguit res cunctas, quæ e terra crescunt et aluntur, pariter alienigenis rebus constare: similiter et in lignis latitare ignem, fumum, et cinerem, quæ alienigena sunt, et dissimilia a lignis. *F.*

869. *Si sunt*, quoniam sunt. *Wak.*

870. *Transfer item.* Perge similiter ad alias res; eadem erit conclusio.

874. *Quæ lignis exoriuntur.* Eadem verba repetit, quæ ad vs. 870; etenim vs. 871, *totidem verbis* utendum dixit: ergo versus hic genuinus esse debet, quem bene tuetur Wak. Malim tamen Lucretius eum ablegasset; nam satis per se patebat argumenti ratio. Eichst. vero et Forb. omiserunt; vide quæ in Disq. var. ad vs. 873. Ed.

875. *Linquitur hic*, etc. Quod si effugium quærat Anaxagoras, argumentumque proxime allatum eludere velit, novo argumento urgetur. Dicet enim Anaxagoras res omnes omnibus rebus immixtas esse, sed dispari copia, ita ut illud solum appareat cujus partes plurimæ simul confluxerint, et in superficie præsertim adhæserint. Quam opinionem Noster exemplis facile confutat. Ed. — *Latitandi copia*, effugium. — *Tenuis*, δισυλλάβως, ut II, 832; III, 244, 449, etc. *Forb.*

878. *Plurima.* Sic Wak. e codd. optimis. Vulgo *pluria*; quod bene quoque hic habet.

880. *A vera ratione.* Cf. II, 229. — *Repulsum*, remotum, distans.

Conveniebat enim fruges quoque sæpe minaci
Robore quom saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis, aut aliquid, nostro quæ corpore aluntur:
* [Quom lapidi lapidem terimus, manare cruorem:]
Consimili ratione herbas quoque sæpe decebat
Et laticis dulceis guttas, similique sapore
Mittere, lanigeræ quales sunt ubere lactis:
Scilicet; et glebis terrarum sæpe friatis
Herbarum genera et fruges frondesque videri,
Dispertita, atque in terram latitare minute;
Postremo, in lignis cinerem fumumque videri,
Quom præfracta forent, igneisque latere minutos.
Quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,
Scire licet, non esse in rebus res ita mixtas;
Verum semina multimodis immixta latere

881. *Conveniebat enim.* Aliter enim oporteret, etc. — *Minaci*, terribili atque adeo magno gravique; cf. Virg. Æn. VIII, 668 : « minaci pendentem scopulo ». *Wak.* — Vide Disq. var.

883. *Aut aliquid.* Aut emittere aliquid eorum, quæ, quum sint corporis pars aliqua, ab eo alimenta incrementumque capiunt; carnem scilicet, ossa, vel nervos. Vide Disq. var. Ed.

* (*Quom lapidi lapidem*, etc.) Hunc vs. qui nihil nisi præcedentium glossema est, uncis includendum, et e versuum serie rejiciendum censui. V. Disq. var. Ed.

886. *Lanigeræ quales sunt ubere lactis.* Sic vett. edd. bene exhibent; receptiorum plures, *quali sunt ubera.* — Hic ordo est et constructio : « *quales* sunt guttæ *lactis* in *ubere* ovis *lanigeræ* »; vel, si mavis, « *quales* guttæ sunt ovi lanigeræ in *ubere lactis* ». Cf. II, 370. *Wakef.*

887. *Scilicet.* Hoc sane ita est; sic res se habere debet. Vide ad vs. 900. — *Friatis*, tritis, comminutis. Varro, Re rust. I, 9; Plin. Nat. Hist. XXXVI, 39.

889. *In terram.* De hac constructione ex qua, participio aliquo omisso, præpos. *in* quarto casui jungitur, ubi sextum exspectaveris, cf. Gron. et Drak. ad Liv. II, 14, § 4; Snakenb. in indice ad Curtium sub v. *in*; Burm. ad Ovid. Her. XVI, 135, alios. *Forb.* — Vide etiam Gell. I, 7; Voss. de Gramm. VII, 65. — *Minute.* Pauxillis atque minutis herbis, frugibus, frondibus. *Prsig.*

890. *Videri.* Supple etiam *decebat* e præcedentibus.

891. *Præfracta.* A fronte fracta ligna, id est, frusto quolibet avulso.

892. *Quorum nil fieri.* Conclusio. Igitur quoniam manifestum est, nihil tale in tritis frugibus et herbis, vel in fracto ligno apparere; falsa est Anaxagoræ opinio. Ed.

894. *Multimodis immixta*, etc. Cf. supra vs. 814 sq. Unde liquet non jungenda *multimodis in rebus*, ut Lamb. suadebat, sed construendum : semina multarum rerum, multis modis immixta,

Multarum rerum in rebus communia debent.
At sæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus austris,
Donec flammai fulserunt flore coorto:
Scilicet; et non est lignis tamen insitus ignis;
Verum semina sunt ardoris multa, terendo
Quæ quom confluxere, creant incendia sylvis.
Quod si facta foret sylvis abscondita flamma,
Non possent ullum tempus celarier ignes:
Conficerent volgo sylvas, arbusta cremarent.
Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,
Permagni referre, eadem primordia sæpe
Cum quibus, et quali positura contingantur;

debent latere communia in rebus. Ed.

896. *At, sæpe in magnis*, etc. His decem vss. aliam præoccupat objectionem, ex cujus solutione sextum argum. deducitur adversus Anaxagoram. Sic autem objici potuit. Quæ ex rebus eliciuntur, ea sunt in rebus : atqui sæpe fit ut ex arboribus collisis inter se eliciatur ignis, quo sylvæ comburantur : igitur in arboribus est ignis. *F.* — Respondet Lucretius, Non ignem quidem esse in arbore ipsa, sed tamen semina ignis seu moleculas atomorum, quæ certa ac nova ratione dispositæ speciem ignis exhibeant : nam alioquin si ignis actu et revera in sylvis foret, is haud dubie suas vires passim ostentaret. *Creech.*

898. *Cogentibus austris.* Cf. V, 1095.

899. *Flammai flore.* Elegans tralatio a Græcis, πυρὸς ἄνθος; Homer. Iliad. IX, 212; XXIII, 228. Æschyl. Prometh. 7. Hanc quoque Horatius in usum vertit, Epod. 17, 33, *virens in Ætna flamma.* Cf. IV, 451.

900. *Scilicet.* Solemnis est nostro formula, quoties, postulato adversarii concesso, subruere conclusionem parat; vide supra vs. 809. *Wakef.*

901. *Semina ardoris.* Sic Virgilio, Æneid. VI, 6, *semina flammæ.* — *Terendo*, dum teruntur arbores. Passive dictum, ut supra vs. 313. Ed.

903. *Quod si facta.* Hæc vox *seminibus ardoris* opponitur. — Id est, si flamma jam formata, et in corpus vividum, confluis seminibus, globata, in sylvis delitesceret, statim erumperet, et late omnia incendiis conficeret. *Wakef.*

905. *Vulgo*, passim et sine discrimine.

906. *Jamne vides*, etc. Concludit ex dictis hactenus atque disputatis, quod paulo ante memoravit vs. 814 sqq., nimirum multa esse corpora prima multarum rerum communia, quæ, variis modis, ac ordinibus posita, res varias procreant : sicut multæ literæ varias efficiunt syllabas, voces, ac etiam orationes. Quod exemplo vocum *ligna* et *ignes* confirmat, quæ ex iisdem fere literis formantur, paucis mutatis, ac transpositis, ut patet. *F.*

908. *Contingantur.* Alii *contineant-*

Et quos inter se dent motus accipiantque?
Atque eadem, paullo inter se mutata, creare
Igneis e lignis? quo pacto verba quoque ipsa
Inter se paullo mutatis sunt elementis,
Quom *ligna* atque *igneis* distincta voce notemus.
Denique, jam quæquomque in rebus cernis apertis,
Si fieri non posse putas, quin materiai
Corpora consimili natura prædita fingas,
Hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
Fiet, uti risu tremulo concussa cachinnent,
Et lacrumis salsis humectent ora genasque.
Nunc age, quod superest, cognosce et clarius audi:
Nec me animi fallit, quam sint obscura; sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,

tur, ut supra vs. 818; quod forsan verius est. — Cum quibus corporibus, et quali modo positis, communes tactus habeant atque societatem. *Wak.*

910. *Inter se mutata.* Respectu *situræ* scilicet, magnitudinisque ac speciei; non autem naturæ. Cf. vs. 237, 501, 606. *Wakef.*

911. *Igneis*, ignes, flammam. — *Quo pacto.* Quemadmodum voces quoque ipsæ *ligna* et *ignes*, licet diversa plane vocabula et diversas res significantia, literis paululum transpositis et mutatis in se invicem converti possunt. *Creech.*

914. *Denique, jam quæquomque*, etc. Ultimum argumentum adversus Anaxagoram, ex absurdo. Scilicet sicut os hominis tremulo cachinnat risu, et oculi lacrymas salsas fundunt, ita prima principia quædam essent ejusmodi et ridentia et flentia. Quo quid absurdius? Neque enim actiones, functiones, affectionesque rerum, v. g. hominis, tribui debent principiis ipsis, sed toti homini. *F.* — *Apertis*, manifestis, quæ sensibus percipiuntur.

917. *Pereunt.* Desinunt esse principia, quibus attribuas quæ principiis non conveniant.

918. *Risu concussa cachinnent.* Cf. Juvenal. Sat. III, vs. 100; Horat. Epist. II, 2, 84. — Repetuntur hi duo versus inf. II, 976, aptiori, ut videtur, loco. Vide Disq. var.

919. *Lacrumis salsis.* I. e. amaris. Sic vs. 126.

920. *Nunc age, quod superest*, etc. Hactenus de principiis ac prima rerum materia adversus priscos Philosophos. Jam vero revocat animum Memmii sui, veritus ne longo illo disputationis discursu longius, quam par sit, illum distraxerit. Allicit autem illum promissa et rerum novitate et verborum ac carminis claritate atque venustate. Promissumque statim solvit. *F.*

921. *Animi fallit.* Suppl. ratio; sic vs. 137, et V, 98. — *Quam sint obscura.* Ea quæ tibi trado.

922. *Percussit thyrso laudis spes.* Audax metaphora, quæ significet se divino quodam afflatu instinctum. Thyrsus enim aliquando indicat poeticum furorem. Confer Horat. Od. II, 19, 8. Vide tamen

Et simul incussit suavem mi in pectus amorem
Musarum : quo nunc instinctus, mente vigenti
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo : juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire; juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.
Primum, quod magnis doceo de rebus, et arctis
Religionum animum nodis exsolvere pergo:
Deinde quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore:
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur;
Sed, veluti puereis absinthia tetra medentes
Quom dare conantur, prius oras, pocula circum,
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum

quæ disputat Forb. inf. in Disq. var. Ed.

925. *Avia Pieridum*, etc. Cf. Virg. Georg. III, 8, et 289. Vide Disq. var.

926. *Trito solo.* Isidor. Orig. XI, 1, « *solum* inferior pars pedis ». — *Integros.* Quos nullusdum attigit, nulli delibatos. Horat. Od. I, 26, 6.

928. *Inde*, ex eo scilicet loco, unde, etc. Argumentum enim tractat, quod nullus antea poeta Romanus accedere ausus est. Ed.

930. *Doceo de rebus.* Sic Cic. pro Dom. « Docere pontificum collegium de rebus divinis ». — *Arctis*, arctatis, constrictis superstitionum vinculis, vs. 25.

931. *Pergo*, paro, operam novo. Virg. Æneid. XII, 586. *Wakef*

932. *Pango.* Sic vs. 26.

933. *Contingens.* Recte Wak. hanc vocem a *tangere* potius quam a *tingere* deductam velit, sicut apud Virg. Georg. III, 448. Alii tamen non absurde alterum malunt; sed cf. vs. 937, 946. Ed.

934. *Non ab nulla ratione*, non sine ratione, non temere factum; ex rariori præpositionis usu.

935. *Sed veluti puereis*, etc. Velit hic Wakef. *nam* repositum vice τοῦ *sed*; frustra, ut mihi quidem videtur, quia τὸ *sed* opponitur τῷ *non* versus præcedentis. Ed. — *Tetra*, amara. — *Medentes*, medici. Ovid. Met. XV, 629. — Præclaram hanc similitudinem primus invenit Lucretius, quem postea plures imitati sunt. Quos inter in primis citandus Torquat. Tasso, *Gierus. liber. c.* I, *st.* 3. Cæterum hi vss. iterantur lib. IV, 11 sqq. ubi vide Disq. var. Ed.

938. *Ætas improvida.* Delicatissime dictum. Pueri enim ob teneram hanc ætatem nihil *providere* valent, nullam habent rerum experientiam; ergo facile decipi possunt. Ed.

939. *Labrorum tenus.* Sed is error

Absinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius, tali facto recreata, valescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi Musæo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
Naturam rerum, qua constet comta figura.
Sed quoniam docui, solidissima materiai
Corpora perpetuo volitare, invicta per ævom;

ad labra tantum attinet; nam dum puer sibi videtur dulcem liquorem haurire, re vera amarum et salutarem potum accipit. Acutius forsan dictum; quod in versu seq. etiam notabimus. Ed.

940. *Deceptaque non capiatur.* Decepta mellis dulcedine, non capiatur morbo; vel potius, quamquam specie quidem decepta sit, revera tamen non decipiatur quoniam hinc convalescit. Recte, ut mihi videtur, hos cognatarum dictionum lusus reprehendit Wak. neque id magis placet quam illa Virg. Æneid. VII, 295: « Num *capti* potuere *capi*, etc. » Ed.

942. *Hæc ratio.* Hoc doctrinæ genus, hæc materia, quam doceo; sic vs. 945.

943. *Tristior,* amarior; respectu similitudinis quæ præcessit. *Wak.* — *Quibus non est tractata,* quibus adhuc nova et nondum perspecta est. — *Retroque abhorret.* Id est, abhorrens recedit; maxime eam aversatur.

944. *Suaviloquens,* id est, ἡδυεπής (Hom. Il. I, 248), jam ab Ennio usurpatum erat. Vide Cic. in Bruto c. 15, et de Rep. V, 8; Quint. Inst. Or. XI, 3, 31.

945. *Rationem,* disciplinam, philosophiam; vs. 942.

946. *Musæo... melle.* H. e. carmine, quod instar mellis suave sit; cf. vs. 937.

948. *Dum perspicis omnem, etc.* Intereadum tibi perspectum fiat quæ sit totius rerum naturæ figura. Ed.

950. *Sed quoniam docui,* etc. His septem vss. quum hactenus de soliditate atomorum satis disputasse videatur, jam alteram, quæ de illarum summa infinita, atque irrequieto motu superest, difficultatem explicare aggreditur. Hoc autem ipsum assequi non potest, nisi prius de inanis seu vacui patenti latitudine disputaverit. Itaque primum demonstraturus est inane immensum esse secundum omnes partes; cujus « in immensitate », ut ait Velleius Epicureus apud Cic. N. Deor. I, 20, « latitudinum, longitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum ». Unde concludet « et atomos infinitas esse multitudine; et inane magnitudine infinitum ». Quod et Empiricus adv. Phys. et Stobæus Eclog. Phys. et Plutarch. I Plac. 3, et Cicer. N. Deor. lib. I passim, Epicurum docuisse testantur. *F.*

951. *Invicta per ævom.* Ita ut per omne tempus nulla vi vincantur, ideoque sint æterna.

Nunc age, summai quædam sit finis eorum,
Necne sit, evolvamus : item, quod inane repertum est,
Seu locus ac spatium, res in quo quæque gerantur,
Pervideamus, utrum finitum funditus omne
Constet, an immensum pateat vasteque profundum.
Omne quod est, igitur, nulla regione viarum
Finitum est; namque extremum debebat habere :
Extremum porro nullius posse videtur
Esse, nisi ultra sit quod finiat; ut videatur,
Quo non longius hæc sensus natura sequatur.
Nunc extra summam quoniam nihil esse fatendum est,
Non habet extremum; caret ergo fine, modoque :
Nec refert, quibus assistas regionibus ejus :
Usque adeo, quem quisque locum possedit, in omneis
Tantumdem parteis infinitum omne relinquit.
Præterea, si jam finitum constituatur

952. *Summai.* Jam videamus utrum sint ea finita numero, an infinita.

953. *Item, quod inane repertum est,* etc. Item pervideamus utrum inane (quod esse probavimus), sive illum locum in quo, etc. Cf. vss. 335, 422, 427.

956. *Vasteque profundum.* Vide infra in Disq. var.

957. *Omne quod est, igitur,* etc. Argumentum primum quo Lucret. probat universum, τὸ πᾶν, infinitum patere. Namque, quod est finitum, habet extremum; quod autem habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus; at quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus : igitur omne quod est, non habet extremum. Quare quum universum non habeat extremum, infinitum sit ipsum necesse est. Hoc argumentum iisdem fere verbis est apud Cic. de Div. II, apud Laert. X, et apud Aristot. Phys. III, 4, quo probatur dari infinitum in rebus : et apud Cleomed. quo ostenditur esse extra mundum inane infinitum. *F.* — *Nulla regione viarum,* nullo limite; nulla usquam parte. Locutionem assumpsit non semel Virgilius; ex. c. Æn. II, 737.

958. *Debebat.* Supple, si finitum foret.

959. *Extremum porro,* etc. Nulli enim rei extremitas esse potest, nisi aliquid ulterius exstet quod eam præfiniat, ita ut terminus ille, *videatur,* ante oculos sistatur veluti obstaculum, *quo longius,* ultra quod, *non sequatur,* non penetret hujus sensus acies. Vide Disq. var. Ed.

962. *Nunc,* ex argumenti evidentia, quoniam concedendum est extra *omne* nihil esse, summa non extremum habet. Ed.

964. *Nec refert,* etc. Quacumque in regione fueris, infinitum semper hinc inde spatium tibi supererit.

967. *Præterea, si jam finitum,* etc. Alterum argumentum, quo Lucretius im-

Omne, quod est, spatium, si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum,
Id validis utrum contortum viribus ire,
Quo fuerit missum, mavis, longeque volare;
An prohibere aliquid censes, obstareque posse?
Alterutrum fatearis enim, sumasque, necesse est:
Quorum utrumque tibi effugium præcludit, et omne
Cogit ut exemta concedas fine patere.
Nam sive est aliquid, quod prohibeat, efficiatque,
Quo minu', quo missum est, veniat, finique locet se,
Sive foras fertur, non est a fine profectum.
Hoc pacto sequar; atque, oras ubiquomque locaris
Extremas, quæram quid telo denique fiat.
Fiet, uti nusquam possit consistere finis;
Effugiumque fugæ prolatet copia semper.
Præterea spatium summai totius omne

mensitatem universi infinitam asserit. Si enim, inquit, finitum esset universum, posset certa illius extrema ora assignari. Stet autem aliquis homo in illa extrema universi ora, et inde jaciat telum: illud vel evolabit, vel aliqua re impedietur. Jam vero si sit aliquid, quo telum perveniat, igitur certa non est ea extrema universi ora, sed aliquid ultra exstat. Sin autem sit aliquid quod impediat, ne telum ultra transvolet, igitur et erit aliquid extra illam certam et datam extremam universi oram. Itaque nulla est finis, nullum extremum immensitatis universi. Si enim ultra progressus fueris, sequetur quocumque Lucretius; et eodem bipartiti argumenti spiculo instabit progrediendo in infinitum. *Fay.*

974. *Effugium,* effugiendi viam. Neutrum te elabi sinet, et utrumque coget fateri Omne sine terminis esse.

976. *Prohibeat.* Vide Disq. var.

978. *Non est a fine profectum.* Pariter ex utroque eventu refellitur, qui finem mundo hic velit statuere, quum manifestum sit aliquid adhuc, vel corpus, vel spatium, ultra esse; ideoque non in extrema universi ora positum qui telum hoc vibraverit. Sic locus planus est; et merito Wak. castigat interpp. qui cum Lamb. corrigi jubent, *ea fini' profecto.* Ed.

981. *Fiet uti,* etc. Hinc continget ut nullibi extremus ille finis constare possit. Equidem τὸ *consistere* dictum puto per oppositionem τοῦ *fugæ;* neque cum interpp. pro *esse* tantummodo acciperem, sed et pro *fugam sistere, loco stare.* Ed.

982. *Effugiumque fugæ.* Verba sic inter se, ut ita dicam, collisa amat Noster (vide vs. 940). Ed. — *Fugæ copia,* spatii immensitas infinita perpetuum effugiendi atque evolandi locum telo illi præbeat. *F.*

983. *Præterea spatium summai,* etc.

Undiquè si inclusum certis consisteret oris,
Finitumque foret, jam copia materiai
Undique ponderibus solidis confluxet ad imum;
Nec res ulla geri sub cœli tegmine posset;
Nec foret omnino cœlum, neque lumina solis:
Quippe ubi materies omnis cumulata jaceret
Ex infinito jam tempore subsidendo.
At nunc nimirum requies data principiorum
Corporibus nulla est; quia nil est funditus imum,
Quo quasi confluere, et sedeis ubi ponere possint:
Semper in assiduo motu res quæque geruntur
Partibus in cunctis, infernaque suppeditantur,
Ex infinito cita, corpora materiai.

Tertium argumentum, quo universi immensitas astruitur, nimirum ex incommodis, quæ alias evenirent, si finitum esset universum. Namque foret aliquod universi centrum seu imum, sicut et extremum : atqui si locus imus, seu centrum esset, jampridem in eo tota materies prima, suis ponderibus depressa, consideret ac jaceret iners, et sine motu. Quod si fuerit ita, necesse fuit ut ab infinito etiam tempore nihil potuerit generari, nec cœlum, nec sol, nec cetera omnia; quum sine atomorum motu ac concursu res non coalescant. Res autem manifesta docet principiis seu atomis nullam esse datam requiem; quum continuo res quotidie nascantur et occidant. *F.*

985. *Copia materiai,* multitudo principiorum, atomorum copia. Sic vs. 996. *Fay.*

986. *Ponderibus.* Quia enim corpora sunt atomi, pondus et gravitatem habent, vs. 626. — *Confluxet,* confluxisset, convenisset, descendisset. — *Imum,* centrum, medium locum; quem in universo non dari probat vs. 1051 seqq. *F.*

987. *Geri,* fieri, generari, moveri, administrari, etc. vs. 443. *Geni,* contra libros, admittit Creech.

989. *Quippe ubi,* quia tum, quippe quia, vs. 183, et alibi. Virg. G. I, 505.

991. *Principiorum corporibus,* principiis, quæ semper in motu sunt.

992. *Nihil est funditus imum,* nullum est universi centrum, ut demonstrabit vs. 1051. *F.*

994. *Geruntur,* fiunt, administrantur, ut vs. 987.

995. *Infernaque.* Sic codd. universi; pro quo edd. *æternaque,* recte damnatum Wakef. quum *inferna suppeditantur* possit exponi: « ex imo suscitata subministrantur », quia ibi nunquam subsidunt (vs. 986), neque magis quam in alia parte qualibet quiescunt. Velim tamen codd. τῷ *æterna* addicerent. Ed.— Bene habet lectio *inferna,* qua totius argumenti caput nititur. Aperte enim hæc vox opponitur versibus prægressis; et causa, cur etiam *ex imo* principia confluant et suppeditentur, ex eo ipso deducitur, quod non fundus aliquis adsit, in quo considere et in perpetuum requiescere possint. *Forb.*

996. *Ex infinito.* Hæc, ut opinor,

Postremo, ante oculos res rem finire videtur:
Aer dissæpit colleis, atque aera montes;
Terra mare, et contra mare terras terminat omneis:
Omne quidem vero nihil est quod finiat extra.
Est igitur natura loci, spatiumque profundi,
Quod neque clara suo percurrere flumina cursu
Perpetuo possint ævi labentia tractu;
Nec prorsum facere, ut restet minus ire, meando:
Usque adeo passim patet ingens copia rebus,
Finibus exemtis, in cunctas undique parteis.
Ipsa modum porro sibi rerum summa parare

concludunt argumentum, quo Noster innuit *non finitum* esse universum; quare atomos ex infinito inani ciet et concitat. Minus bene igitur Wak. capit: « ex infinito tempore agitata »; quanquam alias sæpe hoc sensu locutionem adhibeat Noster, et præsertim modo vs. 990; qui profecto locus, fateor, nostræ huic opinioni non sine quadam veri specie opponi potest; cf. etiam vs. 1024. Ed.

997. *Postremo, ante oculos*, etc. Quartum argumentum, quo Poeta probat a dissimili notissimo universum non habere finem. Scilicet manifesto constat aerem a montibus, et montes vicissim ab aere terminari; quippe quia et aer est extra montes, et montes sunt extra aerem. Sed extra universum nihil est; quum universum sit id omne, quod est; igitur universum non potest ab ullo terminari. *F.* — *Ante oculos.* Ut vs. 63.

998. *Dissæpit*, discludit, separat; ideoque terminat.

1000. *Omne quidem*, etc. Nihil vero est quod mundi summam exterius finiat; vel nihil exterius est quod, etc.; parum quidem interest. Ed.

1001. *Est igitur.* Ea est igitur natura *loci* (vs. 335), ea immensitas inanis, ut eam *clara flumina*, id est, maxima, et præ rapiditate notissima, emetiri non possint, etiam per omne ævum currentia. Ed.

1003. *Perpetuo ævi tractu.* Hic vers. iteratur V, 1215. Hoc est, assidua temporis continuatione ac productione. *F.*

1004. *Nec prorsum facere.* Nec ita fluendo possint omnino efficere, ut sibi minus viæ supersit.

1005. *Ingens copia*, immensitas magna, immane spatium.

1006. *Finibus exemtis.* Cf. vs. 975.

1007. *Ipsa modum porro*, etc. Argumentum quintum, quod quidem adversus Stoicos videtur afferre. Hi enim, teste Plutarcho, voluerunt « infinitum quidem inane, sed non corpora infinita esse ». Lucretius autem ex Epicuri doctrina docet « corpora materiæ terminari inani; et inane corporibus »; ut sic neutrum, neque corpus, neque inane possit esse ultimum. Adeo ut alterutrum infinitum esse nequeat, quin alterum quoque sit infinitum. Namque v. g. si solum inane esset infinitum, nec infinita essent corpora materiæ, nulla sane res jam, neque cœlum, neque mare, neque terra, neque homines, neque Dii ipsi possent vel per minimum horæ tempus consistere; immo ne unquam quidem creari potuissent. Quippe quia corpuscula prima dejecta de suo cœtu volitarent per inane infini-

Ne possit, natura tenet : quia corpus inani,
Et, quod inane autem est, finiri corpore cogit;
Ut sic alternis infinita omnia reddat.
Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum,
Simplice natura, ut pateat tamen immoderatum;
Nec mare, nec tellus, neque cœli lucida templa,
Nec mortale genus, nec Divom corpora sancta,
Exiguum possent horai sistere tempus.
Nam dispulsa suo de cœtu, materiai
Copia ferretur magnum per inane soluta;
Sive adeo potius nunquam concreta creasset
Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequisset.
Nam certe neque consilio primordia rerum

tum, nec unquam conciliarentur ad rerum concretiones ac generationes. *Fay.*

1008. *Natura tenet,* retinet, vetat, obstat, impedit. *Faber.*

1010. *Ut sic*, etc. Ut hac alterna corporis et inanis terminatione universum reddat infinitum.

1011. *Aut etiam*, etc. Sin minus id fiat, si corpora et inane se non invicem terminent, ita tamen simplice natura ut ambo sine modo et fine in immensum pariter extendantur, tum *corpora* finita (nam *inane* infinitum esse Noster supra jam evicit) nullo modo stare poterunt, ideoque *nec mare*, etc. Vide Disquis. var. Ed.

1013. *Cœli templa.* Sic Enn. Ann. I, fragm. Sic Manil. V, 726 (coll. I, 455) : « Cœli fulgentia templa ». Id est, arcus, aut fornices cœli; cf. infra II, 28; seu concava cœli pars ea, quam contemplamur; conf. vs. 121.

1014. *Corpora sancta.* Cf. supra vs. 39, et Ennius apud Cic. De divinat. I, 48. *Forb.*

1015. *Sistere,* consistere, in sua statione fixa permanere. *Wak.*

1017. *Ferretur...soluta.* Quippe quum nulla foret vacui et corporis, per posituras quasdam alternis succedentium, atque se invicem excipientium, infinitum propagata congeries, cujus ope rerum summa consisteret, et contineretur. *W.*

1019. *Cogi nequisset.* Quoniam non fuissent corpora, quibus materies, loco dispulsa, poterat occurrere, atque a vagationibus suis per spatium immoderatum reprimi. *W.*

1020. *Nam certe neque consilio*, etc. Occupatio est, cujus solutio sexti argumenti locum tenet. — Stoicos irridens jocose propositum argumentum prosequitur vss. 14. Finita enim semina in infinito spatio dispersa nunquam convenissent, nisi, quod Stoicis placuit, mundus esset grande animal, et plane Deus : ejusque semina summa arte et consilio a spiritu, per omnia membra infuso, disposita fuissent. Prudentia hæc, et meditantia Stoicorum principia deridet, et ex placitis Epicuri docet, res omnes fortuito infinitorum corporum in infinito inani volitantium concursu tandem procreatas fuisse, et quotidie reparari ex istis seminibus, quæ infinita corporum primorum copia jugiter suppeditat. *Creech.*

Ordine se suo quæque sagaci mente locarunt,
Nec quos quæque darent motus, pepigere profecto:
Sed quia multa, modis multis mutata, per omne
Ex infinito vexantur percita plagis;
Omne genus motus, et cœtus experiundo,
Tandem deveniunt in taleis disposituras,
Qualibus hæc rebus consistit summa creata:
Et multos etiam magnos servata per annos,
Ut semel in motus conjecta est convenienteis,
Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis
Integrent amnes, et solis terra vapore
Fota novet fetus; submissaque gens animantum
Floreat, et vivant labentes ætheris ignes:

1021. *Suo.* In unam syllabam contrahitur, quasi foret *svo.* Sic Ennius apud Nonium sub voc. *puelli.* Locus hic repetitur V, 420 sqq.

1022. *Nec quos*, etc. Neque inter se pactionem et conventum fecere de unius cujusque motibus. Ed.

1023. *Per omne*, per immensum inane.

1024. *Ex infinito*; cf. vs. 996. Hic potius tamen caperem : ex infinito tempore, ut ipse Noster explicite significat, V, 189 et 424; ubi locos huic non absimiles vide. Ed. — *Vexantur*, agitantur; ut apud Virg. Ecl. VI, 76. Wakef. legit *nexantur*, collato II, 98. Vulgata tamen lectio aptius opponi videtur τοῖς *tandem deveniunt*, etc. Quam recte retinuit Forbig. coll. I, 584. Ed.

1025. *Omne genus motus.* Recte, opinor, vult Wakef. nomina *motus* et *cœtus* non in secundo casu numeri singularis, sed in quarto pluralis accipi.

1027. *Qualibus hæc rebus.* Sic omnes libri; Wak. Fabri emendationem *rerum* non satis considerate in contextum recepit. Mihi utique conjungenda videntur verba *qualibus rebus*, ut sensus per attractionem quamdam et breviloquentiam sic capiendus sit : in tales disposituras, quæ res efficiant illas, quibus hæc *summa* vss. 962, 1041, 1044, etc. creata consistat. *Forb.*—*Summa creata*, universa hæc rerum moles ac natura.

1028. *Et multos etiam*, etc. Et qualibus disposituris firmata ac conservata per magnam sæculorum seriem (ex quo semel apte disposita est) efficit, ut, etc. Ed. — *Magnos annos.* Ornans epitheton. Noster, ut observat Gassendus, quorumlibet astrorum circuitus *magnos* vocat. Cf. Virg. Æn. III, 284.

1030. *Avidum mare.* Quod fluvios omnes sorbeat. — *Fluminis.* Alvei, et cursus sui aquis; vel simpliciter dixit verbosa exuberatione pro : suis aquis. Ed.

1031. *Integrent amnes.* Suppeditent ac renovent fluvii. Sic vs. 231. — *Solis vapore Fota.* Sic vs. 807.

1032. *Submissaque.* Sursum ad auras missa, nascens, vel semper renovata et multiplicata; vs. 8. Pessime Fayus intelligit *debilitata.* Vide Disq. var. Ed.

1033. *Vivant*, non exstinguantur; sic eos *pasci* dicit vs. 232, et mox 1089. Ed.—*Labentes.* Cf. supra vs. 2; Virg. Æn. III, 515.

Quod nullo facerent pacto, nisi materiai
Ex infinito suboriri copia posset,
Unde amissa solent reparare in tempore quoque.
Nam veluti, privata cibo, natura animantum
Diffluit, amittens corpus; sic omnia debent
Dissolvi, simul ac defecit suppeditare
Materies, aliqua ratione aversa viai.
Nec plagæ possunt extrinsecus undique summam
Conservare omnem, quæquomque est conciliata:
Cudere enim crebro possunt, partemque morari,
Dum veniant aliæ, ac suppleri summa queatur;
Interdum resilire tamen coguntur, et una

1035. *Ex infinito.* Suppl. corporum numero, materiæ fonte; etiam tempore, ut sæpius jam vidimus; vide ad vs. 1024. — *Suboriri.* Sic vs. 1048, h. e. quasi in locum amissorum et decedentium oriri, subvenire.

1036. *Reparare.* Sic vetustissimæ edd.; aliæ *reparari;* minus bene: nam *solent* ipsa sidera, ut mare, et terra, quidquid amiserint, semper *reparare.* Forb. autem legit *quæque*, e quibusdam codd.

1037. *Nam veluti, privata cibo,* etc. His 4 vss. confirmat a simili, ut aiunt, res cunctas resolutum iri, nisi materies suboriretur, quæ damnum, quod quæque patiuntur, in tempore resarciret: sicut animalia brevi perirent ac morerentur, nisi cibo et alimento restaurarentur in dies. *F.*

1038. *Diffluit*, liquescit, dissolvitur, ad nihilum evanescit ut aqua in terram destillata. *Wak.* — *Amittens corpus.* Sic vs. 810.

1039. *Defecit.* Cum infinitivo rarius conjungitur. Cf. Sil. III, 111; Prop. I, 8, 23.

1040. *Aversa viai,* aversa a via. Græcismus est, τῆς ὁδοῦ ἐπεστραμμένη, ut ap. Horat. Od. III, 27, 69: *irarum abstineto.* Cf. idem Od. II, 9, 17.

1041. *Nec plagæ possunt*, etc. His decem vss. præoccupat et solvit objectionem, quam adversus hanc doctrinam fieri præviderat. — Dixerit vero fortasse aliquis summam rerum posse finitam esse atque extremitatibus suis circumscriptam, et interea tamen primordiorum concursum ac collisionem per plagas extrinsecus illatas, et summam rerum, ne evagetur, inde quasi continentes, recte fieri, quibus omnes res creantur. Enimvero, respondet Lucretius, hoc nullo pacto concedendum est. *Wak.*

1042. *Conciliata.* Sic *concilium* materiæ, sup. 184, 518.

1043. *Partemque.* Scil. atomorum, ne effugiant cœtu.

1044. *Queatur.* Sic Terent. Hec. IV, 1, 57 (vs. 572), in passiva forma *quita est* antique dixit; sic alii. *Wakef.*

1045. *Interdum resilire tamen;* etc. Principia scilicet concurrentia (*plagæ*) non semper continuo nexantur, sed resiliunt interdum, et longe discedunt; unde, nisi ex infinito spatio vis infinita materiæ ad efficiendas plagas genitrices subinde oriretur, res jam coalitæ cito diffluerent,

Principieis rerum spatium tempusque fugai
Largiri, ut possint a cœtu libera ferri.
Quare etiam atque etiam suboriri multa necesse est:
Et tamen, ut plagæ quoque possint suppetere ipsæ,
Infinita opus est vis undique materiai.
Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium summæ, quod dicunt, omnia niti;
Atque ideo mundi naturam stare sine ullis
Ictibus externis, neque quoquam posse resolvi
Summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa:
Ipsum si quidquam posse in se sistere credis;
Et quæ pondera sunt sub terris, omnia sursum
Nitier, in terraque retro requiescere posta;
Ut per aquas quæ nunc rerum simulacra videmus:
Et simili ratione animalia suppa vagari

et res nondum coalitæ in æternum disjungerentur. *Wak.*

1047. *Possint;* ipsa scil. principia rerum, corpora materiæ, etc.

1049. *Et tamen*, etc. His autem missis, vel illæ ipsæ, quas fingis, plagæ, quasi extrinsecus impellerent et continerent summam rerum, finibus suis circumscriptam, continuari nequirent in infinitum, nisi materies infinita subderetur. *Wak.*

1050. *Opus est vis.* Sic *milites opus sunt tibi* apud Plaut. Capt. I, 2, 61; cf. etiam inf. III, 980; IV, 1264, etc.

1051. *Illud in his rebus longe*, etc. Hinc ad finem docet, sicut in universo infinito et immenso nullum est extremum, ita neque medium esse aut centrum, ut vocant. *F.*

1052. *In medium summæ.* Negat universi esse centrum aliquod aut medium; in quod, ut Peripateticis et vulgo philosophorum placuit, gravia omnia nitantur et incumbant; ita ut, quæ supra terram sunt, in illud medium delabantur; quæ vero infra jacent, pariter in illud idem centrum ascendant; quæ autem in ipsa terra posita sunt, in ejus centro conquiescant. *F.*

1054. *Ictibus externis.* Quibus atomi percussæ coeant in cœtum et in rerum concretiones. *F.*—*Resolvi*, agi, impelli.

1055. *Summa atque ima.* Res supremæ et infimæ; id est, quæ supra sunt et infra medium universi. *F.*

1056. *Ipsum si quidquam*, etc. Suadeo ne de centro universi credas, si tamen ea opinio tibi primo aspectu non plane absurda videtur; si potes credere aliquid *in se ipsum sistere*, proprio pondere libratum stare, etc. Ed.

1057. *Et quæ pondera sunt.* Si credis esse antipodas, et corpora quæ in terræ parte nobis opposita jacent, *sursum niti*, ad centrum tendere, atque *retro posta*, inverse posita, manere in loco; sicut arbores, vel aliæ res quælibet, inversæ videntur quum earum imagines in aquæ speculo contemplamur. Ed.

1060. *Et simili ratione.* Sic illi

Contendunt, neque posse e terris in loca cœli
Recidere inferiora magis, quam corpora nostra
Sponte sua possint in cœli templa volare:
Ollei quom videant solem, nos sidera noctis
Cernere; et alternis nobiscum tempora cœli
Dividere; et nocteis parileis agitare diebus.
Sed vanus stolidis hæc omnia finxerit error,
Amplexei quod habent perverse prima viai.
Nam medium nihil esse potest, ubi inane locusque
Infinita: neque omnino, si jam medium sit,
Possit ibi quidquam hac potius consistere causa,
Quam quavis alia longe regione manere.
Omnis enim locus ac spatium, quod inane vocamus,
Per medium, per non medium, concedat oportet
Æquis ponderibus, motus quaquomque feruntur.

contendunt animalia, apud antipodas scilicet, vagari *suppa*, supina, et nihilominus e terris non cadere in cœlum quod tamen inferius est. Loquitur autem habita situs nostri ratione. Ed.

1063. *Cœli templa*, superiores cœli fornices, vs. 1013.

1065. *Cernere*. Retrahe huc *contendunt*, vs. 1061. — *Tempora cœli*. Vicissim nobiscum partiuntur lucem et tenebras, ita ut noctes habeant nostris diebus pares. Ed.

1067. *Sed vanus*, etc. Docet sententiam de medio universi vanam ac stolidam esse, quia nihil medium possit esse in infinito, quale jam demonstravit esse universum, et quia, si medium esset in universo, non in illud magis, quam in aliud quodlibet cuncta gravia deberent niti. Namque nec locus est ullus in *inani*, in quo stare possint corpora gravia, quasi gravitate ac pondere privata essent quum ad eum pervenerunt; quia semper liber iis patet meatus per inane immensum: neque etiam inane potest ullo modo subsistere corporibus: hoc est, corporibus præbere vicem fundamenti, quia solidum minime est ac firmum. *F.* — *Stolidis*. Epicureo fastu stolidos vocat, qui fingunt universi medium, aut centrum aliquod esse. *F.*

1068. *Amplexei habent*, amplexi sint, et teneant. Sic in var. lect. ad Virg. Æn. II, 517: «Divum amplexæ simulacra tenebant». Sic *habent tenentes* VI, 900.— *Prima viai*, primas vias, (vs. 87,) prima doctrinæ elementa, primas vias investigandæ naturæ. Statim ab initio non veram, sed alienam et perversam viam naturæ cognoscendæ sunt ingressi. *F.*

1069. *Ubi inane locusque*. Nihil medium esse potest, ubi nihil extremum est: quo modo enim infiniti medium statuas? — *Locus*, supra 335, 445.

1071. *Consistere*, quiescere, stare, considere. Vide not. 1067.

1074. *Concedat*, cedat; liberum meatum præbeat corporibus æqualiter gravibus, sive per medium, sive per non medium motu suo ferantur. Ed.

Nec quisquam locus est, quo corpora quom venere,
Ponderis amissa vi, possint stare in inani:
Nec, quod inane autem est, ulli subsistere debet,
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat:
Haud igitur possunt tali ratione teneri
Res in concilium, medii cupedine victæ.

Præterea, quoniam non omnia corpora fingunt
In medium niti; sed terrarum, atque liquorum,
Humorem ponti, magnasque e montibus undas,
Et quasi terreno quæ corpore contineantur:
At contra tenueis exponunt aeris auras,
Et calidos simul a medio differrier igneis;

1076. *Nec quisquam locus est.* Neque ulla est spatii pars, in quam quum corpora venerint, amissa veluti gravitatis vi, sistere se possint et quiescere in vacuo. *Creech.*

1078. *Autem*, contra, vs. 857. — *Subsistere*, sub illis stare; vicem fundamenti præbere. Sic II, 236.

1079. *Concedere pergat.* Quum corpus utique venerit in medium quod vocant, non minus ibi vacuum corpori concessurum est quam in aliis ubilibet locis. *Wak.*—Vers. repetitur II, 237.

1081. *Teneri Res in concilium*, res stipatæ cohærescere, nec a se invicem disjici. — *Medii cupedine.* Vi quadam eas semper in medium attrahente, ita ut ab eo nunquam dimoveri possint. Ed.

1082. *Præterea, quoniam*, etc. Altero argumento refutat hanc de medio universi sententiam ex ipsorum adversariorum doctrina. *F.* — Qualis autem sit ea refutatio, difficile fuit interpretibus assequi. In hoc tamen consentiunt ut illos Noster irrideat, dum exponendis absurdæ sententiæ rationibus immoratur. Prima autem difficultas e voce *quoniam* orta est; quod omnes post Lambinum voluere mutatum in *quoque jam*. Sed Wakef. recte, opinor, codicum omnium et editt. princc. lectionem reduxit, ut per ellipsin intelligatur: « *Præterea*, alia insuper difficultas rationibus eorum adversatur »; vel simile aliquid. Forsan etiam planius retrahi potest sensus e vss. 1080 sq. hoc modo: *præterea* res omnes in aliquod medium haud tendere patet, *quoniam*, ex eo quod (similem fere constructionem vide ad III, 426, confer etiam IV, 52), ipsi etiam adversarii de quibusdam corporibus, igne videlicet et aere, illud ipsum fateantur. Quorum opinionem dum pergit argumentis Stoicorum confirmare, suam quoque thesin propugnat. Vide infra not. 1091. Ed.

1083. *Terrarum, atque liquorum.* Suppl. *corpora*, e vs. præcedenti.

1084. *Humorem ponti*, aquam maris, fluctus.

1085. *Quasi terreno corpore.* Id est, non proprie terrena tantummodo, sed lignea, cornea; ut Virg. Æn. VI, 732, *terreni artus*; atque alia hoc genus; ut nequaquam sua vi vocabulum *quasi* destituatur. *Wakef.*

1087. *A medio differrier.* A centro evolare, efferri in summas mundi regiones.

Atque ideo totum circum tremere æthera signis,
Et solis flammam per cœli cærula pasci,
Quod calor, a medio fugiens, ibi colligat omnis:
Quippe etiam vesci e terra mortalia secla;
Nec prorsum arboribus summos frundescere ramos
Posse, nisi a terris paullatim quoique cibatum
Terra det: at supra circum tegere omnia cœlum;
Ne, volucri ritu flammarum, mœnia mundi
Diffugiant subito magnum per inane soluta;
Et nc cætera consimili ratione sequantur:

1088. *Circum tremere æthera signis*, æthera micare, scintillare astrorum ignibus.

1089. *Pasci*. Sup. vs. 232.

1090. *Quod calor*, etc. Ideo quod omnis calor, e medio diffugiens, *ibi*, in ætheris regionibus coeat, se contrahat. Ed. — Verbum *colligat* in absoluto, quem dicunt, significatu, pro *se colligat*, vel *colligatur*. (Vide supra ad vs. 787.) Aut repete ἀπὸ κοινοῦ ex versu præcedente τὸ *flammam*. *Wak.* — Vide etiam Disq. var.

1091. *Quippe etiam vesci*, etc. Spurium esse hunc versum pronunciat Bentleius; nec libris antiquis agnoscitur, si unum vel alterum excipias. Mihi tamen non omnino videtur νόθεια postulandus. Accipio sane, sensu haud incommodo, quasi dixerit poeta, argumentum ab adversarii doctrinis in eum retorquens: « Imo, non flamma solummodo centrum fugit, sed etiam terrena illa, quibus homines vescuntur, non vergunt penitus ad medium, sic ut tute posuisti ». Neque suam vim non habent voces *vesci e terra*: « dicis flammas a medio differri; non enim aliter sol *pasci* posset: ego vicissim tibi demonstrabo homines etiam iis vesci, quæ de medio tuo sustolluntur ». *Wak.* — Hæc non male ad Lucretii mentem, sed minus ad verborum constructionem aptata videntur. Quare hæc omnia uno tenore sic a vs. 1082 deducta vellem: « *præterea* centrum non esse ipsi probant adversarii, qui, dum corpora terrena in medium niti contendunt, fatentur tamen 1° aera, et ignem, astrorum alimentum, in sublime ferri; 2° e terra oriri plantas quæ nutriant animalia; et arbores, quæ altius exsurgant; 3° cœlum omnia circumcingere et coercere, ne mundus dissiliat et dissolvatur: quæ tria argumenta evincunt res non *in medium niti*. Sic, opinor, omnia cohærent, et plana fiunt. Ed.

1093. *Quoique cibatum*. Nisi tellus cuique arbori succos sufficiat *a terris*, ex ipsius intimis visceribus emergentes et in altum exsurgentes. Ed.

1094. *Circum tegere*, undique ambire et continere. Ovid. Met. I, 1.

1095. *Ne volucri ritu*. Alii legunt *volucrum*, contra membranarum fidem, et minus poetice. Veterem igitur lect. optime reduxit Wak. Eadem vero translatione sæpissime utitur Virgilius. — *Mœnia mundi*. Superiores ejus partes; universi ambitus; sup. vs. 74.

1097. *Cætera*, ceteræ res creatæ, quæ subter et intra ipsa cœli mœnia, hoc est, intra cœlum ipsum continentur; quasi, dissoluto cœlo, cetera dissolverentur, et effugerent ultra. *F.*

Neve ruant cœli tonitralia templa superne,
Terraque se pedibus raptim subducat; et omnes
Inter permixtas rerum cœlique ruinas,
Corpora solventes, abeant per inane profundum;
Temporis ut puncto nihil exstet reliquiarum,
Desertum præter spatium, et primordia cæca.
Nam, quaquomque prius de parti corpora deesse
Constitues, hæc rebus erit pars janua leti:
Hac se turba foras dabit omnis materiai.

Hæc si pernosces, parva perductus opella,
Namque alid ex alio clarescet, nec tibi cæca
Nox iter eripiet, quin ultima naturai
Pervideas: ita res accendent lumina rebus.

1098. *Cœli templa.* Sic vss. 1013, 1063. — *Tonitralia*, in quibus fiunt tonitrua, et ex quibus vibrantur.

1099. *Raptim*, impetu citatissimo; Virg. Georg. II, 427. *Wak.* — *Omnes.* Qui vivunt animantes.

1100. *Rerum.* Terrenarum scil. Horat. Od. IV, 15, 17: « custode *rerum* Cæsare ». *Wak.*

1101. *Corpora solventes.* Vel intellige ruinas, quæ solvunt materiam; vel potius omnes qui vi quadam propria in prima principia resolvuntur, se resolvunt. Ed.

1103. *Primordia cæca.* Non tantum propter exilitatem tenuissimam atque evanidam, sed propter inutilitatem etiam in hoc loco, et ad res creandas ineptam conditionem. *Wak.*

1104. *De parti.* Sic veteres pro *parte.* Sic *fini* vs. 977; cf. II, 317, 322, al. — *Deesse*, deficere, et decedere, quacumque demum causa impellente. *Wak.* — Concludit ea quæ modo proposuit a vs. 1095. Quacumque enim de parte inanem relinquere locum incipient corpora, illac tota mundi moles irruet, et sic rerum omnium summæ certa interitus causa orietur. Ed.

1105. *Janua leti.* Sic III, 829; V, 374. Virg. Æn. II, 661.

1107. *Hæc si pernosces.* Per totum hunc librum gravibus querelis de obscuritate et difficultate operis Memmium suum tantum non terruit; jam versibus his quatuor erigit illius animum, pollicitus futuram disputationem claram fore et perspicuam. *Creech.* — *Parva perductus opella.* Non magno labore susceptо, mediocri usus diligentia. Vide infra Disq. var. Ed.

1108. *Namque alid*, etc. Hæc ego potissimum ad *parva opella* referrem, ut explicet Noster quare non magnus sit insumendus labor. Alii autem jungunt: hæc si perspecta habeas, nam alia ex aliis clariora fient. Cf. V, 1455. Ed. — *Nec tibi.* Non ipsa tibi, *nox*, ignoratio causarum, rerum caligo et tenebræ.

1110. *Pervideas.* Id est, oculorum aciem *ultra flammantia mundi mœnia*, ut Epicurus ipse, jaculeris. *Wak.*

IN LIBRUM PRIMUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

1. *Æneadum genetrix.* Quærunt nonnulli non incuriose quænam sit causa cur professus sectam Epicuream Lucretius Deos invocet; quum Deos esse nullos, et inane cœlum affirment Epicurei; vel saltem curare quicquam negent. Quam argutiolam ita rejicimus, si tenemus Venerem non tanquam cœleste numen Lucretium invocare; sed tanquam prolubium et invitamentum naturæ: quod se animantibus inserens, prolectat ad fetificationem. Genitricis itidem cognomento colebatur Venus a Romanis. Usûs est in hoc lib. Poeta miro ordine. Nam de natura acturus expugnat illorum sententiam, qui tradunt res e nihilo gigni et in nihilum cadere: et hoc confirmat multis argumentis, quæ sunt inferius a nobis excutienda. Notandum est tamen longam esse in iis versibus evagationem et zeugma ab inferiori, recurrendumque esse ad vs. 25, hoc ordine: «Venus, genitrix Æneadum, quæ mare, quæ terras concelebras, te studeo præviam esse, et ducem carminibus meis, quæ conor de rerum natura pangere: et hoc est in causa, cur optem te mei operis asseclam; quoniam tu rerum naturam regis et propagas, et per te genus omne animantum concipitur». *Pius.*—Hanc igitur tanquam aptissimam sibi de rerum natura scripturo patronam eligit; ab ea petit leporem suis versibus, pacemque Romanis (turbata enim Repub. nec ipse, nec Memmius, cui hoc Carmen scribit, studiis philosophicis vacare potuit), quam illa a suo Marte facile impetraret. Et hac invocatione Physici poetæ, et Epicurei etiam philosophi (quicquid alii sentiant), partes probe et decore agit; irridet enim dum invocat, et ut raro magis bellam, sic nunquam magis probrosam Veneris et Martis imaginem inveniemus. *Creech.* — Non hic Noster Venerem invocat, quod existimet Deam hanc aliquid posse; sed poetarum, vulgo Musas et Apollinem invocantium, morem secutus, ne decus illud operi suo deesset cavit, et Venerem Genitricem inter cætera Deorum nomina bene elegit. Vide quæ disputat *Baylius*, in Dict. Hist. ad voc. *Lucrèce;* ibique not. J, et K. Ed.

2. *Cœli subter labentia signa.* Suspicionem constructio impeditior animo ingessit de corruptela secundum versum Lucretii insidente; quam sic judicem tollendam esse: *cœli sub te labentia signa: quæ*, etc.

id est, sub tua potestate jacent cœlum et ignes ætheris; tua, inquam, quæ concelebras non cœlum tantummodo, sed mare etiam et terras. *Wakef.* — Quam conjecturam recte improbat Forbiger.

4. *Concelebras.* Auges tuo dulci initu; ut ita multiplicata celebria sint et populosa. Vel concelebras, frequentas; penetras enim in viscera maris et in terras; afflatuque tuo seminali mare terramque non minus auges quam lætificas. *Pius.* — Hunc et superiorem versum profert Nonius Marcellus; interpretaturque *commoves.* Ego malim interpretari, celebres et cultas reddis, vel colis, frequentas. Mecum facit ea ratio, quæ sequitur : « per te quoniam genus omne animantum, etc. » id est, quoniam tua opera, et tuo beneficio omne animantium genus oritur. *Lamb.*

6. *Ventei.* Sic scribendum, ut a genitivo singulari *venti* distinguatur, docet Wakef. Vide quæ disseruntur a Forbigero sup. p. 70. Ed.

8. *Submittit.* Est manifesta translatio ab isto vexillorum, fascium, aliorumve insignium submittendorum ritu, qui venerantium erat, aut obedientiam profitentium; quum interim alludat elegantissimus Poeta ad solemnes illas florum sparsiones, quarum specimen in Cybeles sacris exhiberi solitum ipse describit II, 626. *Preig.*

11. *Genitabilis aura.* Emendationem minime necessariam hic proponit Wakef. reponendo : « Et reserata viget, *genitalis cura* Favoni »; hoc scilicet constructionis ordine : species verna, genitalis Favonii cura, id est, illud ver quod curant et fovent zephyri. Mox aliam conjecturam subjicit *genitabilis ora Favoni*, scil. plaga. Neutrum feliciter. Forbiger autem legit *genitalis aura*, vix patiente metro, ut mihi quidem videtur, quamquam multas ad rem auctoritates afferat vir doctus; in primis Osannum Anal. crit. p. 173, et Orellii Cens. in Ephem. litt. Jen. a. 1823, n° 76. Ed.

13. *Perculsæ.* Alii *percussæ;* male : *percellere* enim plus est, quam *percutere*, nempe valet « pervertere, prosternere, dejicere, καταβάλλειν, » ut ap. Virg. Æn. V, 374. Percutere vero, est ferire, et icere, et permovere : per translationem ad animum etiam pertinet, et animum permovere, atque adeo labefactare significat. Licet tamen hic legere *percussæ*, me probante, aut certe non repugnante. Sic Ter. And. I, 1, 98 : « Percussit illico animum ». *Lamb.* — Ego *perculsæ* recipere non dubitavi; est enim in illo verbo frequens Lucretius, et Ennium, ut sæpe, sequitur. Is autem pag. 148 : « Perculsi pectora Pœni ». *Hav.* — *Percuti* est in quadam corporis parte ictum pati; *percelli*, membris omnibus commoveri. *Wakef.*

14. *Ferœ pecudes.* Quum rarissime jungantur hæ voces, immo sæpius inter se opponantur conjicit Bentleius *ferœ et pecudes;* Wakef. vero *inde fere* pecudes. Sed cf. Mart. de Spect. XXI, 5. — Cur *ferœ*, omissis mansuetis? an quia feras omnes simpliciter bestias dixit, oppositione ad homines facta? quemadmodum alibi mutas pecudes, non pisces solum, ut II, 1081, sed et cætera animalia dixit, V, 1058, 1087 : an, quia amore omnes efferantur mansuetæ pariter ac feræ? *Preig.* — Eichstadt. edidit *inde ferœ, pecudes.* Sed vulgatam defendit Forbiger, duasque voces sæpe jungi contendit, coll. Varr. R. R. II, 1 et 2; Colum. IX, 1. — *Persultant.* Sed *persaltant*, antiquiore forma, atque, opinor, vere, quum usitatum Nostro sit vocalem simplicium verborum in compositis non mutatam dare. *Wakef.*

16. *Illecebrisque tuis*, etc. Versus abest ab omnibus fere codd. manuscriptis. Marullus unus, vir doctus, ex auctoritate veteris cujusdam codicis, nobis eum restituit. Amicus quidam meus, ingenio et doctrina præstantissimus, putat esse ab ipso Marullo factum, ac pro Lucretiano suppositum, quum putaret ille aliquid deesse, neque desit quicquam. Ego aliud, quod dicam, nihil habeo, nisi quod mihi videtur versus Lucretio dignissimus : jam hæ duæ voces in extremo versu, *natura animantum*, sæpe ab eodem item usurpatæ sunt; ut infra hoc libro, 194 et 1037. *Lamb.* — Potest hic versus abesse, nisi forte cuiquam durum nimis videatur, quod tam simpliciter : « lepore capta quæque pecus » dicatur sequi Venerem, nec expresse pateat, quo lepore? *Preig.* — Versum haud dubie spurium pronuntiat Forbiger.

21. *Secla.* Vox Lucretiana, qua et alii usi sunt. Græci poetæ φῶλα vocant. De ea voce sic scribit Adrianus Turnebus lib. XXVI, cap. 13 : « *Secla ferarum* quum apud Lucretium legerem, subiit quærere unde sumpta esset ista seculi significatio in veteri scriptore tam nova tamque insolita, nec aliis auctoribus Latinis usurpata. Igitur Lucretium existimavi non tam notionem hominibus Latinis receptam sequutum esse in hac usurpatione, quam vocabuli originem et natales, ad quos redegit significationem vimque vocabuli. Nam seculum ab ἡλικία deduci videtur : quum autem ἡλικία Græcis sæpenumero ætatem significet, tamen etiam genus declarat, ut in Lucretio *seclum*, ut quum quis dixit, Væ ætati tuæ, pro væ tibi : sic licet existimare secula bucera eadem ratione dici et pro bubus poni : quod et verius puto. Ejusdem illud et novæ significationis est ».

30. *Effice.* Qui legere volunt *Et face*, loci morbum quidem deprehendunt, sed remedio sunt infelices. Ocius reponas, *Effice at interea. Wakef.* — Sine causa idonea. *Forb.*

32. *Nam tu sola potes*, etc. Hujus loci lepore captus Papinius Theb. III, 295, Lucretium, sed non æquis passibus, ut fit, sequitur; ubi bellator ille furens, occurrentem sibi Venerem, multaque cum eo de bello Thebano, quod instabat, expostulantem, de curru desiliens amplectitur, dictisque ita mulcet amicis: « O mihi bellorum requies, et sacra voluptas, Unaque pax animo; soli cui tanta potestas Divorumque, hominumque, meis occurrere telis Impune, » etc. *Preig.*

35. *Rejicit.* Alii legunt *refficit*, instaurat, et amplexu, otio, suavitateque venerea reparat et renovat ad bella robustius capessenda. Quæ lectio Lutatii ad Stat. l. c. auctoritate comprobatur.

38. *Resupini.* Heinsius, qui modo vs. 36 conjiciebat *repostam*, hic sibi constans, sed loci sensum non recte capiens *resupinæ* legi voluit; ut Wak. *oris* pro *ore*. Nihil mutandum; *resupini* enim satis explicatur verbis antecedentibus *suspiciens tereti cervice reposta*. Mars nimirum, ut Venerem, in cujus gremio cubat, suspicere possit, cervicem reflectit et resupinat. Wakefieldi vero conjectura, *spiritus oris resupini e tuo* (spiritu an ore?) *pendet*, nemo non videt quam dura sit. *Forb.*

41. *Fonde* edidi antiquiore modo scriptum e cod. Brit. 2, vetustiorem orthographiam præ cæteris omnibus servante. *Forb.* — Sed alias vir doctus vulgarem scribendi modum servavit.

45. *Memmius.* Ita omnes libri: rectus pro vocandi casu, qui est infra vs. 412, 1051. Lamb. *Memmiada* restituit conjectura ductus, et forsan non male, licet illud exemplis defendi possit. Wakef. autem codicis Brit. 1 lectionem hanc commendat: « Quod superest, *quæso*, vacuas mihi, Memmius, aureis *Semotim a*, etc. » Sed temere factum recte ait Forbiger. Ed.

57-62. *Omnis enim per se*, etc. Hos versus infra libro II, inde a vs. 646, sine ulla mutatione repetitos, quum in edit. Junt. et Aldina II, atque, si fides est Lambino, in nonnullis etiam libris MSS plane desint, in tribus vero Mus. Brit. codd. et editt. Brix. Veron. Veneta alio plane inepto loco post vs. 44 inserantur, Vossius, Wakefieldus aliique a librariis male huc translatos esse judicarunt. Ego vero nec a Lucretio ipso, nec a librariis solis hunc locum repetitum esse dixerim. Nam Lucretius quidem I, 49-56 judicaverat tantum hoc, se jam præ cæteris dicturum esse de primordiis sive prima rerum materia, semine quasi, ex quo omnia corpora orta sint; ut adeo hi versus nihil amplius contineant, quam simplex hujus libri argumentum. Jam ipsam hujus tractationem priusquam aggreditur, inde a vs. 64 longam præmittit digressionem in laudem Epicuri, qui superstitionem religiosam philosophia sua

feliciter depresserit vanamque docuerit; simul et suam ipsius excusat rationem Memmio, quod hanc disciplinam, quæ facile alicui impia videatur, sequutus sit. His e vulgari ratione inseruntur versus illi, qui brevem exhibent expositionem sententiæ Epicureæ de natura Deorum. Quisnam, quæso, hic sententiarum nexus? Enimvero si Lucretius jam inciperet omnium rerum originem e conjunctis atomis enarrare, tum fortasse suo loco foret talis fere observatio : non enim a Diis mundus originem ducit, qui, a rebus humanis longe sejuncti, æterna fruuntur pace, etc.; hic vero ubi paucis tantum verbis rem universam commemorat, quam cantaturus est, hæc de natura Deorum sententia, eaque sic expressa neque cum prioribus apte connexa, prorsus aliena debet videri. Quæ autem non ab auctore ipso hic repetita puto, nec a librariis huc translata arbitror, qui vix hoc sibi indulsissent, ut sine idonea causa longiorem hunc verborum ambitum ex alio libro huc inferrent et ex inferiori loco superiori insererent. Sola enim codicum et editionum auctoritas, quibus hi versus plane omittuntur vel transponuntur, ut Wakefieldi aliorumque opinionem amplectar me non movent, quum infra plura alia tractaturus sim loca, in quibus codices pariter prioris editionis, a Lucretio ipso profectæ, nec a seriori manu jam interpolatæ et mutatæ, vestigia servasse videantur. Quare cui ceteræ repetitiones tribuendæ, huic neque hanc abjudicari posse censeo. Circumspicienti vero, qua tandem causa commotus serior Lucretii interpolator versus illos nostro in loco iteravit, obtulit mihi eam vs. 49, in quo quum ille vidisset Lucretium dicere : « Nam tibi de summa cœli ratione Deûmque Disserere incipiam », in sequentibus vero de Diis nihil proditum et tamen de religione sermonem esse animadverteret, hæc non bene cohærere et de diis aliquid excidisse ratus, facile induci poterat in opinionem, hanc lacunam illius loci repetitione commode expleri posse. *Forbig.*

62. *Nec tangitur ira.* Exsecratur hæc Lucretiana carmina Lactantius libro De ira : utpote quæ templa, quæ religionem et cultum Deorum tollant. Huic Epicuri sententiæ reclamat et Cicero : « Deus, inquiens, si talis est, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat ». *Pius.* — *Tangi ira* explicant quidem irasci, sed quid, si *bene promeritis* opponatur? ut ira hominum in Deos stultitia illa sit non dissimilis Caligulæ, qui non sine jurgiis exsilium etiam Jovi comminabatur apud Suetonium cap. 23, vel morientis Pompeii indignationi apud Lucan. VIII, 667 : « Iratamque Deis faciem ». Tali ira non tangitur Deus, inquit, id est, commovetur, prout exstat apud Tertullianum, crebrum latinitatis Lucretianæ observatorem, in Apolog. cap. 40, p. 351 : « Invidia cœlum tundimus, Deum tangimus ». *Havere.*

63. *Humana ante oculos.* Significat, Epicurum animos hominum reli-

gione, i. e. inani Deorum timore, et superstitione liberasse. *Lamb.* — Qui ingenium cum Cicerone in Lucretio desiderant, hanc imaginem contemplentur, et si pulchriorem monstrare possint, id mihi facient quod est gratissimum. Ut misere enim sordideque jacent humiles isti religione oppressi homines, et quam horrendo ore Dominus ille Metus desuper minatur! Crederes visum præsentem Dæmonem flagella intentare. His positis, Epicuri (Atheniensis, et Neoclis filii) laudes aggreditur, qui primus his omnibus terroribus se intrepidum opposuit, et, acri vi mentis extra hujus mundi limites in Omne infinitum delatus, totius naturæ potestatem penitus perspexit, docuitque homines res fieri sine cura et opera Deorum, ideoque omnem religionem funditus sustulit, ut docet Cicero de N. D. lib. I: «Quid est enim cur ab hominibus colendos dicas, quum Dii non modo homines non colant, sed omnino nihil curent, nihil agant?» Otio autem suo abutuntur, ut Gassendus, Faber, aliique, qui Epicuri librum Περὶ ὁσιότητος, ejus sectæ pietatem erga Deos, et religionem pro superstitione tantum, metuque Deorum inani a Lucretio hoc loco positam esse crepant; quasi Poeta non omnem de Providentia opinionem sustulerit, aut ille esset superstitiosus qui Deum aliquid agere, aut humana curare existimaret. *Creech.*

65. *Ostendebat.* Antiquitus *obtendebat*, præpositione non eliquata ad voluntatem literæ sequentis: nam se inscitissime dederunt lexicographi et editores, qui in duas voces ivere fissum τὰ *ostendo* et *obtendo*. Lactantius III, 27, dat *ostentabat*, nec male. *Wakef.* — Vide autem quæ Forbig. supra pag. 79 contra dicit.

67. *Tollere.* Nonius legit *tendere*, quem sequutus sum, rejecta altera scriptura, ut supposita. Tendere oculos autem dixit, pro *contendere*. Contendere porro oculos ita dictum, ut contendere vocem, vires, cursum, et similia; V, 630. Est autem longe plus oculos contendere, quam tollere. Illud enim significat contenta acie aliquid intueri, et aciem oculorum in rem quæ cernitur, defigere. Sic Horat. Ep. I, 1, 28, *oculos contendere.* Lucret. infra hoc eod. lib. 325, *oculorum acies contenta. Wakef.* — Nihil hic facit *contentionis* mentio, et *tollere* optime congruit cum præcedd. *horribili super aspectu*, etc. Ed.

69. *Fama.* Non potui non admittere egregiam Bentleii emendationem *fana* pro *fama*, sui exemplaris margini nude ascriptam et indefensam; quis enim temere dixerit legitimum sonare phrasem *fama deum?* quam vero pronus error fuerit exscriptoribus, quivis extemplo videat. *Wak.* — Quidni *fama Deum* dici possit pro: vulgata illa de Deorum potestate opinio? Equidem nihil mutatum velim. Ed.

71. *Irritât virtutem animi, confringere*, etc. Sic versum edidit Orellius,

qui adjecit: «Editt. vett. [adde codd. Brit. 2, 3] sequutus sum. Sex quidem codd. [imo quatuor tantum apud Hav.] ordine inverso *Irritat animi virtutem confringere*, quod quum cæco casu temere sic exaratum fuisset, metri tandem misertus unus cod. (Brit. 1) dedit vocabulum magis etiam hac in re pervagatum *effringere*, quam rationem amplexi sunt Wak., Eichst. Omni auctoritate caret Lamb. et Hav. scriptura, *virtutem irritat animi confringere*, etc.» Mirum tamen est Priscianum quoque, X, 2, et Nonium, X, 16, consentire in lectione *effringere*. Cæterum *irritat*, id est, irritavit; sic III, 710; V, 443; VI, 587. *Forb.*

75. *Omne immensum.* Omne, ut alibi passim, τὸ πᾶν, rerum universitas, quidquid est in rerum natura; non autem hic mundus, qui τοῦ παντὸς respectu fere nihil est; quod immensa fere cœli nostri spatia et siderum inexplicabilis altitudo facile suadent. *Fab.* — Hoc Omne apud Epicureos est infinitum et sempiternum, incrementi simul et decrementi incapax; dum mundus finitus sit, aliquando natus, et interitui obnoxius. *Creech.*

83. *Sæpius olla.* Miror hanc lectionem ita neglectam fuisse ab editoribus, quum eam et Pius jam pridem in contextu, et ad oras Gryphii exhibuerint. Sicut autem non uno loco Virgilius, ita quoque Lucretius vim quamdam singularem in hac voce agnovit, sicut IV, 182: «ille gruum Clamor», et V, 923, «genus humanum illud». Hanc emphasim qui non intellexerunt, in *olim* hic, et alibi aliter mutarunt. *Hav.*

85. *Triviai virginis.* Triviæ virginis, nempe Dianæ. *Dicta* autem *Diana Trivia est*, ut scribit Varro lib. VI de L. L. «vel quod in trivio ponatur, vel quod luna putetur esse, quæ in cœlo tribus viis movetur, in latitudinem, longitudinem, altitudinem»: vel quod (ut alii volunt) eadem sit Luna in cœlo, Diana in terris, Proserpina vel Hecate in inferis. Virg. Æn. IV, 511: «Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ». Τριοδῖτιν appellant Græci, eadem ratione: iidemque παρθένον, ut Lucretius virginem. *Lamb.* — *Virginis.* Ante hanc vocem in libris quibusdam interponi *ad* notat Wakef. locumque levi castigatione sic mutari vellet, *Triviai ad virg. aram ... turparit ... delectos*, ut nominativus efficax, inquit, religio per totam periodum dominetur: non male quidem, sed vulgatam cur sollicitemus? Ed.

86. *Iphianassæo.* Cod. Cant. Brit. 1, 3, et omnes vett. edd. Haverc. autem et Wak. *Iphianassai*, quod nititur sola Prisciani auctoritate. *Forb.*

91. *Celare.* Editionis Bononiensis lectionem *celerare* longe longeque significatiorem, cupidissime arripio (pro *celare*, quæ vulgata erat): τὸ

celare magis est poetæ excusantis atque extenuantis scelus, quam omnibus ingenii viribus et verborum amarissima malignitate graviter incendentis. Quid? quod probabile fiat ex iis quæ ad vs. 88 contulimus, obnupto capite stetisse Agamemnona (conf. Euripid. Iph. Aul. 1550), neque cultrum videre quisse, etiamsi minus huic rei ministri providissent: sonitus vero *celerantium* ferrum atque amentium quos demum horrores excitaret patri! *Wakef.* — *Celare* cum Lamb. Hav. Orell. edidi ex omnibus libris. Ut autem non urgeam Orellii opinionem sane speciosam, poetam hic fortasse memorem fuisse picturæ, in qua ferrum *celans* magis quam *celerans* sacerdos conspiceretur, aperte hoc misericordiæ documentum magis quadrat ad omnem loci connexum, magisque inservit animo lectoris commovendo, quam vox illa *celerare*, qua potius cupiditas quædam cædis perpetrandæ indicaretur, ab hoc loco, ut mihi videtur, aliena. *Forb.*

103. *Tutemet a nobis.* Hic hæserunt interpretes, quos inter ducem *Creech* elegimus; etsi, quam dedimus, non plane nobis satisfacit explicatio. Wakefield sententiam vix mente assequi possum, ita se habentem: « Etiam tu ipse, excultus scientiæ disciplinis, ad omnem viæ flexum conaberis effugere veritatis vim, larvalibus religiosorum fabulis devictus; *nam multæ sunt*, et vitæ rationes universas ab imo fundo turbare efficaces, adeo ut bene beateque vivendum nullo modo liceat. Quid mirum? quum in crassissima caligine ignorantiæ versentur homines, etc. » Equidem fateor mihi magis arridere lectionem *possunt*, quæ planiorem sensum meliusque cum toto loco congruentem efficere videtur. Potens est, inquit, et male suada religio. Tuque ipse, tantus vir, non audebis ab ea ad nos transire, adeo valent vatum commenta et minæ! hi etenim plurima somnia tibi possunt ingerere, quæ vitæ felicitatem timore corrumpant: et merito consultoque ingerent; nam credulitas ignorantiaque nostra maximam eorum potestatem efficiunt. Sic omnia cohærent. Lege itaque *possunt* pro *possum* vs. 105. Ed.

120. *Per genteis Italas hominum.* Alii, *omnium*. Quod ita explicabimus: Quæ corona, omnium coronarum clarissima, per gentes Italiæ clueret; ut sit positivus pro superlativo: quale est illud apud Ennium pag. 65: « Saturnia magna Dearum »: nisi quis dicat hic genitivum esse divisionis: quod genus apud Græcos usitatissimum quidem est, sed etiam Latini usurpant, ut Plinius, « Nigræ ovium ». *Lamb.* — *Clara clueret*, appareret, fulgeret. *Cluere*, auctore Plinio lib. XV, antiqui pugnare dicebant: unde grammatici *clypeum* detorquebant: ex qua etymologia Venerem quam colebant armatam Cluacinam dictitarunt. *Cluere* Marcellus pro *nominari* exponit. *Pius.* — Errat vir doctus in testimonio Plinii, qui libro XV, c. 16, § 1, ait *cluere* apud antiquos dici *purgare*.

Cluacina igitur est quasi *luacina*, purgatrix, expiatrix. Hinc facile derivatur sensus secundarius *splendere*. Ed.—Ita Nonius citat illum Lucilii versum : « Cuia opera Troginu' calix per castra cluebat » : et illud Ennii p. 215 : « per gentes esse cluebat omnium miserrimus ». Valet etiam *cluere* interdum idem, quod videri, insignem esse, haberi, excellere, esse : ut infra eod. lib. vs. 481; II, 351 et 525; III, 208; IV, 50. Utitur hoc verbo et Plautus Trin. II, 2, 31, al. *Lamb.*

130. *Gerantur.* Lamb. et Creech maluere *genantur;* sed Wakef. et Havercamp. restituere *gerantur.* — Veram hujus verbi, toties a Lambino lacessiti aut impugnati, interpretationem, atque adeo defensionem, nemo melius præstabit, quam ipse Lucretius, qui continuos rerum ortus interitusque, seu primordiorum concilia ac discidia passim exemplis a rebus bellicis desumptis illustrat. Sic II, 113 sqq. *Preig.*

137. *Nec me animi fallit.* Sic potius legendum, quam, ut in quibusdam libris legitur, *animus fallit.* Sic enim loquuntur interdum Latini, præsertim poetæ: « Falsus animi, æger et saucius animi, etc. » quanquam alteram lectionem non ausim damnare. Verum tamen ausim, præsertim quum sic habeant plures codices, et ita scriptum sit apud Macrobium lib. VI. *Lamb.*

143. *Serenas,* claras, pacatas. Quidni *severas?* vox enim ista laborem poetæ fortius, et felicius exprimit. Vide IV, 461. *Creech.* — *Serenas.* De æstivis noctibus capit Muretus V. Lect. 18, 13, de quibus Cicero ad Brutum in Paradox. : « Accipies igitur hoc parvum opusculum elucubratum his jam contractioribus noctibus ». *Haverc.*

150. *Quojus principium.* Vulgo legebatur *Principium hinc cujus :* plures MSS *cujus hinc,* contra metrum. Nostram lect. ex edit. Bonon. bene constituit Wakef. Ed.

156. *Quas ob res.* Ad hunc locum magnæ cientur turbæ in codicibus. Sed ex his discrepantiis nihil efficies ad meliorem loci constitutionem, quam quæ in vulgatis obtinet. *Wak.* — *Nil.* Wakef. scribit *nihil,* et id sibi statutum ait, tam quod ita plerumque codices exhibeant, quam quod frequentissimum sit hoc facere comicis tragicisque Romanorum; lingua scilicet citatiore voces hujuscemodi veteres efferebant. Hanc equidem opinionem, etsi non damno, sequi tamen in illa lectionum varietate nolui, quo propius ad metrum scriptura accederet. Sic infra vs. 160, *omnibu'* non *omnibus* scribendum curavi, nec aliter ubique. Ed.

157. *Sequimur.* Emendavit Lamb. *sequitur,* cui assentitur Jensius, et ita exhibent MSS L, B; sed altera lectio omnino est retinenda. Signi-

ficat enim hic, indagare conamur, sicuti feras, atque prehendere sequendo. *Preig.* et *Hav.*

158. *Et unde.* MSS, *ut unde.* Neque dubium est, quin scripserit ita Lucretius: *ut* hic tantumdem valet ac, ut et, i. e. quomodo: cætera sunt perspicua. *Havere.*

164. *Armenta, atque aliæ pecudes: genus,* etc. Restitui interpungendi rationem ab Hav. et prioribus edd. adhibitam, quam Wak. sic mutavit: « erumpere cœlo armenta: atque aliæ pecudes, genus omne, ferarum, etc. » At vero licet formulam dicendi *pecudes ferarum,* alias in Lucretio non obviam, e similium compositionum analogia probare velimus, licet etiam verba *genus ferarum* hic, ut IV, 737, absolute posita intelligamus, vox tamen *aliæ* hanc rationem probari non patitur, quia sic *armenta* quoque ad feras pecudes essent referenda. Longe aptior et simplicior igitur videtur vulgaris interpungendi modus, ex quo pecudes domesticæ, in quibus et armenta, discernuntur a feris animalibus: quorum illæ e cœlo erumpere, hæc vero incerto partu (id est, ut incertum sit unde originem ducant et procreentur), regiones desertas pariter et pascua ab hominibus culta inhabitare credi possint. *Forb.*

176. *Vites.* Quidam *uvas;* non male, quia *rosa* præcedit, non rosarium; plures tamen MSS vulg. tuentur. — *Sudante.* Havercamp. malit *suadente,* quod recepit Forbiger; Salmasius legebat *sua dante,* parum feliciter. *Lagrange* retinet *sudante;* sed hanc vocem a *sudo* cœlo vult intelligi. Nostra nobis magis arridet interpretatio. Vide not. Ed.

177. *Quia.* MSS habent vel *que,* vel *quæ:* unde patet scripsisse auctorem: « Si non certa, suoque in tempore semina rerum Quum confluxerunt ». *Hav.* — Sic tentat Wakef.: « suo quoi tempore ... tum confluxerunt ». Sed nihil mutandum; locutio enim *si non quia* etiam alibi occurrit; cf. vs. 204. Ed.

186. *Seminis ad coitum.* Legi malim per mutationem minimam *ab coitu. Wak.*

192. *Quidque.* Alii *quæque,* quam lectionem tuetur Forb.

204. *Quia.* MS *qua,* nec temere forte: quum *qua* hic possit usurpari pro aliqua, i. e. aliquo modo. Veterem lect. mutare tamen nolui. *Hav.*

209-215. *Postremo, quoniam inculteis,* etc. Septem hi versus hoc quidem loco plane contra auctoris mentem additi videntur. Lucretius

enim, nullam rem e nihilo exoriri demonstraturus, hoc in primis studebat comprobare his quinque argumentis, quod omnia e certo tantum et proprio semine exoriantur (vs. 160-174), pariterque non nisi certo quodam anni tempore progerminent et nascantur (vs. 175-184), nec extemplo, sed paullatim et justo temporis spatio crescant et maturitatem assequantur (vs. 185-192), nihil porro sine propriis alimentis, plantas non sine pluvia, animalia non sine cibis procreari et servari possint (vs. 193-199), omnia denique certis et definitis spatii temporisque terminis cohibeantur, quos nec crescendo nec vivendo transgredi liceat (vs. 200-205); e quibus omnibus prodit conclusio, vs. 206 sqq. obvia : Nil igitur fieri de nihilo posse fatendum est, etc., a qua auctor aptissime transiret ad alteram disputationis partem, scilicet ut e nihilo nihil oriatur, sic nihil etiam ad nihilum reverti, quæ vs. 216 incipit. Jam vero, ut nunc quidem habemus carmen Lucretianum, præit hæc verba sextum illud argumentum prioris sententiæ, conclusioni jam factæ additum, nec tamen quidquam novi complectens, quod non primo et quarto argumento jam contineatur. Quanam enim alia in re versatur summa agriculturæ, quam quod seminibus terræ mandatis arando, occando, stercorando vel plura et meliora præbentur nutrimenta, vel iis, quæ natura ipsa suppeditat, in usum suum convertendis aptiores herbæ redduntur? Ecquid igitur aliud hoc argumento dicitur, quam in terra latere semina plantarum, quæ, nisi externis quibusdam adjumentis adhibitis, nullos fructus procreare possint, qui utrum a natura viliores, an per artem meliores edantur, ad nostram rem prorsus perinde est. Quare mihi certe omnino superfluum videtur illud argumentum, quod præter parum opportunum locum eo etiam in suspicionem incurrit, quod vss. 212, 213 repetiti leguntur V, 211, 212, qui locus, prorsus eamdem sententiam continens, fortasse omnis hujus additamenti assuendi ansam dedit. *Forbiger.*

210. *Reddere. Reddier* Gif. ex conjectura; *reddi* Lambinus; docetque « legendum ita esse libris omnibus reclamantibus ». Quos merito deridet Gronovius Obs. II, explicans ita : culta reddunt meliores fœtus manibus, i. e. labore manuum : atque illustrans ex Sallustio, Cicerone, aliis. Quid tamen simplicius, quam *reddere manibus*, esse compensare manuum laborem, retribuere fructibus quod terræ fodiendo, arando, stercorando feceris? Injicit tamen scrupulum lectio MS *manibus melioris reddere fœti ;* quasi innueret meliori vel laboriosiori agricolæ loca *fœta* jam, i. e. fœcundiora facta, operam suam redditura fructuositate. Sed maxime probabile videtur ita fuisse scriptum : *manibus melioris reddere fetus* : *melioris* scilicet fructus seu fetus, pro *meliores*, ut *omnis homines*, et multa talia apud Sallustium et alios; pro quo hic Lucretiano more *melioreis* reposui. *Hav.*

211. *In terris.* Wak. conjicit *in tenebris*, ut opponatur *cimus ad ortus*. Sed melius cum totius loci sensu τὸ *terris* congruit. Ed.

216. *Quidque.* Forbiger ex omnibus fere libris *quæque* ait recipiendum, utpote magis Lucretianum.

220. *Nulla vi foret usus enim.* Sic habent tres libri manuscripti: alii, *usus ei.* Scil. naturæ.

224. *Dissoluatque.* Licet legere *dissolvat*, ut sit trium syllabarum, et ita erit versus spondaicus: licet et per diæresin *dissoluat;* et item alibi; ut sit quadrisyllabum. *Lamb.*

241. *Inter se nexu minus aut magis indupedita.* Hoc loco maxima est lectionum varietas. Alii exhibent *nexas endopedite.* Alii *nexu endopedito;* vel *nexus endopedita;* vel *nexus endopeditos:* lector eligat.

250. *In corpore materiai.* Wak. e codd. aliquot recepit pro vulg. *corpora*, ratione nimirum, ut ait, exquisita magis et poetica. Cui plane assentior: res enim non redeunt *in corpora*, quum dissolvuntur, sed redeunt ad priorem statum *in corpore* materiæ. Si tamen *corpora* legas, intellige prima principia, atomos. Ed.

256. *Pueris florere.* Vulgatam sequutus sum, quia *florere viris* sæpius apud poetas occurrit, Virg. Æneid. VII, 643; Stat. Theb. V, 54. Wak. tamen, probante Forbigero, edidit *puerûm;* contenditque τῷ *florere*, cum notione τοῦ *abundare*, convenientissimum esse gignendi casum; nisi quis malit *puerûm* pendere a voce *lætas*, ut *lætus animi* apud Vell. Paterc. II, 93, 2. Mihi quum hæc locutio non plane arrideat, manum abstineo. Ed.

258. *Pingues.* MSS *pinguis*, tanquam pro *pingueis*, nisi malis legere *pingui;* ut adeo adipe onustæ pecudes frequenter in molli gramine requiem captare innuat. Pro *fessæ* MS *feræ*, alii *fætæ*, neutrum placet. *Hav.* — Wakef. tentat *fusæ;* sed bene habet vulgata. Ed.

266. *Nunc age, res*, etc. Vulgatam hic restituere Eichst. et Forbiger, a Wakef. sic immutatam: «Nunc age sis... nihil posse... genita ad nihilum revocari».

272. *Pontum.* MSS quidam *cortus:* inde *portus* plurimi MSS, ut et B, eamque vocem Pareus, Gif. aliique acriter defendunt: at vero quis dubitet *Pontum* scribere qui versum 279 legerit? *Creech.* — Quoniam

tamen MSS multi hic variant et *coortus* seu *cortus* habent, posset hic legi, « Principio venti vis verberat incita coorti, etc. » atque ita versus 277 suum *pontus* retinere, quo pacto ibi omnes habent MSS, majori distinctione posita post *fremitu*, ut ibi descriptio venti desinat : ita : « ita perfurit acri Cum fremitu; sævitque minaci murmure pontus ». Eligat lector quod velit, mihi magis adhuc vulg. lectio placet. *Hav.*

276. *Pontus.* Merito sane vocem hanc alienam hic sedem occupasse censet Faber, proque ea substituit *coortus.* Nisi forte magis arrideat, quod nobis admodum juvenibus jam in mentem venisse memini, nempe : *sævitque minaci murmure Corus. Preig.* — Argute veram lectionem *cortus*, seu *coortus*, ex Ms. Bertin. firmavit Faber. Verum tunc hic *ventus* subintelligi debet; dixit enim in initio *vis venti.* — Wak. ipse suam conject. affert *Olympus*, suspicatus τὸ *pontus* ortum ex marginali glossa *polus :* quod minime arridet. Malim etiam *ventus* quod ad litteras τοῦ *pontus* magis accedit. Ed.

279. *Nubila.* Rescribas, me sponsore, *culmina cœli*, id est, olympum ipsum. *Wak.*

292. *Quum flumen procubuere.* Hunc verborum ordinem Wak. restituit e sex codd. Vulgo *flumen quum.*

295. *Rapideique rotanti.* Hæc est librorum omnium lectio. Pius *rapidoque rotantes ;* vulgo *rapidoque rotantia.* Havercampus, *rapidoque rotanti.* Librorum vero auctoritati obtemperandum duximus. *Forb.*

301. *Calidos æstus.* Wakef. edidit *validos*, id est, utcumque vehementes atque efficaces sint; ut sit argumentum a fortiori concludens. Acutius forsan, quum non absurda per se lectio vulgata sit. Ed.

297. *Moribus.* Ita plurimi vett. codd. quidam autem MSS et impressi *motibus.*

305. *Aut tangi.* Vulgo *et.* Bene opinor Wak. *aut* reduxit ex A. Gellio, Noct. A. V, 15. Ed.

306. *Fluctifrago.* Sic habent libri manuscripti. Nonius Marcellus tamen in voce *seresco*, hunc versum testem producens, legit *fluctivago:* quod si probas, vagato et inundato a fluctibus interpretare.— *Suspensæ.* Quidam codices habent *suspansæ :* quod significat : apertæ, explicatæ, a verbo *pando. Pius.*

307. *Dispansæ in sole.* Alii *dispessæ*, alii *dispensæ* legunt; alii vocem

candenti substituunt. Sed A. Gellius XV, 15, notat veteres dixisse *passum* pro *pansum*, a verbo *pando*, ut *passis manibus*, et *passis velis*. Itaque Plautum in Milite glorioso II, 4, 7, per verbi compositi morem, *dispessis* dixisse pro *dispassis*, i. e. *dispansis*. — Hos tamen versus quum citat Nonius II, 812, legit *dispansæ*, et ideo hanc lectionem tuetur Forbiger, allata Vossii auctoritate, de Anal. III, 26.

310. *Dispergitur*. Wak. legit *disspargitur*, orthographiam antiquiorem, ut ipse ait, reducens.

312. *Multis solis*. Alii *multum*. Non improbanda emendatio Fabri et Vossii, *multis olim*, quæ tamen nullius MS auctoritate confirmatur. *Hav.* — *Solis annos* Lucretius videri potest, tam distincte dictos, opposuisse *annulis*, qui volvuntur *in digitis*; et *magnos annos*, otioso alias, ac nullius momenti epitheto, dicit infra vers. 1028, sed propriæ ac primæ ipsius nominis notioni intentus. Annus enim non nisi circulum quemdam adeoque temporis qualemcumque periodum certam significasse ab initio videtur. *Preig.* — Injuriam poetæ faciam, si talia refutem.

335. *Quapropter ... vacansque?* Quum nihil præcesserit ex quo fiat conclusio, versum hunc spurium recte pronuntiat Bentl. probante Wak. — Licet verum sit, Lucretii editores, in primis Lambinum, in locis spuriis indagandis nimios fuisse, multosque versus, quos magna lectionis diversitate obrutos viderent, fortasse etiam non recte intelligerent, aut cum cæteris non bene cohærere putarent, statim nec sine justa causa rejecisse; negari tamen nequit, plures etiam in Lucretio inveniri versus, qui, licet ab omnibus codicibus exhibiti, tam intempestive et languide objiciantur, tam male cum cæteris nectantur, tam insolenter scripti sint, ut omnino Lucretio indigni ideoque e contextu removendi videantur. In his quamquam plerumque admodum difficile est decernere, a quonam profecti sint, quum aliquis etiam putare possit, a serioribus grammaticis et librariis, qui alios etiam auctores interpolarunt, additos esse, id tamen non prætermittendum videtur, in omnibus libris hos versus inveniri, ideoque auctores nostris certe codicibus antiquiores esse; qui, in primis si oratio etiam ita comparata est, ut vulgarium interpolatorum doctrinam et acumen excedere, vel certe multam Lucretii lectionem prodere videatur, fortasse rectius ab antiquiori illo, quem sumendum puto, interpolatore seu novo editore adspersi habeantur. Huc pertinere puto hunc versum, Bentleio spurium declaratum et a Wakefieldo uncinis inclusum, quum non appareat, quid sibi velit conclusio, verbo *quapropter* indicata, et constructio impedita et obscura sit. Cæterum in hoc versu prorsus superfluo et languido illud *locus intactus* sumtum videtur e III, 814, seu V, 359; clausula vero *inane vacansque* ex I, 445; quæ ipsæ formulæ Lucretianæ

hic adhibitæ faciunt, ut hunc versum non a vulgaribus librariis adscriptum habeam. *Forbig.*

337. *Officium quod corporis. Corporum* Pareus, aliique contra codicum fidem : idem in sequenti versu *abesset* pro *adesset. Creech.* — *Exstat.* MSS Lugd. Bat. *est ut*, recte : lege itaque : « Namque officium quod corporis est, ut Officere, atque obstare, etc. » *Hav.* — Dura mihi quidem videretur locutio, *ut*, hic pro *nimirum* adhibita. Sed illud e corrupta lectione *estat* fluxisse bene monet Forbiger. Ed.

344. *Privata carerent.* Turnebus aliquando legit, *Pronata carerent;* aliquando *Privata jacerent.* Frustra; ut et Gassendus, qui vs. 346, pro *Quiesset* legit *fuisset. Creech.* — Wakef. autem tentat *manerent*, vel potius *vacarent.* Magis tamen placet nihil mutari. Ed.

348. *Licet.* Non est cur increpent Lambinus Gifaniusque lectionem nonnullorum editorum, qui habent *liquet.* Turbatum certe aliquid innuunt MSS qui habent *liceret.* Absurdus certe locus non erit, si cum ed. Bas. ita legas et distinguas : « Hinc tamen esse liquet raro cum corpore : cernas In saxis, ac speluncis : permanat aquarum Liquidus humor : et uberibus flent omnia guttis ». *Hav.* — Sed hæc omnia nimis hiantia sunt ac dissoluta. *Wak.*

362. *Corporis.* Quidam volunt *corporum*, ut et vs. 363 et 367. Sed, etsi in hiatu, quem pluralis efficeret, minime hærendum esset, ob meliorum tamen librorum consensum singularis præstare videtur. *Forb.*

364. *Sine pondere inanis.* Wak. unius codicis lectionem *inani* probat; ut sit sensus : Manet inani sua natura sine pondere.

367. *At.* Wak. ex ingenio suo edidit *ut.*

385. *De concurso.* Alii, *concursu.* Quod vero *de concurso* Lamb. se in nonnullis codd. invenisse testatur, id in MSS fere omnibus melioribus ita se etiam habet, multaque talia amat Lucretius, unde et nos etiam elegimus cum Gifanio. *Hav.*

390. *Compleri.* Quidam legi volunt *complere. Compleri* tamen omnes habent MSS quibuscum sentio, apto satis sensu. *Hav.*—Forsan *complere* scripserat auctor, improbantibus librariis, quibus id ob metri rationem displicuit. *Preig.*

398. *Ipse in se.* Creech et alii, *se ipse in se.* Wak. correxit e pluribus MSS, et solent antiqui verba activa sic absolute ponere. Conf. infra vss. 787, 1090; Virg. Æneid. I, 104, *tum prora avertit*, et alios. Ed.

401. *Possum.* Wak. legit *possunt*, unius tantum codicis Brit. 1 fide; improbante Forb. recte. — *Corradere.* Alii, *contradere.*

406. *Intectas frunde.* Alii *intextas*, minus bene ad sensum. Wak. ex conjectura *injectis frunde*; quod recte respuunt Eichst. et Forb.

411. *Paulumve recesseris abs re.* Mihi non est dissimulandum, ita legi in omnibus fere codicibus : in Memmiano autem, « paullumve abscesseris ab re », ut ego excudendum curavi. *Lamb.* — Aliud bene reduxit Wakefieldus.

413. *Largos haustus e fontibu' magnis.* Ita malim cum veteribus, et impressis omnibus. Lambinus tamen ex auctoritate quatuor librorum manuscriptorum : « Usque adeo largos, haustos de fontibus, amnis », seu *amneis*. Et, *haustis fontibus*, quæ vulgata olim scriptura, non ita absurda. — MSS optimorum sequutus auctoritatem, et, addita distinctione necessaria, locum, ut puto, integrum reddidi : « largos haustus, e fontibus amneis ». Sensus est: Dabo tibi haustus, qui sunt amnes ex ipsis fontibus. *Hav.* — Wakef. autem legit *amnis*, ut sit ordo : « Lingua fundet haustus amnis adeo largos e fontibus ipsis derivatos ». In tanta libb. varietate, lectionem, quæ planior visa est, cum Eichst. et Forbigero sequimur. Cf. I, 284, 1084; V, 264. Ed.

421. *Constitit in rebus.* Sic vett. editi; recentiores, *consistit rebus;* sine librorum auctoritate.

426. *Confirmare animos.* Sic restituit Wakef. ex antiquis libb., quum post Lambinum Creech. maluerit *animi ratione.*

428, 429. *Haud quaquam.* Sic e MSS Wakef. pro *haud usquam*, et *quoquam diversa* pro *quaquam*, ut erat vulgatum. Mox *supra* pro *supera.*

433. *Tertia sit numero.* Ita vett. libri quos sequutus sum : vulgati, *tertia sit rerum.* Dixit autem *tertia numero*, ut dicimus *tertium ordine. Lamb.* — Nimis rigide hunc versum hinc exsulare jubet Faber; sed, pro *quod quasi*, *quæ quasi* non temere substituit Creechius. Alii : *quo quasi. Preig.*

437. *Corporis augebit.* Alii *corporum adaugebit;* vel *corporum augebit*, ita ut non elidatur syllaba *rum*, sed corripiatur. Sic vs. 362. Plures codd. sequimur. Ed.

454. *Pondus uti saxi, calor ignis.* Lambinus restituerat *Pondus uti saxis, calor ignibu', liquor aquai.* Sed sequendos codd. bene jubet Wak., qui tamen ex ingenio *saxi est* dedit. Nos Eichst. et Forb. codicum vestigiis insistentes sequimur. Ed.

455. Aliam huic versui constructionem Noster maluit, ad quam præcedentis quoque versus ibant compositum nonnulli scribæ; sed inscitissime, quum non aliud magis poesin commendet, quam varietates hujusce modi cum judicio factæ, aut a didacticis scriptis, ut sunt ingenio minus hilari ac jucundo, satietatem efficacius defendat. *Wak.*

456. *Paupertas divitiæque.* Sic e pluribus MSS dedit Wak., quum in vulgatis antea *libertas* hic legeretur, et in sequenti versu *paupertas*. Sed τὸ *que* post *divitiæ* eam quam sequimur lectionem etiam confirmat. Ed.

460. *Tempus.* Qui paupertatem, bella, pacem, etc. inter eventa poni haud graviter ferebant, magnificentius de tempore sentiebant. Pythagoras, Heraclitus, alii (vide Empiricum adv. Phys. lib. XXI) corpus esse, Stoici vero incorporeum aliquid esse docuerunt: his omnibus Epicuri sententiam opponit Lucretius, quam accipe lector Gassendi verbis luculentius explicatam: «Tempus est eventum cogitatione dumtaxat seu mente attributum rebus, prout concipiuntur in eo, in quo sunt, statu perseverare, aut desinere, et longiorem aut breviorem existentiam tueri; ac ipsam habere, habuisse, aut habituræ esse». *Creech.*

466 sqq. *Quum dicunt esse.* Haud scio an facile explicare possim, quid sentiam, sed ego, ut potero, dicam. Sermonis Latini inopia cogit, ut utamur verbo *sum, es, est,* in re temporis præteriti, ubi quid factum dicere volumus. Itaque si quis dixerit, *Victum est* Ilium, extemplo argutator aliquis responderit, *Victum est? ergo est:* quod falsum. Hunc locum sic necessario intelligendum arbitror. Certe quæ addit Lucretius, huic explicationi maxime favere videntur. *Fab.*—Hæc Faber, quo nemo melius: versibus igitur 7, captiosum sophisma solvit, ex communi usu loquendi, quo dicimus res præteritas gestas esse, ductum: et huc spectare existimo omnia illa, quæ de accommodandis tempori familiaribus sermonis formis Epicurus scribit in Epist. ad Herodotum: οὔτε διαλέκτους, ὡς βελτίους, μεταληπτέον, ἀλλ' αὐταῖς ταῖς ὑπαρχούσαις κατ' αὐτοῦ χρηστέον. Qui vero dixerit has esse nugas dialecticas, verissimum dixerit. Nec nugaretur Lucretius, nisi Stoici (inter quos et Epicureos immortale odium) futilissimi hominum, hisce argutiis ineptire coegissent. *Creech.* — Vide quæ diximus in nota ad vs. 470. Ed. — Ego lacerum poetam non existimo (ut Creechius putat ad vs. 469), verum ita esse explicandum: Dicunt Trojugenas gentes *esse* subactas bello, et Tyndaridem *esse* raptam; at cave ne, dum hæc audias, interpreteris, quasi illud *esse* præsens etiam denotet tempus, quum (ex versu 461, et 462) probe inter tres temporis articulos sit distinguendum; et tempus quidem *sit*, sed non *per se* (versu 461) neque ita

semper idem; nam quidquid evenerit, sive actum erit, poterit dici *eventum*, sed alia ratione rebus, alia ratione regionibus. Id est: hoc est eventum, Rapta est Tyndaris et subacti sunt Trojugenæ, estque hoc eventum rei, idque adhuc est et manet, diciturque in præsenti; at eventum regioni seu regionibus, jam est eventum tempori, seu temporibus; atque adeo transactum, et de eo debemus dicere quod fuerit, non quod sit. Quæ cuncta planiora, atque nullo modo obscura erunt, si pro *regionibus* legere licet *temporibus;* quomodo tempus opponitur rebus, supra vs. 460. *Hav.* — Nec ego lacerum poetam (vide not. 470) existimo; sed Havercampi interpretationem vix ac ne vix quidem intelligo; retuli tamen, ne in loco difficili lectoribus viderer adjumenti quidquam neglexisse. Cæterum, vs. 470, pro vulgato « aliud rebus, aliud regionibus », quum MSS omnes habeant *terris*, nihil melius aut tutius visum est quam cum Forbigero sequi auctoritatem Wakef. ingeniose insuper corrigentis *legionibus*, ut constet oppositio quæ postea repetitur vs. 483, *corporis atque loci.* Ed.

477. *Trojanis.* Ita omnes libri; Lambinus reposuit *Trojai;* cui plane assentitur Haverc. : sed ante omnia audiendos libros censeo; nam quid vetat dici posse *Trojanis inflammasset Pergama?* Ed.

480. *Neque.* Sic recte Wak. ex omnibus fere libris. Vulgo *nec. Forb.*

481. *Eadem.* Συνίζησις fit in *ea*, duæque vocales, quarum altera brevis est, altera longa, pro una syllaba habentur. *Lamb.*

487. *Stringere.* Wak. *stringuere.* Alii *stinguere*, id est, exstinguere. — *Demum.* Quidam codices *damnum*, ruinam, interitum; non male.

488. *Etsi difficile esse videtur credere quidquam*, etc. Forbiger ex auctoritate codd. Vatic. Brit. 1, 2, 3, et edd. Ald. I et Bon. edidit *videtur, fors ita quidquam.* — Explico autem locum ita : Etsi *difficile videtur* intellectu *in rebus* creatis quidquam reperiri posse quod *fors*, fortuito, solo casu, *ita solido*, tam solido corpore præditum sit, etc. Illud enim *difficile est* non addito verbo aliquo intelligendi, credendi, prorsus convenit usui Lucretiano, et similia ellipseos exempla in his carminibus haud rara sunt. Cf. IV, 144; V, 262. *Fors* autem pro *fortuito* adv. dici satis notum est. *Forb.*

492. *Fere ferventi.* Sic e cod. Brit. 1 Wak. edidit, quem docti editores sequuntur. Vulgo *fero ferventia*, aut *fero ferventi.*

494. *Tum glacies æris.* Sic recte e veteribus libris restituit Lamb. Vulgo *acri;* sed inter metalla *glaciei* proprie dictæ quis locus?

520. *Dissoluantur.* Vel dicendum est versum esse spondaicum, vel fieri διαίρεσιν hoc modo, *dissolüantur;* vs. 224. *Lamb.*

522. *Corpora certa.* Libri omnes vulgati, *cæca*, sub aspectum non cadentia, et oculorum obtutum effugientia, ἀόρατα. Sed MSS lectionem *corpora certa* magis probo, corpora finita non numero, sed ratione. *Lamb.*

527. *Corpora certa.* Corrige *tota:* hoc est, corpora solida : quæ undecumque penitus plena sunt, meatus nullos habentia. *Pius.* — Alii, *cæca.* Cf. supra ad vs. 522.

534. *Findi in bina secando.* Sic vulgo; sed Wak. e pluribus MSS reponit *fundi*, id est, dispergi, in morem aquæ, quæ semel humi effusa, colligi nequit. Ego vero vulgatam lectionem servavi, quia prorsus displicet translatio *fundi* τοῖς *in bina secando* conjuncta. Vulgatam quoque retinuere Eichst. et Forb. Ed.

543. *De nihiloque renata.* Nard. vitiose *quæsita;* quidam « nihilo quoque nata »; alii « nihiloque creata »; Gassendus *reducta*: Wakef. e conjectura proponit *nihiloque excita;* parum probabiliter. Idem in vs seq. *supra* pro vulgato *supera* restituit ex omnibus fere libris.

556. *Finem.* Codices ita omnes fere; veteres quidam tamen *florem:* quod etiam rectum est, sed ex aliis locis irrepsisse videtur. Vide similia infra 111, 771. *Gifan.* — Recte Wak. omnem phrasin sic explicat: maturitatem suam, quam sibi natura præscripserit, complere. Ed.

558. *Longa diei Infinita ætas.* Alii legunt *infinitæ;* sed Noster sæpius adjectiva duplicat. Faber legit, « dies, et Infinita ætas », ex versu 234, non male. Ed.

561. *Nunquam id relicuo.* Veteres quidam *reliqüo.* In aliis quibusdam: « Reliqüo id nunquam ». Vulgo : « Id nunquam reliquo ». *Gif.* — Ipse Lucretius IV, 977 : « Reliquas tamen esse vias in mente patenteis ». *Hav.* — Ceterum non *reliqüo*, ut priores editores, sed *relicuo* scribendum esse duxi. Cf. Papirian. apud Cassiodor. p. 2290, P, quem laudat Schneid. Gr. Lat. I, p. 332, et vide Turnebi Advv. XIX, 15. *Forb.*

568. *Mollia, quæ fiunt; aer,* etc. Sic legit et interpungit Wak.; vulgo « mollia; quæ fiant, aer, etc. » sensu ita impedito, ut Bentleius vs. 569, quasi adulterinum, deleri jusserit. Ed.

569. *Et qua vi quomque gerantur.* Lambinus *genantur*, ut vs. 230; male; contra libros vett. Libri autem plurimi *quæque.*

570. *Semel.* Ita præclare legunt MSS. *Simul* enim, quod hactenus locum occupavit, plane hic est inconveniens. Veteres vero eleganter hac voce *semel* sunt usi. Lucan. II, 147, « semel omnia victor Jusserat »; et VIII, 707, et alibi. Quod ipsum verbum Tertulliano in Apologetico, et aliis auctoribus suo tempore restituimus. *Hav.*

578. Hic versus et sex sequentes multo commodius leguntur in hoc loco, quam ubi vulgo ponuntur, post vs. 635. Hoc autem modo poetæ ratiocinatio procedere videtur: « Si tibi concedam non esse rerum frangendarum finem, mihi necesse est vicissim concedas, certa esse corpora, quæ nondum diffringantur; hanc enim concessionem tibi extorquebit validissimum oculorum testimonium. Ergo conclusio, quam volo, necessario exsurgit; *solida* utique esse, non contra mollia, rerum omnium primordia: aliter enim, undenam per infinitum ætatis anteactæ tempus, cum tot plagis semper tuditantibus conflictata, in ævum nostrum durare potuissent? » *Wakef.* quem sequuntur Eichst. et Forb.

581. *Clueant.* An ex MSS ductu scribendum: *Quæ nodum cieant,* i. e. quæ densam et stipatam efficiant materiam. Non tamen temere mutandum, sæpe enim *cluere* a poeta pro *esse* dicitur. *Hav.*

586. *Crescendi.* Wak. e codd. Lugd. 1, 2; Brit. 1, 2, *crescundis;* quam locutionem exemplis confirmari vellem; nam alia est ratio in vs. 553, ubi *frangundis* verbum activum est. Hanc tamen emendationem sequuti sunt Eichst. et Forb. Sed mihi magis placet vulgata, præsertim ob similem, quæ stricte opponitur, formam *tenendi,* pro quo alii legunt *tuendi.* Ed.

591. *Corpore.* Sic Wak. cum plerisque codd. Vulgo ad constructionem magis usitatam *corpori,* quod præbent codd. Brit. 2, 3. *Forb.*

600. *Tum porro,* etc. Ut totius hujus loci sententiam usque ad versum, *Quapropter materiam,* etc. facilius consequamur, sciendum est, Peripateticos et Epicureos quum in aliis multis, quæ ad hanc disputationem non pertinent, tum in his maxime inter se dissidere: primum quod illi volunt omne corpus in parteis infinitas secari posse, neque ullas corporis parteis usque adeo parvas esse posse, ut non possint fieri minores: id est, infinitum nihil esse quidem re et usu, seu functione, et (ut vulgo loquimur) actu; sed τῇ δυνάμει, i. e. potestate: quod item sensit Empedocles: Epicurei autem contra cujusque corporis censent minimas esse parteis, id est ejusmodi, quibus nullæ possint esse minores, ad quas quum deventum sit, divisioni nullus jam amplius sit relictus locus: deinde quod illi negant inane, ut et Empedocles, et tamen motum recipiunt: Epicurus autem et inane ponit, ac mordicus retinet, et sine inani motum esse non posse contendit. *Lamb.* — Utitur argumento, subtili equidem, et quod pauci perceperint: *Semina* se-

cundum Epicurum sunt aliqua quantitate prædita, quod vero quantum est extremum habet. Id autem extremum *minimum* est quod potest concipi; neque unquam exsistit ab aliis partibus sejunctum et separatum, atque ex istis minimis tota cujusque seminis moles construitur. Quum vero partes constituentes a se invicem separatæ exsistere nequeant, a se invicem divelli non possunt : quodcumque enim Corpus ab alio disjungi potest, sine illius ope et auxilio suum *Esse* tueri valet. Ideoque quodlibet semen simplex necesse est, et indissolubile : quoniam constat partibus conceptu minimis, et quas nulla vis potest disjungere, quoniam nulla est vis quæ in nihilum valeat redigere. *Creech.*—*Quoique.* Alii *quodque;* vel *quojusque,* omisso *est.* Wak. refingit *in quoque.* Incerta est ex scriptis lectio. Ed.

601. *Illius.* Wak. iterum refingit sic : « extremum *quodque* cacumen, corporis *ullius* ». Simplicius tamen olim vulgabatur : « quoniam extremum cujusque cacumen corporis est aliquod, nostri quod cernere, etc. » Sed MSS, ut videtur, nulli addicunt. Ed.

605. *Alterius.* Edit. Ald. I cum Bonon. *alternis,* probante Wak.

609. *Unde queant nulla.* Sic Wak. e codd. edidit. Vulgo sine codd. auctoritate, « ut nequeant ulla ».

612. *Ullorum.* Alii et Wak. *illorum;* et vs. 614 *nee* pro altero *neque.*

621. *Nil erit, ut distet.* Sic Wak. quem in notis sequitur Forbiger. Vulgo « non erit ut distent », contra libros.

629. *Denique si minimas.* Lambinus correxit *ni min.*, quem sequuti sunt Creech. et Wakef. aliique, sensu, ut volunt, reclamante. Locum igitur Creech. sic exponit : « Explicata de minimo mathematico sententia, ad minimum suum physicum redit poeta, quod propter soliditatem, non vero propter exilitatem, indissolubile fingit, et æternum. Nisi enim ad extremam resolutionem natura perveniret, nisi omnes, etiam minutissimas, moleculas explicaret; inepta foret rerum materies innumeris illis quibus debet subjici mutationibus, atque formis; moleculæ enim ex variis partibus connexæ, et inane inter se, ex sententia Epicuri, continentes, non æquabili pondere, non uniformi motu donarentur; aliorum ictibus maligne obsequerentur, ideoque minime connecti possent ». Hanc interpretationem ægre capio. Cui quum obstare videatur τὸ *nullis* in vs. 632, quod omnes ad unum MSS tuentur, illud editores mutant in *multis.* Ego autem codices religiose sequutus sum, quum crederem aliquo modo eorum lectionem explicari posse. Vereor tamen ne in difficiliore loco recte volentem vires defecerint. Ed.

632. *Quæ nullis sunt partibus aucta.* Lucretius utique opponere vult atomis, vel *minimis* corporibus, ea quæ *grandiuscula* sunt, et tamen simplicia, *nullis* nempe *partibus aucta;* qualia affirmat esse rebus gignendis minus apta : rerum enim creatio non confit, nisi ex corporibus, grandioribus illis quidem, sed quæ ex minimis primordiis coagmentantur, atque in eadem resolvi possunt. Ex *minimis* igitur particulis non ulterius dividendis, invicem cohærentibus et commiscentibus, omnia producuntur; non ex corporibus augmine majori, quæ in minima primordia se dissolvi negant. *Wak.* — Lectionem vulgatam *nullis* postquam sic explanare tentavit Wakef. conjecturam quoque affert suam, « nullis sunt partibu' secta » ; non male; sed receptam lectionem, si qua via est, servare malim. Vide not. proxime præcedentem. Ed.

635. *Per quos.* Alii *per quæ.* — *Geruntur.* Ut jam vidimus vs. 473; Lambinus *genuntur;* quod hic libenter acciperem. Post hunc vs. vulgo leguntur septem illi quos nunc legere est post 577. Ed.

636. *Quapropter quei,* etc. Positis et stabilitis Epicuri principiis, aliorum sententias convellit; omnia argumenta in duo distribuens capita, impugnat primum eos, qui elementum unicum, ac deinde eos qui plura assumunt. Inter priores deligit Heraclitum, qui ignem constituerit; reputat nempe quidquid contra illum argumentatus fuerit, contra ceteros valiturum; quandoquidem nihil opponi adversus ignem valeat, quod non pari jure et de aere, et de quolibet alio concludatur. Et certe ad rem attendenti illa opinionum varietas merus esse ludus videtur; quatenus quum earum auctores diversa supponant, circulatione tamen utuntur, qua in idem cadant recidantque omnes. Sortiatur enim quis elementum quodcumque tandem lubuerit, is nihil aut minus consequatur, aut amplius, quam quivis alius, a quo aliud occupatum fuerit; siquidem uno habito, illud condensans ac rarefaciens statim habebit cetera : adeo ut nihil plane intersit, sive hoc, sive illud primum usurpetur. *Gassendus.*

645. *Fucata.* Wak. hanc lectionem rejicit, emendatque *curata,* vel *fucata colore,* vel *dulcata sonore.* Vulgata mihi magis omnino placet. Ed.

648. *Nil prodesset enim.* Hæc est hujus argumenti vis : Ignis condensatus ac rarefactus vel desinit ignis esse, vel ignis naturam retinet : si ignis esse desinit, ignis igitur non est principium : sin ignis naturam retinet, hoc tantum efficiet condensatio et rarefactio, quod contractis partibus ignis erit acrior : disjectis et dissipatis, remissior. Itaque in natura rerum nihil erit præter ignem. *Lamb.*

652. *Disque supateis.* Locus varietate lectionis vexatissimus. Vulga-

tam cum Haverc. Wak. Eichst. retinui. Reliquæ vero lectiones aut sensui aut metro repugnant præter hanc *disjectis seque paratis*. Sed *dissupare* certe vox Lucretio satis usitata; *separare* autem nusquam in eo comparet. *Forb.*

658. *Inesse*. Sic Wak. ex editt. Ver. et Bon. quibuscum conspirant Ven. Ald. 1 et varr. lectt. Juntinæ. Libri MSS aut *mu* aut *musæ*, unde editores fecerunt *mussant*, in fine versus seq. proprio marte copulam *et* intercientes. *Forb.*

661. *Exemtum ... inane*. Optimos libros jure sequitur Wak.; Hav. cum vulgatis codd. *exemto ... inani*. — Sic interpreteris velim : « nec contra dispiciunt quid sibi velit vacui negatio, et hinc quam absurda conclusio sequatur : omnia sc. denseri ». Quo quid planius aliquis desideret? *Wak.*

663. *Mittere raptim*. Alii *Raptis;* alii *Raptum*. Marullus *natum*.

666. *Ulla*. Sic recte editores post Avancium omnes, licet plurimi codd. et priores editiones *una* præbeant. *Forb.*

667. *In cœtu*. Revocavi cum Eichst. vulgarem lectionem quam Wak. e codd. Lugd. 1, 2, Gott. Cant. in *cœtus* mutaverat, satis artificiose verba *igneis in cœtus* ὑφ' ἓν pro *ignes collecti* accipiens. Sed illud *s* facillime e voce sequente adhærescere potuit. *Forb.* — *Stingui*. Alii *Stringi :* imperite. — *Mutareque*. Alii *Massareque*, i. e. *solidare* et *constringere :* at *mutare* probabit qui vs. 671 legit. *Creech.*

673. *Ollis*. Sic restituit Wak. ex auctoritate codicum. Vulgo *olli*.

681. *Decedere*. Omnes fere codd. *descendere*. Hinc Forb. maluit *discedere*.

712. *Longei deerrasse*. Vulgo « longeque errasse »; minus eleganter. Ad metrum conf. Virg. Ecl. VII, 7.

713. *Adde etiam quei conduplicant*, etc. Inter posteriores Empedoclem deligit, adversus quem quatuor elementa asserentem quidquid objicit, etiam adversus ceteros, duo vel tria asserentes, intelligi objectum potest. Nimirum si ne quatuor quidem sunt reputanda sufficere, longe minus pauciora sufficient. Non sufficere autem quatuor, imo et longe plura corporum genera, ad tantam rerum varietatem, quanta in mundo cernitur, ex infra dicendis clarius percipietur. Interea vero concipere potes, uti ex una litera non nisi unam faciem habes, ut *A;* ex duabus, nisi duas, *Am*, *Ma;* ex tribus nisi sex, ut *Amo*, *Aom*, *Mao*, *Moa*, *Oam*, *Oma;* ex quatuor, nisi viginti quatuor, ut *Amor*, *Amro*, *Mora*, etc. ita ex uno corpore simplici, quantumvis versetur, non posse unquam fieri nisi unum, ex duobus commistis nisi duo, hoc est, unum compositum, quod prout erit rarius aut densius, aut habebit amplius ex uno, quam ex altero, ad unius magis, quam ad alterius naturam accedat : ex

tribus pari ratione, nisi sex : ex quatuor, nisi viginti quatuor. Et commuta situs, commuta gradus, versa ac reversa quantum voles omnia; semper tamen erunt eadem genera; ac omnino denique ad varietatem rerum innumerabilem, necessaria esse elementa seu principia varietate innumerabilia. *Gassendus.*

717. *Agragantinus.* Alii *Acragantinus*, alii *Agrigentinus*. *Acragas* fluvii et oppidi in meridiana Siciliæ parte nomen est; dictum autem oppidum a fluvio.

718. *Triquetris.* Vox *triquetrus*, quæ hic penultimam corripit, hac syllaba producta recurrit IV, 655. Vide Quint. I, 6, 30. *Forb.*

720. *Adspergit.* Wak. *adspargit*, ἀρχαϊκῶς. — *Virus.* Recte; adstipulantibus optimis membranis : non *littus*. Significare vero salsedinem et amarorem maris dudum docuit Turneb. XIX, 15. *Hav.*—*Ab undis.* Non satis recte Ruddim. Inst. Græc. II, p. 267, not. 16, hunc locum iis adnumerare videtur, ubi præpositio *a* vel *ab* ad instrumentum vel modum exprimendum adhibeatur. Hic enim verba *glaucis ab undis* locum significant unde virus littori adspergitur. *Forb.*

722. *Æoliæ terrarum.* Ita scribi debere docent constanter MSS Lugd. Bat. quorum auctoritate ita reposuimus : adde Creechium. *Hav.*— Alii *Italiæ terrai.*

724 sqq. Preig. quem offendit verbi *rursum* et *iterum* repetitio locum sic mutat, « flammarum sursum ... eruptos vis omnis ut ... ferant fl. fulgura cursum ». Forb. cum Lambino legit « vis ut vomat ».

754. *Quoniam.* Male ex Lambini conjectura in *quod jam* mutatum. Optimum enim sensum hi tres versus fundent, si ita distinguas : « Huc accedit item (quoniam ... videmus) Esse et mortali cum corpore funditus, utque Debeat, etc. » *Preig.*

762. *Tempestate coacta.* Sic omnes MSS. Lambinus correxit *coorta*, cui Fab. et Preig. assentiuntur.

774. *Non animans*, etc. Versum hunc ex antiquo exemplari sic mutatum vellet Wakef. : « Non animans ex non-anima, non-corpore corpus ». Sed in vulgatam libri consentiunt. Lamb. legit « quid corpore »; id est, non quidquam corpore exanimo constans. Altera lectio eodem redit. Ed.

777. *Et quodam cum rore.* Sic libri omnes habent; plane mendose. Repono *atque ardor.* Sententia autem perspicua est : Si quatuor illæ res ita congregabuntur et coibunt, ut naturam suam non mutent; pri-

mum nihil ex illis creari poterit, deinde videbitur aer cum terra confusus, et *ardor*, i. e. ignis, *cum rore*, i. e. cum aqua : quod natura non patitur. Sic supra *ardorem* pro igni posuit vs. 669, et infra 901. *Lamb.* — Wak. conjicit *et calidum cum rore*, vel *quodam cum rore vapores*. Vulgatam autem omnes tuentur codices; quorum corruptam esse lectionem ipse quoque Forbig. contendit, collato vs. 770 et seq. Lambinianam autem conjecturam præfert. Ed.

780. *Emineat ne quid, quod.* Vera lectio procul dubio. Pro qua Heinsiana collatio prima, ut et marg. nostra suppeditant *demineat*. In Pii ac Gryph. edd. erat : *de numero nequid*. Quo sensu? nescio : nisi forte scribendum, *de numero ne quidquam, contra*, etc. *Preig.* — Wak. conjicit *de numero ne sit quod*, etc.

801, 803. *Auras*. Wak. recepit *auram* gratæ varietatis causa.

806. *Tabe nimborum*. Sic Priscianus legit lib. VII, 14, p. 768, loquens : « Vetustissimi tamen etiam in quibusdam Latinis : quæ nominativum in *es* productum terminant, pares cum genitivo habent syllabas : in hac declinatione solebant producere ablativum more quintæ declinationis vel supra dictorum Græcorum : ut a *mole, fame, tabe :* quod adhuc etiam profertur. Virg. VI, 421; Lucanus in X, 158; Juven. in XV, 102 ».

808. *Non possint*. Turnebus Adv. XIX, 15, probat, quod in antiquis instrumentis se invenisse ait, *non possunt*, idque nulla addita nota recepit Creechius. Atqui si quid mutandum, melius ita reponas supra vs. 805, *Ut, nisi tempestas*, etc. *possint* enim, cui *exsolvatur* mox respondet, mutari non debet. *Hav.* — Ego omnino *possint* retinendum puto. Sic solet Lucretius, v. gr. I, 674 : « Jam tibi res redeant ad nilum funditus omnes ». *Preig.*

810. *Adjuvat;* ut modo vs. 805 *indulget*, et 807 *fovet*. Forb. tamen recepit *adjuvet*, his rationibus allatis : « Quum voce *scilicet* interposita inde a vs. 809, nova incipiat sententia, quæ non amplius objectionem adversarii, sed auctoris ipsius verba continere videatur, commode hic subjunctivus sequi potest, etsi indicativus præcesserit ».

815. *Multa*. Alii *mista*, quibus sane illud : *multa modis*, nimis placuit pro *multimodis;* quod omnes fere libri habent. Poeta autem manifesto captat hoc loco omnimodam vocis hujus multiplicationem, et valde exaggerat quod dicit; nimirum quia multa multarum rerum primordia in rebus multis multimodis communia sunt. *Preig.*

830. *Nunc et Anaxagoræ*. Anaxagoras Clazomenius, Hegesibuli vel

Eubuli filius, viginti annos ante Xerxis trajectionem natus, teste Laertio. Ille docuit materiam infinitam esse, e qua omnia gignerentur, eamque particulas similes inter se, minutas, primo confusas, postea in ordinem adductas a mente divina : Cicero Acad. Quæst. lib. IV. *Creech.*—Ὁμοιομέρειαν. Græce excudendum curavimus, ut sibi constet Poeta, qui id genus plura coacervat circa finem libri quarti : in primis quoniam rem ipsam patria dicere lingua nequit, ut ipse fatetur, adeoque nec scribere, ut par est, latine voluit. Nec video, cur Lucretio potius quam ceteris auctoribus latine scribentibus Græcarum vocum Græcam scripturam denegemus. *Preig.*

841. *Ignibus ex igneis.* Ita ex vett. libris. *Ignem* malunt alii, leguntque *ex humoribus.* Atte Lamb. hic duo vss. pro uno edebantur, « Sic ignem inter se parvis coeuntibu' nasci Ignibus, exiguis humorem humoribus esse », sed e pluribus MSS correctum. Ed.

852. *Sub dentibus.* Alii *sub cœtibus* : quidam libri *subeuntibus* ; Muretus legit *sub motibus :* at *dentibus* aptius convenit *oppressu valido* in versu præcedenti. *Creech.*

853. *Sanguis an, anne os.* Lambinus : « sanguen, an ossa ». Non male, ut inf. 860, sed a libris nolim discedere. *Gif.* — Codd. : « Sanguinis ad nos » ; « Sanguinis onos » ; « Sanguis ὁμοίως ». Aliqui legunt « Sanguis, an Ossum ? » Ossum enim Veteres agnoscunt. His adderem « Sanguis an ? Os an ? » *Creech.* — Qui receptam lectionem *sanguis, an ossa* hic sollicitare in animum induxerunt suum, næ illi ad vs. 860 plane cæcutiisse videntur. *Preig.*—Non ; hic enim Poeta in sing. numero loquitur, ibi, quantum potest, in plurali. *Haverc.* — Ut nos cum Wakef. edidimus, exaratus legitur hic vs. in editt. Junt. et Ald. 2, haud dubie verissime. *Forbiger.*

861. *Et nervos alienigenis ex partibus esse.* Deesse hunc versum in omnibus MSS monent hic etiam marginalia nostra, quum tamen omnino hic requiratur, nec non elegantiam ac morem Lucretii referat : quum dicit *nobis* venas ex alienigenis partibus esse ; id genus παρέλκοντα amat Lucret. vid. vs. 917, *tibi*, et sic passim. *Preig.*

866. *Putentur.* Wak. e conject. facillima restituit pro vulgari omnium librorum lectione *putetur*, quam emendationem versus sequentis ratio flagitabat. *Forb.*

867. *Venisque.* Alii legunt *sanieque :* at quis non videt ex vs. 860 *venisque* retinendum ? *Creech.* — *Mixta.* Sic e libb. Wak. alii *mixto.*

873. *Ex alienigenis consistant.* Post hunc versum duo versus, « Præterea tellus quæ corpora cumque alit, auget Ex alienigenis quæ lignis

exoriuntur», quos repræsentat nupera ed. Lond. in var. lect. in marg. nostris etiam comparent, sed, pro *lignis, terris* habent: quod procul dubio ad mentem fabricatoris est, et illud quod Lucretius dixit clare repetit. *Preig.* — Priorem tantum vs. ablegat Wak. alterum tuetur. — Quum autem huic loco, ut in omnibus libris legitur, satis bene cohærere et integram sententiam continere viso, in codd. Voss. 1, 2, Gottorp. Vindob. Cantabr. tribus Mus. Brit. et editt. Brix. Ver. Ven. Ald. 1, præter sensum et connexum hi duo versus addantur; hos ipsius Lucretii versus agnosco, per interpolatoris mutationes sede sua depulsos. Quis enim non videt, priorem horum versuum, alia tantum forma indutum, esse versum 868, «Præterea quæquomque e terra corpora crescunt?» Facile autem hic versus, qui præterea, quum omni cæsura destitutus sit, non inter optimos referri potest, veris Lucretii verbis substitui poterat ab homine, qui, etiamsi non offenderit in tmesi, Lucretio satis usitata, duplex tamen verbum nulla copula junctum ægrius ferret, omninoque non satis clare expressum putaret, quid sibi Lucretius vellet. Alterum vero quod attinet versum, hunc etiam a Lucretio profectum censeo. Scilicet quum vs. 871 legamus: «Transfer idem, *totidem* verbis utare licebit», puto eum, ut antea de terra dixerat «Terram constare necesse est Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur;» sic hic etiam de lignis dixisse: «Ligna constare necesse est Ex alienigenis, quæ lignis exoriuntur», quæ tantum ab emendatore, quem male habebant versus ex asse sibi respondentes, ita mutata sint, ut duobus Lucretii versibus in unum contractis ille exoriretur, qui in omnibus libris sic legitur: «Ex alienigenis consistant ligna necesse est». Quare hos duo versus ex antiquo aliquo codice, ipsius Lucretii editionem complectente, prius fortasse margini recentiorum membranarum, quæ jam mutatum textum continerent, adscriptos, tum vero in aliis codicibus ipsi loco extra ordinem conjunctos puto. Etsi autem in versibus illis fortasse vera Lucretii manus agnoscenda, tamen neutrum eorum in contextum admittendum duxi, quum ipsi non in omnibus libris inveniantur, contra vero, qui iis receptis exsulare deberent (vs. 868 et 873) eos omnium codd. et vett. edd. auctoritas tueatur. *Forb.*

875. *Linquitur hic quædam latitandi.* Anaxagoræ sententia in hunc modum ab Aristotele expressa est: «Res et apparere, et denominari invicem differentes aiunt, ab eo, quod in infinitorum mistura maxime abundat: non enim esse totum pure aut album, aut nigrum, aut dulce, aut carnem, aut os; cujus autem amplius unumquodque habet, eam talis rei naturam videri». Sensus est: Carnis nomine v. g. non esse intelligendam naturam simplicem, ac uniusmodi, sed congeriem plurium, imo innumerabilium, diversarum particularum, quæ hanc corporis speciem, quam dicimus carnem, tum faciunt, quum major quæ-

dam est copia illarum particularum, quæ ad talem speciem exhibendam idoneæ sunt, quam ceterarum quarumcumque quæ sub illis delitescentes ipsis concedant formam et nomen: facta autem exsolutione translationeque earumdem partium particulæ carneæ cum ceteris delitescentes et nomen et formam similiter concedant aliis, quarum copia major fuerit, et species visibilior. Adversus vs. 881 objicit Lucretius, quod si hæc vera esset sententia, tum in detritione frugum, herbarum, et similium, oporteret aliquando apparere speciem sanguinis, lactis, aliarumve id genus rerum, etc. *Gassendus.* — Wak. ex optimis codd. verborum ordinem mutavit. Vulgo *tenuis lat. copia quædam.*

881 sq. *Minaci.* Vulgo *minutas;* alii *minacis*, id est, duri, rigidi.—Totum locum ex optimis MSS ita puto esse legendum: *quoque sæpe minaci Robore quom in saxi fr.* etc. hic enim *in* et *franguntur* debet jungi, pro *infringuntur*, qualia multa in poeta hoc. *Hav.*—Marg. nostra *minaci*, astipulantibus variis lectionibus ed. nuperæ: ut sit epitheton roboris, sive saxi molaris. Quod quidem non ita contemnendum mihi videtur. Supra etiam dixit *minaci murmure* de vento. Certe *fruges minutas* frumentum appellare debuit. At quo exemplo potuit? Cur *minutas?* Quia franguntur? At tum potius dixisset: *dum minuuntur.* An quia ex granis, quæ parva sunt, constant? At vero id nimis otiosum atque supervacaneum est, imo præter ullam rationem. Transsumptum procul dubio hoc adjectivum est, ut in promptu erat, sed inconsiderate factum est, ex vss. 889 et 891. *Preig.* — Præpositionem *in* ante *saxi* inseruit quoque Wak. sequente Eichst. Nos cum Forbigero omittimus, quo clarior fiat sensus et expeditior.

883. *Aut aliquid*, etc. Sic vett. edd. probante Wak. recentiores autem habent *aut aliûm*, id est, aliarum rerum. — Vere, et recte viri docti restituerunt, *aliquid, nostra quo corpora aluntur:* quod procul dubio immutatum fuit ab iis, qui nescirent posteriorem syllabam in *nostra* produci hic posse. *Preig.*

* [*Quam lapidi lapidem.*] Wakef. edidit *quum lapidem in lapidem;* versumque in numerorum seriem non recepit. Turnebus solus hunc versum tuetur. Omnes autem interpretes rejiciunt, et quidem recte. Wakef. tamen sese, ut ait, in omnia versans, libris standum putat, si accipias versum quasi per exegesin addi, hoc sensu: « Dii, vostram fidem! perridicula plane res hæc est; fruges sanguinem emittere! *lapidem* scilicet *lapidi* tritum, diffluere cruore! » Quæ mihi non arridet explicatio, quoniam sic totius loci tenor disturbaretur. Versum igitur spurium duco. Ed. — Equidem nullus dubito, quin hic versus serius adscriptus sit ab homine, cui verba: « fruges robore saxi infringuntur », accura-

tiore explicatione egere viderentur, quam, memor fortasse illius loci e Plauti Asin. I, 1, 16 : « Num me illuc ducis, *ubi lapis lapidem terit* », ceterum verbis Lucretio admodum usitatis, *terere, cruor, manare*, concipere studeret. *Forb.*

884. *Herbas quoque.* Wak. dat *herbis*, id est, ratione consimili *in herbis* sæpe decebat, etc. quem sequitur Eichst. Ed.

885. *Et laticis.* Lambinus ex codd. *latices*, id est, aquas conveniebat emittere guttas dulces, et lactei saporis. Wak. autem tentat *latices, dulces guttis, similesque sapore.* Sed bene habet vulgata. Ed.

889. *Atque.* Wak. Eichst. Forb. *ac :* quum tamen vocula *ac* ante vocalem posita vix alibi occurrat, malui cum vulgatis prioribus *atque* legere. Ed. — Receptam lectionem (*ac*) præferendam duco, quamquam prævideo, permultos hoc reprehensuros esse, qui particulam *ac* ante vocalem positam omnino barbaram censeant. Sed primum ipsa illa observatio, cui haud pauci veterum loci repugnant, ab editoribus interdum cupidius correcti, nondum super omnem dubitationem elata est (conf. præter alios Ramsh. Gr. Lat. p. 515 sq. sobrium et moderatum hac de re proferens judicium) ; deinde vero etiam Lucretius tam multa sibi indulsit, quæ ab omnium reliquorum scriptorum usu recedant, ut hac etiam in re pusilla si vulgarem rationem reliquerit, nos offendere non posset. *Forbig.* — *In terram latitare.* Sic omnes omni genere, nisi fallor, libri vetustiores habent ; editores ex proprio penu nobis τὸ *terris* editionum suarum deprompsere. Sic vs. 1081. *Wak.*

899. *Flammai fulserunt flore coorto.* Ita ex vett. libris scripsit Lamb. Alii, *fulserunt flammæ fulgore coorto.* Alii, *flammai fuls. igne coorto.*

903. *Facta.* Sic omnes scripti, et edd. plures antiquissimi : *tanta* nonnulli ex editis ; male. *Wak.*

918. *Fiet uti risu tremulo*, etc. Hi versus qui II, 976 sq. paulo aliter leguntur, quidquid obloquantur interpretes, hic nimis abrupti et alieni mihi videntur. Scilicet Lucretius in prioribus Anaxagoræ sententiam, omnes res e conjunctione minimorum ejusdem generis et figuræ corpusculorum originem duxisse, pluribus argumentis refutat ; quam quum prorsus rerum naturæ adversari demonstraverit, quæ potius omnia ex atomis illis ab Epicuro probatis constare doceat, priusquam ad aliud placitum longe diversum transit, versibus 914-917 omnia, quæ antea dixerat, jam breviter complexus, omnem disquisitionem hac conclusione finit : Denique, si Anaxagoræ sententia probatur, omnis atomorum seu primordiorum notio prorsus tollitur et evanescit. At vero quam languide et inepte gravi huic clausulæ adjicerentur versus illi ironici et jocosi, qui, quum ne verbum quidem prægressum sit, quod tale quid

exspectare jubeat, tam præter opinionem positi quam maxime offendere debent. Longe alia alterius loci est ratio, qui totus versatur in sententia, rerum primordia nullis sensibus prædita posse cogitari, ideoque aptissime admittit versus istos, jocose, lepide et, fere dixerim, petulanter atomis sensum, risum, lacrymas, disputationem adeo cum philosophis tribuentes, quos optime se habere et præcedentia et sequentia (in primis vs. 967 sqq. et 983 sqq.) luce clarius demonstrant. Quare ex hoc loco in priorem illum, qui interpolatori quodammodo similis videretur, ita translatos esse puto, ut, ne prorsus iidem dici possent, quædam ex aliis Lucretii locis petita verba iis admiscerentur. *Forb.*

920 sqq. *Nunc age, quod superest*, etc. Hos quinque versus spurios omnino censet Forbiger, motus tamen rationibus, quæ mihi quidem non admodum satisfaciunt. Ed.—Primum enim vix credibile est, Lucretium claris verbis dicturum fuisse, solam laudis spem et desiderium stimulos sibi subjecisse ad poesin tractandam, quod alii veteres poetæ, quid deceat, quid indecorum sit, satis discernentes, nunquam de se confessi sunt, qui licet laudem quoque e carminibus suis sperent et quærant, hanc tamen cupiditatem laudis et honoris unice ad poesin se impulisse dicere non audent. Sed fortasse quispiam dixerit, Lucretium, multæ jactantiæ hominem, etiam lib. VI, vs. 95, simillima ratione Calliopen invocare, ut ipsa duce « insignem capiat cum laude coronam ». Attamen, ut jam dixi, plane aliud est, laudem et gloriam optare, aliud profiteri, sola laudis cupiditate motum se aliquid fecisse; quod in Lucretio in primis aperte adversaretur aliis locis, in quibus Memmii causa omne hoc opus se suscepisse prodit, in primis lib. I, vs. 141 sqq. Deinde vero me quidem malè habet omnis hujus sententiæ conformatio in formulis verbisque singulis, quæ mihi parum Lucretiana videtur: at quoniam de tali re judicare quisque pro suo sensu solet, nolo his acrius inhærere; dicam tamen quid maxime me moverit. Hic primum occurrit nova illa et insolens, nec ulli alii poetæ nota metaphora: « cor thyrso spei laudis percussum »; quæ si ab initio in Lucretio lecta fuisset, vix etiam explicari posset, quomodo tandem factum sit, ut nec Virgilius, nec Horatius, nec ullus alius seriorum poetarum, qui Lucretium sæpissime imitari solent, vel leve tantum ejus vestigium servaret, quidve grammaticis acciderit, ut nunquam vel uno verbo ejus mentionem facerent. Tum permutatio numerorum in verbis *quod superest* et *quam sint obscura* durior videtur; παρηγμένον vero in verbis *per*cussit et *in*cussit pro simplicitate Lucretii nimis artificiosum. Porro additamentum *mente vigenti* post illa « thyrso percussus » et « Musarum amore instinctus » valde otiosum et languidum esse nemo non videt. *Forb.*

925-949. *Avia Pieridum peragro loca*, etc. Longus ille locus totidem

literis repetitur lib. IV ab initio, ubi tam aptus et conveniens, quam hic absonus et inconcinnus censeri debet. Hujus enim libri procemio vs. 149 jam finito, quum auctor, singula philosophiæ suæ dogmata exponere dudum exorsus, in præcedentibus jam dixerit, ex nihilo nihil oriri (vs. 150 sqq.), nec quidquam prorsus interire (vs. 216 sqq.), porro præter corpora vacuum etiam adesse spatium (vs. 330 sqq.), nec tertium aliquid posse cogitari (vs. 431 sqq.), sed omnia, quæ in universo appareant, aut ex his duabus rebus mixta, aut eorum eventa (vs. 450 sqq.), atomos vere æterna et immutabilia semina rerum habendos esse, quorum concursu omnia exoriantur (vs. 484 sqq.), quod præceptum ansam ei dedit refellendi aliorum quorumdam philosophorum sententias de rerum elementis, Heracliti scilicet, ignem omnium rerum principium esse contendentis (vs. 636 sqq.), Empedoclis, qui quatuor sumserit elementa (vs. 713 sqq.), et Anaxagoræ, ὁμοιομέρειαν, quam vocant, sibi fingentis (vs. 830 sqq.); hæc igitur omnia ubi jam tractavit, sequitur exordium illud sublime et verbosum, quod admodum pulchre et eleganter describit consilium auctoris, obscura et difficilia philosophiæ Epicureæ dogmata suavi et jucundo carmine tradendi, quo lectoris animum, ab omni superstitione et metu inde exorto liberatum, ad amplectendam et fovendam philosophiam magistri sui facilius commoveat, et sibi ipsi æternam paret gloriam et laudem. Quorsum igitur, quæso, in fine pæne totius libri, singulis Epicuri placitis dudum jam exponi cœptis, tumidum hoc procemium, quo tamen plane nihil continetur, quam quod longe aptiori loco supra jam vs. 137-149 dictum invenitur? Sequitur fortasse præceptum quoddam admodum grave et obscurum, plane novum et Epicuro proprium, quod ejusmodi præparationem non modo excuset, sed necessario etiam flagitet? Minime vero; nihil enim aliud ei adnectitur, quam, quo omnis liber finitur, placitum illud satis notum, universum nullis limitibus esse circumscriptum, ideoque nec de medio ejus cogitandum, in quod omnia nitantur. Quod quum jam ante Epicurum a Melisso, Empedocle, Leucippo, Democrito aliisque propositum, et Memmio, græcis literis innutrito, satis cognitum esse deberet, nec aliis Romanis, philosophiæ haud ignaris, adeo novum videri posset, plane non intelligitur, cur huic potissimum dogmati cum prioribus nectendo talibus opus fuerit ambagibus, magnam eorum, quæ sequutura sunt, moventibus exspectationem, cui quæ vere subnectuntur, minime respondent. Porro quum non obscura tantum, nova et difficilia præcepta exspectare jubeat locus ille interjectus, sed vs. 930 sq. de religione quoque et superstitione quædam prænuntiet, hæc pariter non convenire videntur cum sequentibus, in quibus ne uno quidem verbo harum rerum fit mentio. Latius enim non patere hoc procemium, nec nisi ad hoc ipsum ultimum hujus libri dogma de universo nullis finibus concluso referri posse, ut per se jam

consentaneum est, ita ex eo intelligitur, quod liber secundus suo etiam incipit exordio, quo plura, quæ hic dicuntur, auctorem repetiisse et de misera in primis vulgi superstitione, ex ipsa Epicureorum mente velut deprompta, pluribus disseruisse videmus. Accedit denique, de quo fusius dicendi alii loci occasionem præbebunt, anxium studium singularum quarumdam vocum mutandarum, ne prorsus idem videatur locus bis adhibitus, quod a gravi Lucretii simplicitate prorsus alienum puto, qui potius, si omnino hoc sibi indulsisset, ut longiorem quemdam locum alibi etiam repeteret, ut equidem ipsum cognovisse mihi videor, sine omni mutatione eum transscripsisset. Nostro igitur in loco quæ vs. 932 legitur vox *pango*, utpote usitatior et notior in hac verborum compositione substituta videtur antiquiori, quæ lib. IV vs. 8 exhibetur, lectioni *pando*, quod verbum quum Lucretio aliis in locis (I, 50, et V, 55) usurpetur de rebus obscuris clare exponendis, hic etiam de ipsis carminibus, obscura et difficilia placita illustrantibus, dictum mihi quidem prorsus Lucretianum et alteri scripturæ videtur præferendum; sicut etiam vocem *facto*, vs. 941 obviam, suppositam habeo veræ lectioni *attactu*, quam in loco parallelo vs. 17 codices præbent. Quum enim sensus esse videatur : «Quemadmodum medici, pueris austera medicamina daturi, marginem poculi melle contingere et circumlinere solent, non ut illi temere decipiantur, sed ut hic ipse attactus poculi melle conditi, quo solo ad amaram quidem, sed salutarem potionem absorbendam commoveri possint, iis causa fiat valetudinis recuperandæ; sic ego quoque philosophiæ meæ expositionem Musæo quasi melle contingo et imbuo, ut carminis lepore allectus et detentus, difficilia et obscura philosophiæ præcepta eo facilius et libentius percipias»; lectio illa *attactu* longe exquisitior et elegantior mihi videtur, quam altera, pedestri orationi nimium accommodata, ita ut illam potius a Lucretio ipso profectam, hanc vero a seriori interpolatore, qui exquisitiorem non recte intelligeret, ei substitutam esse arbitrer. Eidem etiam tribuenda videtur vox *perspicis*, quæ I, 948 legitur loco vocabuli *percipis* lib. IV, vs. 24 obvii, quod non solum magis convenit verbo sequenti *persentis*, sed, quum proxime de percipiendis modo Lucretii carminibus et de utilitate inde capienda sermo sit, omnino huic loco aptius censendum. Quod autem ultimum attinet hemistichium : *qua constet comta figura*, hoc facile fingi poterat ad exemplum locorum III, 260, et IV, 31. Quibus omnibus de causis proœmium illud a nostro loco plane absonum et e libro IV huc translatum mihi videtur, in quo quam aptum et congruum sit, nemo non videt. Quum enim Lucretium unumquemvis librum singulari quodam proœmio incepisse appareat, hoc quidem libri IV initio propterea plane suo loco est habendum, quod sequitur dogma illud sane novum et gravissimum de simulacris seu imaginibus rerum a summis corporibus emissis, unde

auctor mentis quoque in cogitando et notionibus formandis efficaciam derivare studet, et de omnibus corpusculis illis, quæ cunctis e rebus effluentia omnes sensus afficiant omnemque sentiendi vim et commoveant et ut exserere se possit efficiant; quod licet jam a Democrito (fortasse ipso etiam Leucippo) jam prolatum, ab Epicuro tamen accuratius definitum, magis amplificatum et excultum, exemplis et argumentis munitum atque sic primum quasi est fundatum; quare jam optimo suo jure præcedit exordium illud, magnas et obscuras res præmonstrans, in quo quum religio etiam et superstitiosa vulgi trepidatio commemorentur, his optime respondent, quæ infra vs. 37 sqq. et 736 sqq. leguntur. Ex quibus omnibus fit, ut, sicut in libro primo inepta, sic hoc in loco aptissima videatur illa introductio.—Sic *Forb.*, qui tamen in editionis suæ notis nonnulla hujus dissertationis sibi retractanda esse profitetur.

931. *Animum.* Sic omnes scripti atque editi veteres. Vulgo *animos.*

949. *Qua constet comta.* Alii *cuncta*, scil. natura. Alii *constent cuncta.*

952. *Nunc age summai quædam sit finis eorum*, etc. Hunc locum in omnibus libris vulgatis depravatum, in quibus est, *Nunc age, summa audi, quæ nam sit*, etc. restituit Lambinus, qui primus edidit *summai ecquænam;* sequutique sunt eum recentiores interpretes.—Sed omnino hic est præferenda lectio membr. L. B, quæ solæ veram Lucretii manum servarunt, nempe *summai* (nam calami vitium est *summa*) *quædam.* Jam enim incipit disputare hoc ne totum sit finitum an vero infinitum. *Hav.*

954. *Res in quo quæque gerantur.* Sic edendum curavimus, contra quam est factum in ed. nuperrima, quæ *genantur* habet; quum aliis rationibus, tum MSS omnium auctoritate freti; quibus et Gottorpiensis, et tot alii ut et codd. Vossii accedunt. *Preig.*

956. *An immensum pateat vasteque prof.* Duo lib. manuscripti habent, *vel ad usque prof.* ut et vulgati. Vatic. *pateat ad usque* Bertin. et Memm. *pateat, vasteque*, quam scripturam sequor, nam vulgata *pateat vel ad usque prof.* supposititia est: quamvis eam nonnulli veteres confirmare videantur. Nam ratio, præter alios codices antiquos meliores, eam refellit. Quod enim patet usque ad profundum, finitum est. Nunc autem evolvere et explicare parat, utrum summa rerum sit finita, an pateat immensum, et *vaste profundum*, i. e. an sit infinita: nam quod vaste est profundum non habet fundum. *Lamb.*

961. *Quo non longius.* Quidam MSS et vett. edd. *quod;* nec male,

ait Wak. id est, secundum *quod*. Alii legendum censent *quoad*. Locus paullo obscurior, quem planum fecisse sibi videtur *Creech*, me tamen, fateor, ejus explicationem non omnino assequente. « Extremum, ait, non esse potest, nisi sit aliquid *extra id* quod terminat (id extremum) *ex quo* videri possit, et *ultra quod* nostra videndi facultas non progrediatur ». Utrum vult, *ex illo* extremo cerni terminum, et *ultra extremum* non, etc. vel *e termino* cerni extremum extrinsecus (not. ad vs. 957)? Gallicus vero interpres *Lagrange* sic exponit : « ..... nisi sit ultra illud aliquid quod finiat, ita ut videatur *quo*, *non longius* (*qu'on voie jusqu'où et non plus loin*) oculus sequatur illius corporis superficiem ». *Wakef.* quem prope sequimur : « ..... nisi desinat illa res, et aliquid sit ultra eam jacens, quod oculi valeant usurpare, et ultra quod penetrare nequeant ». Ed.

967. *Si jam*. Egregie unus ille quem Lambinus vidit, liber scriptus: *Sic jam*. Concessio est : et hæc distinctio poterit fieri : *Præterea, sic..... spatium : si quis*, etc. Vulgata lectio durum nescio quid sonat : *si constituatur, si quis procurrat*, etc. — Vulg. recte defendit *Wak.* utpote simpliciorem.

970. *Id validis*. Recte Gassend. et alii *invalidis* pro valde validis. *Creech.* — *Quo fuerit missum*. Eo volare et pervenire, quo fuerit missum : sic autem legendum videtur, non *quod fuerit*, ut est in aliis : quamquam etiam hæc lectio ferri potest. *Lamb.*

976. *Quod prohibeat*. Sic legend. : *prohibeat* autem proceleusmaticus est, ut, *Genua labant :* et alibi, *Arietat in portas*, etc. *Lamb.*—*Prohibeat*. Trisyllabum; quod non magis mirabile haberi debet, quam *præbet* a *præhibet*, quo sæpe utitur Plautus. *Fab.*—*Efficiatque*. Sic codd. Editores de suo *officiat*, frustra.

977. *Finique*. Lucret. ablativum substantivorum in *is* desinentium fere semper in *i* flectere solet, vel in iis verbis, ubi apud alios scriptores non nisi in *e* terminatur. Longum eorum substantivorum catalogum, quorum ablativus hic ibi in *i* formatus invenitur, exhibent Ruddim. Inst. Gr. I, p. 85 et Schneid. Gr. Lat. II, p. 218 sqq. qui plures viros doctos commemorant hac de re disserentes. *Forb.*

994. *Semper in assiduo*, etc. Sic Wakef. edidit, quod doctius exquisitiusque est; vulgo *et assiduo*.

1002. *Clara flumina*. Aliqui libri, *Fulmina ;* hæc vox et Lambino et Gifanio displicuit; eam Faber amplectitur, an merito, judicent alii. *Creech.* — *Flumina* præstare videtur ob seq. *labentia*.

1011 sq. *Aut etiam, alterutrum nisi*, etc. De his duobus versibus

varia critici : in priori *si* pro *nisi* legit P, nec agnoscit copulam *et* (pro *ut*) in posteriori versu. In posteriori pro *tantum, tamen* B, P, Grif. Par. omnesque MSS ut fatetur Lambinus, nec agnoscunt copulam *et*. Posteriorem versum adulterinum esse existimant Gifan. et Pareus, ideoque rejiciunt. Auratus legit, « Aut etiam alterutrum, nisi terminet alterum eorum : Simplice natura pateat totum immoderatum ». Per *totum* intelligit τὸ πᾶν : quod alias appellatur *omne*. « *Immoderatum* autem *simplice natura* », est infinitum una natura, videlicet inani. Et hanc lectionem amplectitur Gassendus. Lambinus hæret. Existimat Faber vulgatam lectionem retinendam esse, et aliquot versus hic excidisse, ita ut quum de incommodis ab *inani immoderato* sine admistione corporis infiniti, et alternis misti, proficiscentibus, dixerit; altera pars omissa sit, aut non satis perspicue a Lucretio explicata : eamdem enim ἀπορίαν remeare necesse esse : deinde duas illas voces *alterum* et *alterutrum* probasse quod dicit. Displicent omnia. Integer est poeta, nullique exciderunt versus : rejectis Aurati, Gassendi, aliorumque conjecturis, admittatur codd. MSS lectio, et sana protinus erunt omnia et integra. Legantur itaque, « Aut etiam alterutrum nisi terminat alterum corum, Simplice natura pateat tamen immoderatum » ; Inane videlicet, ut sequentes versus et vox ipsa *pateat* demonstrant. Hæc igitur horum versuum sententia : nisi *alterutrum*, corpus scilicet, *alterum eorum*, videlicet inane, terminet, inane verq solum concedatur *Infinitum*, ut olim probavi, et Stoici, contra quos disputo, fatentur: Nec mare, nec tellus, etc. Epicurus ipse, fateor, alteram hujus argumenti partem proponit in Ep. ad Herodot. : Εἴ τι τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, τὰ δὲ σώματα ἄπειρα, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἂν ἔστη. Sed eam neglexit Lucretius, quoniam inane esse infinitum aliis argumentis jam probaverat. *Creech.* — *Ut pateat*. Sic Wak. e conjectura correxit pro *et ;* optime; eumque sequuti sunt Eichst. et Forb. Sed, quod ad sensum loci attinet, paulo longius vir cl. excurrere mihi videtur, quum exponit : « ut *spatium* undique sine limite *alius cujuslibet generis* propagetur ». Possit etiam aliquis vulgatam retinere sic legendo « Aut etiam alterutrum, nisi terminat... natura pateat, etc. » hoc sensu: Aut etiam fac ut alterutrum, scil. inane, si non ab altero terminatur, unica tandem et simplici natura infinitum sit. Alii etiam legunt *natura e*, præpositione verbo subjecta. Ed.

1021. *Ordine se suo quæque*. Sic e codd. edidit Wak. post Bentl. quos sequimur. Haverc. conjicit *se, sua quæque*, id est, *et sua*. Vulgo « Ordine se quæque atque sagaci ». Melius sane; sed MSS erat obtemperandum. Si quid vero fuerat mutandum, facile hoc amplecterer : « Ordine nec se quæque », quod e MS P, apud Wak. eruere est. Ed.

1030. *Avidum mare* Wak. per *vastum* explicat. At licet verum sit, Lucretium in duobus aliis locis (II, 1066, et V, 202), per metaphoram ipsi,

ut videtur, propriam *avidam* ponere pro *magno, spatioso, capaci*, hic tamen, ut apud Horat. Od. I, 28, 18, consueta vocis significatio mihi longe elegantiorem sensum efficere videtur hunc: mare, omnes orbis terrarum undas cupide arripiens. *Forb.*

1032. *Submissaque.* Wak. emendat *summa quoque*, pro *summa qua*, quod est in optimis codd. Eichst. autem et Forb. eum sequuntur: sed quum lect. *submissa* in quibusdam Pii exemplaribus compareat, et bene cum præcedd. *novet fœtus* congruere videatur, doctiss. virorum vestigia deserui, ut olim vulgatæ adhærerem. Ed.

1040. *Aliqua ratione.* Lambinus dedit *recta regione.* Sed Wak. e MSS nostram hanc lectionem reduxit, alteram ratus inde ortam quod τὴν *aversa viai* constructionem interpp. non assequerentur. Ed.

1060. *Suppa.* Lambin. edidit *subtu'*; alii *suapte.* Ob vocem rariorem erraverant librarii; ea tamen plane in quibusdam MSS legitur. De locutione vide Festum. Ed.

1064. *Illi.* Idem quod *illic.* Sic Terent. *Illi* etiam pronomen admitti potest quamvis *animalia* præcedat; mutare enim genus æque licet placetque Lucretio, ac aliis veterum. *Creech.*

1066. *Diebus.* Ita fere veteres libri, manu formisque descripti. In quibusdam vett. *diesque;* ut et in vulgatis fere; minus bene.

1072. *Regione.* Sic vulgo editur.—Recepi *ratione*, quia plurimis libris obtemperandum esse censui in lectione et ipsa sensum optimum præbente, verbisque præcedentibus *hac potius causa* melius respondente. Sic nimirum locum intelligo: etiamsi medium aliquod esset, ex hac tamen causa non magis, quam ex ulla alia longe diversa et aliena sequeretur, in illo loco aliquid posse consistere. Ceterum voces *ratio* et *regio* sæpissime a librariis confusas esse constat. *Forb.*

1074. *Concedat oportet.* Forbiger in contextum recepit Wak. conjecturam *concedere debet*, quam vir doctus e variis codd. lectionibus eruit.

1081. *Res in concilium.* Sic omnes libri scripti atque editi priores; recentiores autem, ex arbitrio criticorum, *concilio;* male omnino. Cf. vs. 250, 889. *Wak.* — *Cupédine.* Sic veteres pro *cupidine* vel amore. Quid si dein legatur *vinctæ* pro *victæ? Creech.*

1082. *Præterea quoniam*, etc. Lambinus *quoque jam* edidit, quem sequuti Faber et Creechius. Gifanius inepte retinet *quoniam*, omnibus licet MSS assentientibus, nullo certe sensu. Creechius conjicit etiam *quianam. Hav.* et *Preig.* — Wak. tamen sequimur, qui satis idoneam antiquæ lectionis rationem afferre videtur. Ed. — Perturbatos fuisse

sequentes versus queritur Lambinus. In aliquem saltem ordinem redegit; sed in meliorem Gifanius, quem sequar: secundum igitur vss. 24 argumentum contra fautores centri, ipsorum vid. sententiam recitat: qui enim absurda memorat, eadem refutat. Docent autem, terræ tantum et aquæ particulas ad centrum, ignis vero et aeris a centro niti, ex ignibus etiam a medio surgentibus astra stellasque fieri, et nutriri (ut vigent animalia, et arbores virescunt, tellure succos et debita alimenta præbente). Circum vero omnia solidos aliquos circumvolvi cœlos, qui leves has et a medio surgentes particulas sistant, et contineant; nisi enim sisterentur istæ particulæ, per immensum inane subito diffugerent, cœlum rueret, terra se pedibus nostris subduceret, et dissolveretur totius machinæ compages. Quandocumque enim aliqua hujus mundi pars secessum facit, totius interitus sequetur. *Creech.*

1083. *Liquorum.* Lambin. in tribus MSS invenit *liquoris*, quomodo etiam in L. B, et ferri potest. *Hav.* et *Preig.* — Wak. edidit *liquores*, ut vulgare minus et elegantius, non probante Forbigero.

1084. *Magnas.* Sic vett. edd.; sed recentiores *magnis*, quod recte rejecit Wak. Ed.

1085. *Et quasi terreno.* Hunc versum ut adulterinum obelo confodit Bentleius; nobis nullo modo displicet. *Wak.* — Hos versus interpretamentum modo continere verborum præcedentium «terrarum atque liquoris» satis manifestum est; quod licet per se quidem a Lucretio ipso proficisci potuerit, hic tamen ut aliter statuam et interna et externa causa moveor. Quum enim Lucretius aperte hic loquatur de quatuor illis primariis rerum generibus, quibus omnia contineantur, terra, aqua, aere et igni, duo postrema vero sine omni accuratiori explicatione commemoret, per se jam verisimile est, prioribus etiam, non magis obscuris et ambiguis, interpretationem non addidisse, quod ratione etiam, qua expressa sunt, magis comprobatur. Quum enim in universum hic sermo sit de terra tribus reliquis elementis adjuncta, apparet, additamentum illud: «Et quasi terreno quæ corpore contineantur», non solum, ut versum 1084, prorsus superfluum, sed absonum etiam esse et a loci sensu alienum. Externa vero causa de hoc disticho dubitandi in eo sita est, quod hi versus in codd. varie transponuntur, quum, si Havercampi et Wakefieldi adnotationes recte intellexi, in codd. Voss. 2 et Cantabr. singuli versus hoc ordine procedant: 1085, 1084, 1083, in Voss. 1 vero et duobus Mus. Brit. ita se invicem sequantur: 1084, 1083, 1085; v. 1085 autem in Bodl. plane desideratur. Ceterum qui hos versus insuit, fortasse ante oculos habuit II, 1114; I, 284; V, 944, quos imitaretur: quæ ipsa Lucretianæ dictionis imitatio, conjuncta cum observatione, hunc locum, licet varie

transpositum, tamen in omnibus fere libris MSS inveniri, me movit, ut hunc et ipsum inter eos referri mallem, qui ab alterius recensionis auctore antiquitus jam profecti sint, quamquam hac de re judicium semper manebit dubium. *Forb.*

1090. *Colligat omnis.* Sic vett. edd. et MSS. Vulgo «Ibi colligat igneis». Marg. nostra, non ineleganter: «Sibi colligat omnis». Omnis calor nempe sibi cœlum colligit. *Preig.* — Quo sensu? Vellem ipse explanavisset. Quum vero codd. multi *sibi* retineant, non male Wak. hinc conjicit legendum *se ibi;* quamquam altera lectio ei magis placeat; cui nos plane assentimur, vestigiis doct. viri insistentes. Ed.

1091. *Quippe etiam vesci*, etc. Nescio annon hic versus qui in nullo libro MS præter Voss. 1 et Mus. Brit. cod. Δ, nec in ulla editione ante Juntinam legitur, omnem illum locum vs. 1091-1093, quem jam summus Bentleius obelis confixit, admodum suspectum reddat. Prorsus intempestive enim hi versus inseruntur loco, in quo de medio mundi non statuendo sermo est, et ob solum verbum *pasci* vs. 1089 lectum additi videntur ab homine, qui hanc sententiam, solem calore in ætheriis regionibus collecto pasci et nutriri, quæ tamen ad illustrandam modo primariam sententiam adjecta est, similitudine illa terræ animalia et fruges pascentis evehere et in clariori luce ponere studeret. Puto igitur in Lucretii autographo versum 1090 statim sequutum esse vs. 1094 alio, quam nunc legitur, initio præditum, quod ab interpolatore paullo mutatum et additamento inserto adaptatum sit; quæ varia hujus versus ratio etiam causam continere potest, cur in codd. Voss. 2, Vindob. tribus Mus. Brit. Poor. et editt. Brix. Ver. Ven. Ald. 1 et Bonon. prorsus omissus sit. Ceterum *mortalia secla* ex multis aliis Lucretii locis (ut V, 986, 1168, 1237); *cibatus* vero certe e lib. VI, vs. 1126, interpolatori notum esse poterat; quæ autem præterea legimus *vesci e terra* et *terra cibatum det a terris*, hæc magis auctorem, Cari nostri orationem imperite affectantem, quam ipsius Lucretii ingenium sapere videntur, ita tamen, ut vulgarium grammaticorum et librariorum scientiam aliquanto superent, quare antiquiori potius Lucretii interpolatori, qui poeta esse sibi visus sit, hunc locum tribuendum censeo. *Forbiger.* — Vide tamen quæ dicimus supra in notis ad vs. 1091.

1093. *Quoique cibatum. Quisque cibetur* Lambinus, et sequentem versum rejicit; *Quodque cibetur*, Gif. ex vet. cod., monetque versum proximum *Terra det*, etc. insertum fuisse ob non intellectum ὑπέρβατον longissimum: nam istud *Ne volucrum*, etc. conjungi debet cum *Illud in his rebus*, etc. et alioqui quis unquam dixit *Terra dat cibatum a terris?* aberat etiam a quodam vet. cod. nostro. Sed alii codices admittunt, et

recipiendus est ut aliquis saltem sit hujus loci sensus, cui per se satis obscuro istud ὑπέρβατον majores tenebras offundit. *Creech.* — Bentl. et Wak. hunc quoque et seq. versum obelo confodiunt; sed omnia, ut opinor, bene se habent; vide notam ad vs. 1091. Quoniam tamen merito offendit *terra a terris*, levi mutatione legi posset *a teneris*, id est, statim ab ortu. Ed.

1100. *Rerum, cœlique ruinas.* Ita omnes libri. Lambinus : *terræ cœlique.*

1104. *Deesse.* Sic, ut videtur, universi exhibent codd. quod Lambinus mutavit in *cesse*, id est, cessisse; pluribus edd. eum sequutis. Wak. autem codd. lectionem merito reduxit. Ed.

1107. *Parva perductus opella.* Sic in omnibus MSS legitur. Lambinus, et post eum editores tantum non omnes, correxere *perfunctus*, quia Latini ita loquuntur, *perfungi opera.* Sed major fuit Wakefieldo codicum reverentia, qui antiquam lectionem optime restituit. « *Perductus*, inquit, est quasi prolectatus Musæorum leporum illecebris, et rationis veræ blandimentis. » Neque equidem video qua re non liceat latine dicere, *perductus opella*, id est, dum te parvus labor *per* hæc studia *ducet.* Male autem quidam *parva opella* ad ipsum auctorem referunt: quasi per modestiam dicat opus suum non ita commendabile esse; illud enim contra totius loci sensum videretur. Ed.

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER II.

ARGUMENTUM.

Ad studium philosophiæ, quæ sola lenire curas et animum metu liberare potest, Memmium suum Lucretius hortatur: a vs. 1 ad vs. 61: — inde de seminum, seu atomorum, affectionibus disputat, quarum prima est motus; moveri semina ex rerum generatione demonstratur: motus vero hic est deorsum: omnia enim semina sunt gravia; quum autem concurrant semina solida, necesse est quoquo versum a se invicem dissiliant; ita quædam semina aliis implicantur; quæ arctius conjunguntur, res duras et densas constituunt; quæ laxius, res molles et raras: quædam autem semina nunquam coalescunt; sed, uti ramenta pulveris in radiis solis videmus, perpetuo motu per inane feruntur, et alia corpora subinde percutiunt et agitant, ad vs. 140. — Celeritatem motus seminum deorsum tendentium explicat ad vs. 166. — Inde pro more suo quædam scommata contra illos, qui providentiam agnoscunt, intexit, ad vs. 182. — Tum argumentum repetit, asseritque, omnia corpora deorsum tendere, ad vs. 215. — Deinde, semina deorsum tendentia a recta linea paullulum declinare; nisi enim declinarent, nihil unquam, saltem nullum liberum agens, oriretur, ad vs. 293. — Demum docet, eodem motu semina jam ferri, quo ab æterno ferebantur; nec quemquam huic opinioni diffidere debere, quia motus non videt, quum ipsa semina percipi non possunt, ad vs. 332. — Secunda

seminum affectio est figura; docet autem semina non esse ejusdem figuræ, quædam vero rotunda, quædam quadrata, quædam lævia, et alia aspera, hamata, etc. fuseque ostendit, quæ figuræ amara, quæ dulcia, quæ dura, quæ mollia corpora componunt, ad vs. 477. — Hanc figurarum varietatem non esse infinitam, semina tamen ejusdem figuræ infinita; nempe rotunda esse infinita, quadrata, etc. ad vs. 581. — Demum ostendit, res non componi e seminibus ejusdem figuræ, et variis argumentis probat, concreta omnia variarum semina figurarum continere, ad vs. 729. — Deinde docet, semina nullas habere qualitates, quas sensibiles vocamus; colorem utique, saporem, frigus, calorem, etc. item, sensu non donari; quamvis res coloratæ, sapidæ, calidæ, frigidæ, et sensibiles, ex iis componantur, ad vs. 1022. — Demum, infinita semina per infinitum inane volitantia infinitos mundos constituere, eosque mundos augeri aliquando a seminibus ex infinito delapsis; aliquando etiam, avolantibus in infinitum seminibus, deminui et dissolvi: ut plantæ et animalia nascuntur, adolescunt, senescunt, et ordine suo demum intereunt; usque ad finem libri.

Suave mari magno, turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem;
Non, quia vexari quemquam est jocunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.
Per campos instructa, tua sine parte pericli,

1. *Suave mari*, etc. Quasi procemio quodam, sapientiæ laudes præfatur ad Epicuri mentem et doctrinam; ut et Memmii sui fatigatum animum aliquantulum recreet, et ad ejusdem sapientiæ studia alieno monitum periculo suaviter alliciat. *F.* — *Magno.* Vel vasto et profundo, vel intumescente. Forsan etiam possis credere τὰ *magno* et *magnum* aliquatenus inter se opponi, nisi potius hoc scriptoris incuria fuderit: quare Wakef. corrigebat *vastum*; sed cf. Virg. G. I, 158. Ceterum melior videtur oppositio: « Spectare e terra periculum alterius in mari agitato versantis »; quam si jungas, ut docti editores voluere, « ventis turbantibus æquora in vasto mari ». Ed.

3. *Vexari*, fluctibus jactari, in periculo versari. — *Jocunda*, jucunda, ἀρχαϊκῶς.

4. *Sed, quibus ipse malis*, etc. Noli, ut quidam jubent, intelligere: *spectare mala, quibus* ipse cares. Sensus est: Cernere quæ et qualia sint mala quibus nunc te immunem sentis. Ed.

5. *Per campos instructa*, dum instructæ acies campo concurrunt. — *Tua sine parte pericli*, cujus in certaminis discrimen ipse non venias.—Alii, inter quos Gassendus, *tui sine*, etc.

Suave etiam belli certamina magna tueri:
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena;
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Nocteis atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseras hominum menteis! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis,
Degitur hoc ævi, quodquomque est! Nonne videre est,
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quoi
Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur
Jocundo sensu, cura semota metuque?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus

7. *Sed nil dulcius est*, etc. Præclara metaphora, qua poeta sapientis vitam in animi tranquillitate et corporis indolentia positam esse docet, ex Epicuri doctrina. *Fay.*

8. *Edita doctrina*, etc. Arces bene munitas ideoque tutas, philosophorum disciplinis in altum eductas, et in serena cœli parte supra tempestatum caliginem positas. Equidem, quanquam a nullo factum videam, malim tamen jungere *serena* cum *doctrina*; solito de poetarum more. *Serena* enim est doctrina, quæ *serenam* facit *vitam*, ut loquitur ipse Noster inf. vs. 1093; quæ nubes et tenebras humani animi discutit. Ed.

9. *Despicere*, ex alto aspicere. Virg. Æn. I, 224. — *Unde*, quibus e templis; ex hac arce.

10. *Viam palanteis quærere vitæ.* Vagos, et incertos viæ, quasi per tenebras vestigare, quam sequi debeant vitæ rationem. Ed.

12. *Præstante*, summo, et eximio. Alii tamen *perstante*, perseverante, pertinaci; minus bene. Cf. III, 62.

13. *Emergere*, ut emergant; quasi ex *luto vilitatis*, ac profunda rerum colluvione, quibus immersum vulgus hæret. Cf. Juven. III, 164. *Wak.*—*Rerumque potiri*, ad summam potestatem pervenire. Quæ omnia Epicureis sordent.

16. *Quodquomque est.* Sic Propert. Eleg. I, 4, 3: «Vitæ quodcumque sequetur». — *Videre est*, videre licet, obviam est cernere. Lamb. *videtis.*

17. *Latrare*, acriter poscere. Ducta metaphora a canibus, qui, dum poscunt aliquid, latrant. Hæc est Lucretii mens, ut innuat naturam, nempe humanam, non solum poscere corporis indolentiam, quæ est doloris privatio; sed et mentis tranquillitatem, quæ est jucunda voluptas. *F.* — *Nisi ut, quoi.* Nisi ut ipsa, a qua primum omnem corporis dolorem removeris, omni etiam cura et metu vacans voluptatem mente percipiat. Ed.

20. *Ergo corpoream*, etc. His 17 vss. præclara inductione, vel rerum potius

Esse opus omnino, quæ demant quomque dolorem;
Delicias quoque uti multas substernere possint:
Gratius interdum neque natura ipsa requirit:
Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædeis,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturneis epuleis ut suppeditentur;
Nec domus argento fulget, auroque renidet,
Nec citharæ roboant laqueata aurataque templa;
Quom tamen inter se, prostratei gramine molli,
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jocunde corpora curant:

enumeratione, probat pauca admodum requiri ad corporis delicias: neque corpori nostro multum proficere summas opes, generis nobilitatem, aut regiam etiam supellectilem; quum et sine his omnibus laute et jucunde curari possit; et inter hæc omnia nihilominus dolori sit obnoxium. *F.*

21. *Esse opus;* I, 1050.—Junge autem *quæquomque;* nam ipse nolim, quod quibusdam placuit, dictum accipere *quomque* pro: aliquando, quovis tempore; vid. tamen infra ad v. 721. Lamb. et vulgares edd. *quemque*, et *quæ* interpretantur: *ut illa;* minus bene.

22. *Multas.* Alii *nullas;* male. Pauca illa multas tamen delicias continere docet poeta. *Preig.*

23. *Natura.* Scilicet corporea, id est, corpus; ut in vs. 20. — *Requirit.* Ipsa natura interdum nihil jucundius sibi poscit quam *hæc pauca*, scilicet *quum*, sine luxu et magnarum domorum apparatibus, ruris *tamen* inter se deliciis fruuntur. Vide not. 29. Ed.

24. *Si*, etsi, etiamsi. — *Juvenum simulacra*, etc. Statuas aureas notat, quæ in ædibus regum ac divitum olim positæ candelabrorum vicem præstabant inter nocturnas epulas. Hunc locum, quem imitatus est Virg. in Culice vs. 61 sqq. Lucretius ipse desumsit ex Homero Odyss. VII, 100 sqq. *F.*

27. *Argento auroque*, poculis et reliqua supellectili, in vasario fulgentibus. *Wak.* — *Renidet.* Conf. Horat. Od. II, 18, 2.

28. *Citharæ reboant.* Al. *citharis.* Vel tecta *reboant*, resonant ad vocem citharæ; ut sit *citharæ* in tertio casu numeri singularis: vel citharæ *reboant*, faciunt reboare; ut apud Virg. Æn. VII, 12, *resonat*, resonare facit. *Wak.* — *Templa*, concavum lacunar; I, 121, 1013.

29. *Quom tamen.* Sic omnes libri; et sensus constare potest, ut proposuimus ad vs. 23. Lamb. vero et alii legunt *at tamen*, vel *quin tamen*, ut planior sit sententia. Nodum aliter solvit Wakef., subint. *sint:* «quum prostrati sint, curant tamen, etc.» Sed hæc oppositio contra Lucretii mentem videtur. Quare aut Lambini accipienda emendatio; aut *quum tamen* referendum ad *requirit* vs. 23. Ceterum totius loci imitationem confer apud Virg. G. II, 461 sqq. Ed.

30. *Sub ramis*, etc. Conf. Virg. Æn. VII, 108. *Wak.*

31. *Non magnis opibus*, sine magnis divitiis, vel non magno sumtu.

Præsertim quom tempestas arridet, et anni
Tempora conspergunt viridanteis floribus herbas:
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus si in picturis ostroque rubenti
Jactaris, quam si plebeia in veste cubandum est.
Quapropter, quoniam nil nostro in corpore gazæ
Proficiunt, neque nobilitas, nec gloria regni;
Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum:
Si non forte, tuas legiones per loca campi
Fervere quom videas, belli simulacra cienteis;
—Fervere quom videas classem, lateque vagari;—
His tibi tum rebus timefactæ Religiones
Effugiunt animo pavidæ, mortisque timores;
Tum vacuum tempus linquunt, curaque solutum.

32. *Tempestas arridet.* Tempestas anni idonea et opportuna, ut I, 179; vel κατ' ἐξοχήν dictum pro veris die; quod sequens versus innuit. Locus repetitur V, 1391 sqq. Ed.

34. *Nec calidæ citius*, etc. Cf. Horat. Epist. I, 2, 47 sqq.

35. *Textilibus*, textu aut acu pictis. — *Ostroque*, purpura; vestibus purpureis, stragulis.

36. *Jactaris.* Cum Lamb. edidi, quia sic concinnitas loci postulare videtur. Libri, *Jacteris. Forb.* — Pingit hominem se undequaque vi doloris aut ægritudinis volutantem. *Wak.* — *Veste.* Scil. stragula; lectulum pauperis designat.

37. *Quapropter, quoniam nil*, etc. Ostendit nunc divitias, et nobilitatem summaque imperia, quum nihil ad evitandos corporis dolores prosint, multo etiam minus proficere ad animi tranquillitatem.

40. *Si non forte*, nisi fortasse dicas tunc animum timoribus vacare, quum, etc.

41. *Fervere.* A verbo *fervo*, ut Virgil. Georg. I, 456, et Æn. IV, 567.—*Belli simulacra cienteis.* Virgil. Æn. V, 585 et 674. *Wak.*

42. *Fervere quum videas classem.* Id est, remis fluctus agitare. *Creech.* — Celeriter moveri, ex secundario sensu, quod *celeres motus* soleant *fervorem* excitare. Horat. Od. I, 1, 4, «*fervidis* rotis». Virg. Æn. IV, 407. *Wakef.* — *Vagari.* In mari explicari, et varias pugnæ imagines hinc inde currendo exhibere. Vide infra Disq. var. Ed.

43. *Tum.* Alii, *cum.* — *Rebus*, bellico hoc apparatu. — *Religiones*, vana superstitio: vanus Deorum metus, I, 63.

44. *Pavidæ.* Debet nemo doctior ad voces conjunctas *timefactæ* et *pavidæ* offendere; nam similia apud Nostrum et alios leguntur. Infra III, 142, «pavor ac metus»; Virg. Æn. II, 685: «nos pavidi trepidare metu». *Wakef.* — Vide Disq. var.

45. *Tum vacuum tempus.* Tum relinquunt tibi omne vitæ tempus liberum, et curarum expers. Forbig. omissa distinctione hunc versum refert ad *mortis timores.* Vulgata potior mihi videtur. Ed.

Quod si ridicula hæc ludibriaque esse videmus,
Re veraque metus hominum curæque sequaces
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela;
Audacterque inter reges rerumque potenteis
Vorsantur, neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum vestis splendorem purpureai:
Quid dubitas, quin omni' sit hæc rationi' potestas?
Omnis quom in tenebris præsertim vita laboret.
Nam veluti puerei trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt; sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ puerei in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est
Non radiei solis, neque lucida tela diei
Discutiant; sed Naturæ species, Ratioque.
Nunc age, quo motu genitalia materiai

46. *Quod si ridicula*, etc. Recolligit ea quæ modo disseruit; nempe gazas, imperiaque et ejusmodi cetera nihil omnino proficere; neque armorum strepitu, aut solii fulgore metus et curas hominum fugari; concluditque, quum ista mala ex ignorantiæ tenebris oriantur, inferendum animis philosophiæ lumen. Quocirca opus suum persequitur. Ed.

49. *Rerumque potenteis*, rerum dominos, principatum tenentes, vs. 13.

50. *Fulgorem ab auro*, fulgorem auri, ab auro venientem. Periz. ad Sanctii Min. III, 2, not. 138.

52. *Quid dubitas*, etc. Quid dubitas, quin hæc potestas, per quam religiones, metus, curæque submoveri et terreri debeant, sit omnino solius potestas rationis? *Wak.* — Vide Disq. var.

53. *In tenebris laboret.* Cum ærumnis et laboribus conflictetur, dum viam tenebricosam conatur eluctari. *Wak.*

54. *Nam veluti*; III, 87 sqq.; VI, 35 sqq. *Forb.*

55. *Sic nos in luce timemus.* Per religiones scilicet, et propter rerum inscitiam. Ed.

57. *Finguntque futura.* Omnia monstra, vel mala quæ sibi imminere fingunt. Ed.

58. *Hunc igitur terrorem animi*; vide notas ad I, 147 sqq.

61. *Nunc age, quo motu*, etc. Hactenus de procœmio. His quinque vss. jam proponit argumenta duo futuræ disputationis ab hoc vs. 61, ad vs. 333. Monet enim se dicturum 1° quo motu res cunctas generent atomi, et genitas resolvant; 2° qua vi istud facere cogantur. Quæstio sane hæc non minus curiosa, quam necessaria videtur. Eccur enim atomi, quæ simul concretæ steterint per ævum, evolent mox antiquæ stationis immemores? Quisve torpidis illis jam priscam restituat pernicitatem? Quæsitis istis abunde satisfacturus est poeta, quæ pars erat altera, si bene meministi, lucubrationis universæ, quam proposuit,

Corpora res varias gignant, genitasque resolvant,
Et qua vi facere id cogantur, quæque sit olleis
Reddita mobilitas magnum per inane meandi,
Expediam : tu te dicteis præbere memento.
Nam certe non inter se stipata cohæret
Materies; quoniam minui rem quamque videmus,
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculisque vetustatem subducere nostris;
Quom tamen incolumis videatur summa manere;
Propterea, quia, quæ decedunt corpora quoique,
Unde abeunt, minuunt; quo venere, augmine donant :
Olla senescere, at hæc contra florescere cogunt.

1, 51 et 52. *F.* — *Genitalia materiai*, etc. Vide ad I, 53.

63. *Cogantur*, propter ingenitum motum. — *Quæque*. Alii, *quæve*.

64. *Reddita*. I, 204. — *Mobilitas*, etc. Quanta celeritate per infinitum inane moveantur.

66. *Præbere*. Suppl. attentum, docilem.

66. *Nam c. non inter se*, etc. His 13 vss. priusquam quæstioni satisfaciat de atomorum motu, per quem conveniunt ad rerum concretiones, aut dissiliunt ad earumdem dissolutiones, probat interim atomos non ita inter se stipatas, coarctatas, ac hærentes cohærescere, ut nulla vi divelli ac moveri queant. Quod quidem probat ex perpetuo ac mutuo inter se rerum incremento et decremento. Quia, quod uni rei decidit, id alteri accedit; et interitus unius rei, alterius est ortus. Ita ut mutua rerum generatione ac corruptione quæque res senescat et florescat; totum vero, hoc est, universa rerum summa maneat incolumis. Hæc autem mutua generatio rerum ac corruptio fieri nequit sine atomorum motu, ut dictum est I, 344. Ergo atomi non stipatæ cohærent. Sed assiduo sunt in motu, quum res perpetuo generentur ac corrumpantur. *F.*

68. *Fluere*, occulte dilabi, sensim minui, longa ætate consumta. Sic IV, 226. Idem dixit I, 226.

69. *Ex oculisque vetustatem*, etc. An hic mutatur constructio, et cum Creechio interpretandum : « Videmus omnia dilabi, et vetustatem res omnes subducere, etc. » Aut propius ad verborum dispositionem : « Videmus omnia dilabi, et subducere vetustatem suam, etc. » id est, interire quum vetusta sunt? Hæc mihi magis placeret explicatio. Possis etiam *vetustatem* omnino dictum accipere, hoc sensu : « Videmus omnia diffluere, et ita secum omnem auferre vetustatem, quidquid antiquum et vetustum est ». Ed.

70. *Incolumis summa*, universa rerum natura integra, immutabilis, et in eodem statu semper permanens. — *Videatur*, oculis manifeste appareat.

71. *Corpora*, atomi. — *Quoique*, cuique rei. Alii, *quemque*.

72. *Unde*, ex quo corpore, ex quibus rebus decedunt, eas deminuunt. — *Quo*, ad quam rem se jungunt, eam augent.

73. *Olla*, a quibus abeunt. — *Sene-*

Nec remorantur ibi : sic rerum summa novatur
Semper, et inter se mortales mutua vivunt :
Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur;
Inque brevi spatio mutantur secla animantum,
Et, quasi cursores, vitai lampada tradunt.
Si cessare putas rerum primordia posse,
Cessandoque novos rerum progignere motus;
Avius a vera longe ratione vagaris.
Nam, quoniam per inane vagantur, cuncta necesse est
Aut gravitate sua ferri primordia rerum,
Aut ictu forte alterius : nam concita, sæpe,
Obvia quom flixere, fit, ut divorsa repente
Dissiliant : neque enim mirum, durissima quæ sint,

scere, minui, interire. — *Florescere*, crescere, vigere, augeri.

74. *Nec remorantur ibi.* I. e. in corpore, cui modo accessere, non diu permanent, sed irrequieto motu novas dissolutiones faciunt, novasque ideo generationes alias promovent. Qua vicissitudine res mutuo generantur et corrumpuntur : homines vivunt et moriuntur : animalia crescunt et minuuntur, etc. *F.*

75. *Mutua.* Adverbialiter sumtum; id est, per vices, per successiones.

76. *Aliæ gentes*, alia genera viventium et animantium.

77. *Spatio ;* temporis.—*Secla.* I, 20.

78. *Et, quasi cursores*, etc. Sicut cursor exstincta face cedit victoriam sequenti; ita vivens exstincta vitæ luce cedit alteri viventi quasi facem vitæ. *F.* —Vide Disq. var.

79. *Si cessare putas*, etc. Alterum argumentum, quo probat atomos non stipatas cohærere : sed citas moveri per inane magnum; quod colligit ex illarum soliditate. Quum enim solidissimæ sint atomi, ut probatum I, 486 sqq. sane constat eas esse graves et ponderosas. Si vero graves sunt et ponderosæ, hinc fiat necesse est, ut suapte natura, hoc est, gravitate sua, suisque ponderibus, deorsum, seu ad lineam, quam vocant, perpendicularem, ferantur. Item quia solidæ sunt, ac durissimæ, hinc fit, ut obviam sibi conflictæ resilire possint in oppositas partes, hoc est, sursum et deorsum per eamdem lineam; quoniam in inani immenso, nihil est ab earum tergo, quod impediat, quin conflictæ resultent in partes oppositas. Hinc duplicem jam habes atomorum motum, deorsum et sursum; illum naturalem ex propensione : hunc violentum ex ictu seu mutua repercussione. Ceteros deinde motus infra astruet poeta. *F.* — *Cessare*, a motu quiescere.

83. *Ferri*, agi, moveri.

84. *Nam concita, sæpe*, etc. Nam *concita*, id est, quoniam commoventur, *quum flixere*, post collisionem, *fit sæpe*, etc. ne fortasse τὸ *sæpe* ad *concita* referas. *Wak.*—Vide Disq. var.

85. *Divorsa.* Non adverbium, ut quidam volunt; participium est, i. e. se divertentia, in partem oppositam resultantia.

Ponderibus solidis, neque quidquam a tergo ibus obstet.
Et quo jactari magis omnia materiai
Corpora pervideas, reminiscere, totius imum
Nil esse in summa; neque habere, ubi corpora prima
Consistant: quoniam spatium sine fine modoque est,
Immensumque patere in cunctas undique parteis
Pluribus ostendit; certa et ratione probatum est.
Quod quoniam constat, nimirum nulla quies est
Reddita corporibus primeis per inane profundum;
Sed magis, assiduo varioque exercita motu,
Partim intervallis magnis conflicta resultant,
Pars etiam brevibus spatiis nexantur ab ictu.
Et quæquomque, magis condenso conciliatu,

87. *A tergo ibus.* Antique *ibus* pro *iis;* conf. Plaut. Mil. glor. I, 1, 74; Rud. prol. 73; Truc. I, 2, 14. De hoc verbo vide Priscian. XIII, 3, et Nonium VIII, 21. — *Obstet.* Suppl. quominus diversa repente dissiliant.

88. *Et, quo jactari*, etc. Tertium argumentum ex eo quod I, 1051 sqq. docuerit in immenso toto non esse medium seu imum, aut centrum aliquod, in quo consistant ac conquiescant. Igitur jactari, ferri, et moveri debent perpetuo per inane magnum. *F.*

89. *Totius,* universi.

90. *Neque habere.* Scil. eam summam non habere, etc.

91. *Spatium*, inane vacans. Lib. I, vs. 335.

93. *Ostendit.* Sic Wakef. e tribus MSS: ceteri *ostendi;* minus bene. Difficiliorem lectionem sic explico: spatium sine fine modoque est, et ostendit pluribus indiciis se immensum patere. Wak. infinitivum *patere*, nominativum subjecti habere videtur. *Forb.* — Mihi tamen magis arridet altera lectio, ut respiciat Noster ad ea quæ disseruit supra I, 957 sqq. Ed.

94. *Quod quoniam constat*, etc. Igitur quum semina assiduo motu exerceantur, quum percutiant, ac resiliant, docet vss. 14 semina ista resilientia ad inæquales distantias reflecti; varietatem ictuum varietas reflectionum sequitur: ex iis autem quæ ad brevem distantiam reflectuntur, et arctiori spatio jactantur, ferrum, lapides, et reliqua dura et solida corpora componuntur: ex iis quæ ad longam distantiam resiliunt, et laxius vagantur, aer, ignis, et mollia ejusmodi et rara corpora constituuntur. *Creech.*

96. *Sed magis*, immo potius.—*Exercita motu.* Sic Virgil. Georg. III, 529, *exercita cursu flumina.*

97. *Conflicta*, inter se collisa, postquam conflixere, longe resultant.

98. *Nexantur ab ictu*, copulantur et cohærescunt per plagam. Cf. quæ Diog. Laert. X, 43. — Rarius verbum *nexare* occurrit etiam apud Virg. Æn. V, 279, et in fragm. Livii apud Prisc. X, 8.

99. *Et quæquomque*, etc. Et quæcumque *convecta*, collata et sese comitantia, cœtu magis condenso, resultant ad minores distantias, vel exiguis intervallis, figurarum peculiari habitu

Exiguis intervallis convecta resultant,
Indupedita suis perplexis ipsa figuris;
Hæc validas saxi radices, et fera ferri
Corpora constituunt, et cetera de genere horum
Paucula: quæ porro magnum per inane vagantur,
Cetera dissiliunt longe, longeque recursant,
In magnis intervallis; hæc aera rarum
Sufficiunt nobis, et splendida lumina solis.
Multaque præterea magnum per inane vagantur,
Conciliis rerum quæ sunt rejecta, nec usquam
Consociare etiam motus potuere recepta:
Quojus, uti memoro, rei simulacrum, et imago,
Ante oculos semper nobis vorsatur, et instat.
Contemplator enim, quom solis lumina quomque

complicata invicem ac cohibita : hæc constituunt ferrum et similia. Conf. parallelum locum I, 571 sqq. *Wak.*—*Conciliatu.* Vide ad I, 576.

101. *Perplexis figuris*, inter se implicatis. Aliæ enim atomorum figuræ sunt rotundæ, aliæ angulares, aliæ hamatæ, aliæ asperæ, etc. Quo fit ut aliæ aliis facilius aut difficilius concilientur; infra vs. 335 sqq. *F.*

102. *Validas*, firmas, duras, solidas. —*Radices.* Cf. III, 326. Et vox *radices* hic potest *primordiorum congeriem;* sed aliquoties simplicia rerum primordia. *Wak.* — *Fera*, dura, acuta.

104. *Paucula.* Multo enim pauciora sunt numero solida, quam mollia et rara. — *Quæ porro;* ea porro, quæ, etc.

105. *Cetera.* Ea vox in omnibus scriptis exemplaribus comparet; quam igitur recte defendit Wak. Alii vero editores, ut molliorem constructionis cursum reddant, *et cita* post Lamb. corrigunt; velim codices addicerent. Ed.

108. *Multaque præterea*, etc. His 16 vss. docet non omnes atomos, quæ per inane magnum volitant, conciliari et coalescere in rerum concretiones : sed multas a conciliis rejectas nusquam consociari magis, quam ramenta, quæ per radios solis perpetuo volitare, moveri, variisque modis vagari cernimus. Neque tamen putes velim hæc ramenta pulveris, quæ per aera volitare cernimus in ipsis radiis solaribus, atomos esse; corpuscula enim sunt, quæ ex atomis constant, et quibus error ille vagus seu motus est ab atomis. Æmulantur atomos in hoc, quod irrequieto motu per inane perpetuo ferantur, et quod parva sint corpora. *F.*

109. *Conciliis ... rejecta.* Quæ cohærere, conciliari, aut consociari non potuerunt. *Lamb.*

110. *Consociare motus.* Ab omnibus enim repulsa seorsum moveri coguntur. Ed.

111. *Quojus, uti memoro*, etc. Cujus *rei* (I, 689), ut nunc tibi expono, imaginem semper facile est tibi ante oculos repræsentare. Ed.

113. *Contemplator*, contemplare, aspice. Sic VI, 189, et Virg. Georg. I,

Insertim fundunt radios per opaca domorum :
Multa minuta modis multis per inane videbis
Corpora misceri radiorum lumine in ipso ;
Et, velut æterno certamine, prælia pugnasque
Edere, turmatim certantia ; nec dare pausam,
Conciliis et discidiis exercita crebris :
Conjicere ut possis ex hoc, primordia rerum,
Quale sit, in magno jactari semper inani ;
Dumtaxat rerum magnarum parva potest res
Exemplare dare et vestigia notitiai.
Hoc etiam magis hæc animum te advortere par est

187. — *Quom ... quomque.* Id est, quandocumque, quotiescumque.

114. *Insertim*, inserendo. — *Per opaca domorum ;* i. e. per partes domorum opacas et obscuras. Sic I, 355 : « Clusa domorum ».

115. *Minuta ... Corpora*, ramenta pulveris. Cf. Sen. Nat. Quæst. V, 1. — *Per inane*, per aera.

117. *Prælia pugnasque.* Duo etiam vocabula jungit Virg. Æn. XI, 912. Ea sic distinguit Isidor. XVIII, 1, ut *pugna* sit magnus ille exercituum concursus, apud Cannas scilicet, apud Pharsalum (nobis *une bataille*) ; *prælia* vero pars *pugnæ*, varii militum concursus (*un combat*). Hic autem vix admittenda distinctio ; vult Noster omnia permisceri et conturbari. Ed.

118. *Pausam*, quietem, cessationem, I, 748.

119. *Conciliis et discidiis.* Dum coalescunt, vicissim et dissiliunt, crebro agitata. Male hic Nonius dat *dissidiis ;* vide I, 221. Ed.

120. *Conjicere ut possis.* Ut possis ex hoc parvorum corpusculorum concursu et conflictu, conjicere quo pacto primordia rerum per inane jactentur. *Lamb.*

121. *Quale sit.* Quale sit illud, scilicet semper jactari rerum primordia, etc.

122. *Dumtaxat.* Volebat Faber, et post eum Creech. hoc per epiphonema dici pro *usque adeo ;* contra vulgarem verbi sensum. Wak. exponit : « Parva res *tantummodo ; mera* parva res ». Et ita jungendum erit *exemplare dare ut possis inde conjicere*, etc. Si quid autem in verbi hujus sensu novandum foret, malim exponere *quatenus ;* ut fere apud Senec. Epist. 58 : « Morbum morte non fugiam, dumtaxat sanabilem ». Et omnia sic jungentur : Ut possis ex hoc conjicere, etc. quatenus (in quantum) parva res magnarum rerum imaginem dare potest, et indicia quibus eas cognoscamus. Ed.

124. *Hoc etiam magis*, etc. Quam modo proposuit similitudinem, nunc in argumentum vertit : nimirum sicut cernimus illa ramenta pulveris, quæ corpuscula sunt, moveri tamen variis modis, modoque turmatim misceri, modo dissilire ; ita conjicere licet atomos, quæ corpuscula sunt cæca, cæcos edere motus per inane magnum, nec sibi dare pausam. *F.* — *Hæc animum advortere.* I. e. animum vertere ad hæc. — De hac formula Oudend. ad Cæs. Bell. Gall. I, 24 ; Cort. ad Sall. Jug. 93.

Corpora, quæ in solis radiis turbare videntur;
Quod tales turbæ motus quoque materiai
Significant clandestinos cæcosque subesse.
Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Commutare viam, retroque repulsa revorti,
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas undique parteis.
Scilicet hic a principiis est omnibus error.
Prima moventur enim per se primordia rerum;
Inde ea, quæ parvo sunt corpora conciliatu,
Et quasi proxuma sunt ad vireis principiorum,
Ictibus illorum cæcis impulsa cientur;
Ipsaque, quæ porro paullo majora, lacessunt.
Sic a principiis ascendit motus, et exit
Paullatim nostros ad sensus; ut moveantur
Olla quoque, in solis quæ lumine cernere quimus;
Nec quibus id faciant plagis apparet aperte.
Nunc, quæ mobilitas sit reddita materiai

125. *Turbare*, moveri, volitare, vagari, errare. — Sic Virg. Æn. VI, 801, « turbant trepida ostia Nili ». *Wak.*

126. *Materiai*. I. e. Corporibus primis, atomis.

127. *Clandestinos cæcosque*. I. e. qui sub sensus, nempe sub oculos, non cadant; I, 278.

128. *Multa*. Suppl. ramenta illa pulveris.

130. *Undique*. Sic restituit Wak. vulgo *denique*; quod minus placet.

131. *Scilicet hic*, etc. Scilicet hæc discursitatio omnibus his corpusculis est, vel accidit, a principiis eorum; unde motus initia primitus propagantur. *Wak.* — *Principiis*, atomis, ex quibus ipsa constant.

132. *Prima moventur*, etc. His 9 vss. docet poeta atomos, seu rerum primordia moveri per se et ex seipsis : ceteras vero res motum omnem habere ab atomis; cum hoc tamen ordine, ut, quæ res concretæ paucioribus constant atomis, et ad vires atomorum proxime accedant, eæ rebus majoribus motum incutiant : res vero majores motum pariter impertiantur corporibus majusculis; et ita de ceteris. *F.*

133. *Parvo sunt conciliatu*. Parvorum corporum conciliis conglomerata; ex cœtu exiguarum partium constantia. *W.*

136. *Ipsaque*. Suppl. parva illa corpora, quæ sunt icta ab atomis, feriunt et lacessunt ictibus majora corpora. Nonnulli legunt *ictaque*; non male. *F.*

137. *Exit*. Terminationem suam habet, ut vult Wak. vel exit ab illa obscuritate in qua motum deprehendere non valent oculi nostri, aut alius quilibet sensus; ita ut per vices illa jam moveantur corpuscula quæ cernere possumus per solis radios. Ed.

141. *Nunc, quæ mobilitas*, etc. His

Corporibus, paucis licet hinc cognoscere, Memmi.
Primum, Aurora novo quom spargit lumine terras,
Et variæ volucres, nemora avia pervolitantes,
Aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent;
Quam subito soleat sol ortus tempore tali
Convestire sua perfundens omnia luce,
Omnibus in promtu manifestumque esse videmus.
At vapor is, quem sol mittit, lumenque serenum
Non per inane meat vacuum; quo tardius ire
Cogitur, aerias quod sic diverberet undas:
Nec singillatim corpuscula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter se conque globata:
Quapropter simul inter se retrahuntur; et extra

26 vss. probat ex dictis atomos non solum moveri per inane magnum; sed velocissime moveri. Si calor et lumen solis, quæ sunt corpora concreta, pæne tamen in instanti temporis ab una hemisphærii parte meant ad aliam; totumque complent subito aera, qui corpusculis reluctantibus repletur; quanto magis atomi, quæ corpora sunt simplicissima, ferri possunt velociter, et volitare per ipsum inane magnum? *F.*

143. *Primum Aurora*, etc. Versum exscripsit Virg. Æn. IV, 584. — *Spargit.* Id est, lucis quasi jactis seminibus; cf. infra vs. 211. *Wak.* — Alii metaphoram ab aqua ductam volunt; quod ipse Noster innuit infra V, 283 verbo *Irrigat;* et Virg. G. I, 288: « ... terras irrorat Eous ». Ed.

144. *Variæ volucres;* ut supra I, 590. — *Pervolitantes.* Virg. Æn. VIII, 24.

145. *Aera per tenerum.* Virg. Æn. IX, 699; vide supra I, 208. — *Liquidis vocibus,* claris, sonoris. Virg. G. I, 410. — *Loca opplent.* Virg. G. IV, 515. Hæc omnia poetice admodum expressa nihil magis laudat quam perpetua Virgilii imitatio. Ed.

146. *Quam subito,* etc. Nemo non perspicit quam subito sol, tunc ortus, consuescat, etc.

147. *Convestire,* cooperire, illustrare. Sic Virg. Æn. VI, 640, *lumine vestit.* Cf. Oros. III, 8 de Christo.

149. *Vapor,* calor, ardor, I, 492, et alibi passim. Sic infra vs. 152.

150. *Non per inane meat vacuum.* Hoc est, meat per inane, quod non est vacuum, et expers omni corpore. Meat quippe calor solis per aera, qui multis atomis et corporibus repletur, quæ reluctari possunt, ne citius eat calor ille. *F.* — *Quo,* quare, idcirco.

151. *Aerias ... undas,* aera liquidum, humidum. — *Sic;* vel sic, quamvis ea celeritate veniat, undas aeris verberat in transitu, et non sine impedimentis eluctatur. *Wak.* — Vide Disq. var.

152. *Nec singillatim.* Altera est causa cur tardius eat solis calor; nam multis corpusculis ipse efficitur, quæ non singulatim transeunt, immo *complexa,* implicata inter se et conglobata. Ed.

154. *Retrahuntur.* Quasi retro trahuntur, propter diversos intra se principiorum motus. — *Et extra.* Ab externis

Officiuntur, uti cogantur tardius ire.
At, quæ sunt solida primordia simplicitate,
Quom per inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, atque ipsa, suis e partibus unum,
Unum, in quem cœpere locum, connixa feruntur;
Debent nimirum præcellere mobilitate,
Et multo citius ferri, quam lumina solis,
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo solis pervolgant fulgura cœlum :
Nam neque consilio debent tardata morari,
Nec persectari primordia singula quæque,
Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.
At queidam contra hæc ignarei, materiai

corporibus, hoc est, ab ipso aeris humido corpore. Sic vs. 158. *Fay.*

156. *Officiuntur,* impediuntur. Sic IV, 765, *offecti sensus,* i. e. impediti et obstructi; sic et V, 774 : « offecto lumine. » *Fay.*

156. *Solida simplicitate.* Ut probatum est I, 566, 575, etc.

157. *Nec res remoratur.* Wak. ex ingenio dedit *nec res remoræ fit ;* forsan non male, præsertim quum incerta sit codd. lectio. Vulgatam tamen nos sequimur, quæ plana est. Ed.

158. *Ipsa, suis e partibus unum.* Id est, ipsa rerum primordia quum simplicibus partibus constent, et unumquid efficiant, ideo simplici impetu feruntur in unum locum in quem ire cœperunt.

162. *Multiplexque loci spatium,* etc. I. e. majus et amplius spatium ac intervallum. Hi duo vss. repetuntur IV, 208.

163. *Pervolgant,* pervolitant, permeant : vel potius complent, celebrant, perfundunt. *Lamb.*—Sic vs. 346; IV, 208. — *Fulgura,* lumina, radii, fulgor.

164. *Nam neque,* etc. Profecto enim principia non possunt natura aliqua deliberatione habita tardius moveri, neque consilium ineunt, ut se suosque motus regant et disponant. *Fayus.* — Occurrit adversario, eique perfugium adimit. Cf. I, 1020.

165. *Nec persectari.* Neque persequi res singulas debent primordia, ut deliberent, etc. Hav. cum vulgaribus edd. *perscrutari ;* cf. IV, 1007.

167. *At queidam contra hæc,* etc. Ex occasione data Stoicos arguit inscitiæ, qui mundum a Deo creatum propter homines crediderint, quia sibi finxerunt rerum statas et ratas mutationes fieri non posse sine Deorum opera et potentia. Quasi vero, inquit impius Providentiæ impugnator, natura atomorum satis per se, et sine Deorum numine, propensa non sit in hominum certa commoda. Deinde jactat se, omni etiam primordiorum notitia remota, posse ex ipsis cœli rationibus, hoc est, ex ipso cœlo petitis, et aliis pluribus argumentis probare, neque atomorum naturam, neque naturam universam a Deo creatam esse, ac divina providentia gubernari. Quam disputationem in aliud tempus aliumve in locum differt; nimirum V, 157 sqq. et 417 sqq. *F.*

Naturam non posse Deum sine numine reddi
Tantopere humaneis rationibus admoderate;
Tempora mutare annorum, frugesque creare;
Et jam cetera, mortaleis quæ suadet adire,
Ipsaque deducit dux vitæ, dia Voluptas,
Ut res per Veneris blanditim secla propagent,
Ne genus occidat humanum : quorum omnia causa
Constituisse Deos quom fingunt, omnibu' rebus
Magnopere a vera lapsei ratione videntur.
Nam quamvis rerum ignorem primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis cœli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus esse creatam
Naturam mundi; quamque hæc sint prædita culpa;
Quæ tibi posterius, Memmi, faciemus aperta:
Nunc id, quod superest, de motibus expediemus.

168. *Reddi.* Alii *rentur,* contra codices; forsan ex interpretatione natum. Supple : *at quidam ignari contra hæc* aiunt, objiciunt naturam atomorum non posse *reddi tantopere admoderate,* adeo admoderatam et consentaneam humanis rebus. Vide Disq. var. ad vs. 169. Ed.

170. *Tempora mutare,* etc. Aiunt atomos non posse varias vices quatuor anni tempestatibus afferre. Ed.

171. *Et jam cetera.* Supple : peragere, vel simile quid. Alii legunt *nec jam;* frustra et contra codd.

172. *Ipsaque deducit.* Et ad quæ homines quasi manu ducit voluptas. Vide ad I, 22 sqq.

173. *Res Veneris* prorsus exprimit Græcorum τὰ ἀφροδίσια, ut infra vs. 437, et V, 846. — *Blanditim.* Sic *blandus labor* apud Virg. G. III, 127. — *Secla propagent.* I, 21.

174. *Quorum.* In nomine possessivo *humanum* inclusum est primitivum *homines. Lamb.* — Sic bene; nolim autem accipere *humanum* pro *humanorum.* Ceterum vide not. ad I, 353.

175. *Omnibu' rebus.* Wak. distinxit, *quom fingunt omnibus rebus, magno opere.* Sed illud *omnibu' rebus* potius ad apodosin pertinere videtur. *Forb.*

176. *Magnopere,* etc. I, 638, 712.

177. *Nam quamvis,* etc. Id est, si concessero me ignorare; quod tamen neutiquam concesserim. *Wak.* — Vide ad V, 196, et infra Disq. var.

178. *Ex cœli rationibus,* ex ipsa cœli natura, ex ipso cœlo. I, 49.

179. *Reddere,* ostendere, ob oculos ponere, colligere, declarare.

180. *Divinitus,* dei mente factam, Deorum providentia creatam.

181. *Naturam mundi,* mundum. — *Quamque hæc sint,* etc. Possim multis argumentis probare mundum non a Diis nostri causa fabricatum, immo vitiosum et defectibus plurimis laborantem. — *Quamque,* et quantum. V. Disq. var. Ed.

182. *Posterius.* Infra V, 201, et seqq.

Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus
Confirmare tibi; nullam rem posse sua vi
Corpoream sursum ferri, sursumque meare.
Ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem;
Sursus enim vorsus gignuntur, et augmina sumunt;
Et sursum nitidæ fruges, arbustaque crescunt,
Pondera, quantum in se est, quom deorsum cuncta ferantur.
Nec quom subsiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma degustant tigna trabeisque,
Sponte sua facere id sine vi subigente putandum est:
Quod genus, e nostro quom missus corpore sanguis
Emicat, exsultans alte, spargitque cruorem.
Nonne vides etiam, quanta vi tigna trabeisque
Respuat humor aquæ? Nam, quo magis ursimus altum

184. *Nunc locus est*, etc. His 33 vss. expedit modo quæ de duplici motu atomorum, naturali, et violento, supererant. Dixerat quippe supra vs. 79 sqq. atomos naturali motu deorsum deprimi, violento vero sursum tolli. Quia vero noverat sensus ipsos huic doctrinæ contradicere, quum videatur ignis naturaliter sursum ferri, segetes in altum crescere, sanguis e venis missus alte exsultare: jam docet nullam rem vi sua ac suo naturali nisu ferri sursum; sed quia violentia comprimuntur. Rem illustrat exemplo trabis, quæ gravi pondere pollens, ex aquis tamen emergit. Igitur non vi sua sursum tolluntur flammæ: sed violentia, et compressione rei alterius; aeris scilicet. Quod et exemplo nocturnarum flammarum confirmat, quæ per æthera volitantes non sursum tamen, sed deorsum in terras, qua natura dedit meatum, labuntur. Hinc colligere est nullam rem corpoream vi sua sursum ferri, sed violentia tantum. Hinc duplex atomorum, quæ corpora sunt, motus astruitur; naturalis et violentus. *F.*

187. *Flammarum corpora*, flammæ, quæ corporeæ sunt.

188. *Sursus ...vorsus.* Sursum versus tendit flamma quum generatur, et quum sumit incrementum.

189. *Nitidæ fruges.* I, 253.

190. *Pondera*, pondere constantia corpora: gravitate prædita.—Malit Wak. *pondere*, id est, suo pondere naturaliter deprimente. Nihil mutandum.

191. *Subsiliunt*, sursum saliunt.—Id est, *de sub* saliunt, ex inferiore loco saliunt; sic *submittere* I, 8. *Wak.*

192. *Degustant flamma*, depascunt, lambunt, ut passim apud poetas.

194. *Quod genus*, quale genus est; cujus generis est; qualis est sanguis. Sic III, 222, 277, 432; IV, 272; V, 479, etc.—*Missus sanguis.* Technica phrasis; Cels. VI, 14. *Wak.*

195. *Cruorem*, sanguineas guttas; cruentum humorem. *Sanguis*, ubi venis effusus est, proprie *cruor* dicitur.

196. *Tigna trabeisque.* Id est, etiam ligna tantæ magnitudinis. *Wak.*

197. *Quo magis.* Alii, *quam magis*,

Directa, et magna vi multei pressimus ægre,
Tam cupide sursum revomit magis atque remittit;
Plus ut parte foras emergant exsiliantque?
Nec tamen hæc, quantum est in se, dubitamus, opinor,
Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.
Sic igitur debent flammæ quoque posse per auras
Aeris, expressæ sursum, succedere, quamquam
Pondera, quantum in se est, deorsum deducere pugnent.
Nocturnasque faceis, cœli sublime volanteis,
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,
In quasquomque dedit parteis natura meatum?
Non cadere in terram stellas et sidera cernis?
Sol etiam summo de vortice dissupat omneis
Ardorem in parteis, et lumine conserit arva:
In terras igitur quoque solis vergitur ardor.
Transvorsosque volare per imbreis fulmina cernis:

ut opponatur rectius *tam;* non opus est; I, 537. — *Ursimus,* cum vi impulimus in profundum.

198. *Directa,* scilicet *tigna.* Malit Wak. ad τὸ *directa* subaudi *via;* non male. Ed. — *Multei pressimus* pro *multum,* solemni satis elegantia sermonis. *Wak.*

199. *Cupide.* Eleganter et magnifice animalium affectum ad res inanimatas transtulit. *Wak.* — *Revomit.* Alii, *removet:* minus eleganter. — *Remittit.* Virg. Georg. II, 218.

200. *Plus ut parte.* Ut non modo quadamtenus, aliqua sui parte, quod fit naturaliter; sed prorsus et in totum extra aquam impetu quodam exsiliant. Noster rem in majus auget, quæ argumentationi inserviat. Alii int. *plus media sui parte.* Wak. *majore parte quam antea;* quia post impulsum *parte,* magis quam prius, solent emergere. Lector eligat; id quod magis probandum mihi videtur, exposui. Ed.

201. *Quantum est in se,* sua vi, et naturaliter; vs. 247.

204. *Succedere,* sursum cedere, moveri, ferri, exilire; vide ad vs. 191.

205. *Deducere,* deprimere, deferre eas.

206. *Faces.* Intelligo corpora μετέωρα causis ex obscuris ignescentia, et impetu subitaneo cœlum transcurrentia. *Wak.* — *Cœli sublime.* Id est, per sublime cœli. Sic bene, opinor, Wak. alii *faces cœli* jungunt, et *sublime* adverbialiter dictum volunt, collato Virg. Æn. X, 664; nec male tamen. Ed.

207. *Longos flammarum tractus.* Cf. Virgil. Georg. I, 367; Æn. V, 528. Manil. I, 845.

210. *De vortice,* ex alto cœli culmine.

211. *Lumine conserit arva,* i. e. complet, collustrat; dispergit lumen per arva. *F.* — Vide ad vss. 143, 147.

212. *Vergitur,* profunditur; vide ad V, 1008. Quidam legunt *spargitur.*

213. *Transvorsos.* Non retinet is hoc loco propriam significationem, sed tan-

Nunc hinc, nunc illinc abruptei nubibus ignes
Concursant; cadit in terras vis flammea volgo.
Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus :
Corpora, quom deorsum rectum per inane feruntur,
Ponderibus propriis incerto tempore ferme,
Incertisque locis, spatio depellere paullum :
Tantum quod minumum mutatum dicere possis.

tummodo : « A tractu fulminis diversos ». Forsan *transvorsomque ;* ut obliquitas motus redeat ad *fulmina*. Sic Lucan. I, 154. *Wak.*

214. *Nunc hinc, nunc illinc.* Ostendit flammas in quascumque partes indifferenter ferri ; sursum, deorsum, vel transverso cursu. *W.* — Hinc vir cl. omni ope contendit legendum *heic, illic ;* id est, ignes e nubibus erumpentes ad *hunc* vel ad *illum* locum nullo discrimine concurrunt. Possit tamen vulgata accipi non diverso admodum sensu : fulgura *nunc hinc, nunc illinc* diversis e partibus, ideoque vel deorsum vel transversim nubes rumpentia sæpius pervagantur. Ed. — *Abruptei*, etc. Conf. Virg. Æn. III, 199 ; Stat. Theb. I, 353.

215. *Vis flammea*, fulmen ; VI, 296. — *Vulgo.* Quasi dixerat : Non raro ad ipsas terras, itinere directo et naturæ suæ conveniente, cadit flamma ; adeo ut obliqui ejus motus a vi quadam externa deriventur. *Wak.*

216. *Illud in his quoque*, etc. His 77 vss. nempe ab hoc vs. 216, ad vs. 293, disputat de atomorum motu, quem declinationis motum appellat. Hactenus igitur de atomorum utroque motu, naturali deorsum, et violento sursum. Jam tertium motus genus in atomis notat et explicat, quem naturalem etiam motum esse vult, sed declinationis. *F.* — Ad rem cf. Cicero copiose et ex professo disserens, De fin. I, 6 ; item De nat. D. I, 25. Vide etiam quæ *Bayle*, sub voce *Épicure*, ad finem. Ed.

217. *Deorsum rectum.* Wak. miratur Lucretium non scripsisse *deorsum rectâ ;* sed vide statim vs. 226, et duo adverbia vel adjectiva, sine copula conjuncta, attentum hujus poetæ lectorem offendere nequeunt. Ceterum duo commata, quibus Wak. verba *per inane* inclusit, delevi. *Forb.* — *Rectum*, recta via ; ad lineam, ut ait Cic. Alii jungunt *rectum per inane ;* id est, motu perpendiculari ; minus bene.

218. *Incerto tempore.* Ait poeta atomos deorsum latas declinare paullulum, ita ut, neque quo loco, neque quanto temporis spatio declinent, quisquam percipere tamen queat. *F.*

219. *Depellere.* Sic omnes MSS ; et bene restituit Wak. Vulgo editi, *decedere*, vel *se pellere.* Sed non semel apud poetas activa forma pro passiva occurrit ; hic ergo *depellere* pro *depelli* positum putem. Conf. III, 570, et quæ notantur supra ad I, 787, 1090. Ed.

220. *Tantum quod.* Id est, in *tantum* intervallum declinare, ad *quod* possis dicere minimam a linea mutationem fieri. *Wak.* — *Tantum quod.* Est usitata scriptoribus locutio. Sic Sueton. Oct. 63 : « filio tantum quod pueritiam egresso » ; ib. 98 ; Liv. XXII, 2, et XXXIII, 4, al. — *Minimum.* Cicero De fato, 20 : « Cur declinet atomus uno *minimo*, non declinet duobus, aut tribus ? » Sic Lucret. infra vs. 244. Alii legunt *momen ;* quod vocabulum significat exiguum et loci et temporis intervallum. Turnebus volebat *momen mutatus*, id est, muta-

Quod nisi declinare solerent, omnia deorsum,
Imbris uti guttæ, caderent per inane profundum;
Nec foret offensus natus, nec plaga creata
Principieis; ita nil unquam natura creasset.
Quod si forte aliquis credit graviora potesse
Corpora, quo citius rectum per inane feruntur,
Incidere ex supero levioribus, atque ita plagas
Gignere, quæ possint genitaleis reddere motus;
Avius a vera longe ratione recedit.
Nam per aquas quæquomque cadunt atque aera deorsum,
Hæc pro ponderibus casus celerare necesse est;
Propterea, quia corpus aquæ naturaque tenuis
Aeris haud possunt æque rem quamque morari;

tionis; Gassendus *minimum momentum.*

221. *Quod;* I, 222.—*Nisi declinare,* etc. Breviter vss. quatuor hunc motum declinationis admittendum docet, alioquin disjuncta semper et discreta ferrentur semina, tanquam imbris guttæ; nullæ forent adhæsiones et complexiones atomorum, et proinde nulla res composita. *Creech.*

223. *Offensus.* Id est, occursus, conflictus; inf. vs. 438.

225. *Quod si forte aliquis,* etc. His 18 vss. occupatio est. Potuit enim aliquis Lucretio objicere inepte excogitatum esse motum declinationis in atomis ad rerum generationes; quum atomi graviores cadentes recte deorsum, dum prævenient leviorum casum, infligere possint his levioribus, quas superant, plagam, motumque genitalem ita ciere. Respondet Lucretius, quum jam satis superque probatum sit atomos omnes moveri per inane, necesse esse ut leviores atomi æque celeriter moveantur et deorsum ferantur per inane, atque illæ, quæ graviores sunt. Ubi enim nulla est resistentia, ibi momentis æquis corpora ferri debent. Valeret, inquit, hæc quidem ratio, si non esset inane vacans, per quod ferrentur atomi, sed corporibus esset plenum: sicut v. g. quæ corpora cadunt per aquas, et per aerem, ea, pro sua majori aut minori gravitate, magis aut minus celeriter feruntur; quia nec aqua, nec aer sunt inane vacans. *F.—Potesse,* posse. I, 666.

226. *Rectum per inane.* Cf. vs. 217.

227. *Incidere levioribus,* cadere in leviora; hoc est, in ea corpora, quæ propter levitatem tardiora labuntur. Sic vs. 240. *F.* — *Ex supero.* Scilic. loco; superne; infra vss. 241, 248.

228. *Genitaleis motus,* valentes ad rerum generationem: per quos natura gerat, aut gignat res: infra vss. 242, 572. *F.*

229. *A vera ratione.* I, 880.

230. *Atque aera.* Supple *per.*

231. *Pro ponderibus,* pro minori aut majori gravitate.

232. *Corpus aquæ,* aqua, quæ corporea est. — *Tenuis;* I, 875.

233. *Æque,* æqualiter. Namque aer minus est pleno corpore, quam aqua; ideoque minus resistit corporibus, et eorum motus impedit.

Sed citius cedunt, gravioribus exsuperata.
At contra nulli, de nulla parte, neque ullo
Tempore, inane potest vacuum subsistere rei;
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
Omnia quapropter debent per inane quietum
Æque, ponderibus non æquis, concita ferri.
Haud igitur poterunt levioribus incidere unquam
Ex supero graviora, neque ictus gignere per se,
Quei varient motus, per quos natura gerat res.
Quare etiam atque etiam paullum inclinare necesse est
Corpora, nec plus quam minumum; ne fingere motus
Obliquos videamur, et id res vera refutet.
Namque hoc in promtu manifestumque esse videmus;
Pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare,
Ex supero quom præcipitant, quod cernere possis.

234. *Sed citius cedunt.* Sed facilius a gravioribus (quam a levioribus) corporibus dividuntur et removentur. *Creech.*

236. *Subsistere*, vicem fundamenti præstare rebus, I, 1078.—*Rei;* vs. 111; I, 689.

237. *Quin, sua quod natura*, etc. Id est, quin liberum meatum præbeat; quod quidem inanis natura postulat. Vide ad I, 1079. *F.*

238. *Omnia.* Suppl. tam levia, quam gravia corpora : res omnes. — *Inane quietum.* Id est, corporibus transitum *quietum* præbens, nihilo remorante, offendente. Virg. Æn. V, 216, « aere lapsa *quieto* ». Cf. Epicur. apud Diogen. Laert. X, 61. *Wak.*

239. *Ponderibus non æquis.* H. e. etiamsi non constent æquali gravitate, aut levitate. *F.*

240. *Levioribus incidere*, cadere in leviora, vs. 227.

241. *Ex supero.* Cf. vs. 227.

243. *Quare etiam atque etiam*, etc. His octo vss. concludit quam minimum declinare atomos a recta via, dum ex supero deorsum feruntur. Scilicet quia sensus docet nos pondera, dum deorsum feruntur, nullo modo per obliquam viam, sed recta præcipitari; ne novos motus obliquos atomis assereret gratis, excogitavit Epicurus paullulum declinare illas, sed nec plus quam minimum deflectere ad hoc, ut fierent complexiones, adhæsiones, et rerum concretiones : nec oculis illam declinationem cerni posse. *F.* — *Inclinare.* De recta linea deflectere; intransitive.

244. *Corpora*, atomos.—*Ne fingere.* Quasi vero non satis esset ad libidinem fictionis, saltem physico, in hoc ipso clinamine principiorum! *Wak.*

246. *In promtu*, in aperto : ante oculos positum, vs. 148.

247. *Quantum in se est*, ex natura sua, vs. 205.

248. *Præcipitant*, in præceps cadunt; neutre, pro *præcipitantur*, ut Virg. Æn. II, 9. *Wak.* — *Quod cernere possis.* Et hoc ipsi oculi demonstrant.

Sed nihil omnino recta regione viai
Declinare, quis est, qui possit cernere, sese?
  Denique si semper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur semper novus ordine certo;
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat,
Ex infinito ne causam causa sequatur:
Libera per terras unde hæc animantibus exstat,
Unde est hæc, inquam, fatis avolsa voluntas,
Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas;
Declinamus item motus, nec tempore certo,

249. *Sed nihil omnino.* Sensus est: Sed quis oculus tam acutus esse potest, qui sentiat corpora *nihil omnino*, nullatenus, nullo modo a recta linea deflectere?

250. *Declinare sese.* Sic Virgil. Æn. IV, 185, «nec dulci declinat lumina somno»; et mox vs. 259. — Sic etiam Plaut. Aul. IV, 8, 11; Ovid. Met. II, 138; nec aliter explicandos duco Liv. XXXVI, 23; XLII, 63, et similes locos. *Forb.*

251. *Denique, si semper,* etc. His 21 vss. alteram reddit rationem ex Epicuro Lucretius, ob quam atomos paullulum declinare voluit; scilicet ne fato fierent omnia. Sic autem ratiocinatur: Nisi atomi aliquando declinarent, sed semper gravitate necessaria ferrentur deorsum ad lineam, mens hominis et brutarum animantium appetitus ita moverentur atomorum motu, ut cogerentur. Namque causa causam sequeretur ex infinito, hoc est, fieret sempiterna causarum series; quum novus motus semper motum exciperet certo ordine, certaque serie. Igitur necesse est atomos paullulum declinare, ut certus is ordo, certave series motus non semper convertatur, sed incerto tempore, incertave regione loci fiat, ut libertas homini, et brutis etiam animantibus conservetur. Verum quam turpiter in his Lucretius hallucinatus sit, recte docet Cic. De fat. Bene autem est, quod Lucretius noluit omnia in nobis fieri jubenti fati necessitate: male vero quod hanc libertatem motus retulerit ad atomorum declinationem. *F.*

252. *Et vetere exoritur.* Si novus oritur semper ex vetere, si motus motum sequatur aut excipiat certa semper serie, certoque ordine.

253. *Primordia.* Si atomi declinando non faciunt quoddam motus initium, quod tollat fatum, seu fati necessitatem.

255. *Ex infinito.* Suppl. tempore: i. e. æterna, vel sempiterna, et quæ in infinitum semper progrediatur series causarum. *F.*

256. *Libera,* etc. Unde homini et animantibus ceteris libertas?

257. *Fatis avolsa.* Quasi, quæ in nobis sit libera voluntas, seu libertas, eam fatis eripuerimus, adeo ut jam nos non fatis agamur. *F.*

258. *Per quam progredimur,* cujus nutu huc et illuc pro lubitu movemur. — *Voluptas.* Conf. Virg. Ecl. II, 65.

259. *Declinamus item.* Junge cum præcedd. Et per quam (voluntatem) dirigimus motus nostros non certo et definito tempore, aut loco, sed prout et quando ipsi animo placuit. Ed.

Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens?
Nam dubio procul heis rebus sua quoique voluntas
Principium dat; et hinc motus per membra rigantur.
Nonne vides etiam, patefactis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum
Vim cupidam tam de subito, quam mens avet ipsa?
Omnis enim totum per corpus materiai
Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis, ut studium mentis connexa sequatur:
Ut videas initum motus a corde creari,
Ex animique voluntate id procedere primum;
Inde dari porro per totum corpus et artus.
Nec simile est, ut quom impulsei procedimus ictu,
Viribus alterius magnis magnoque coactu;
Nam tum materiem totius corporis omnem
Perspicuum est nobis invitis ire rapique,

260. *Ubi.* Sic codices; minus bene, opinor, Wak. et Forb. *uti;* nam sensus est: *sed* in hoc tempore, et in hac regione, *ubi*, etc. Ed.

261. *His rebus*, huic facultati libere agendi.

262. *Hinc*, ab ipsa voluntate, quæ principium et origo motus est in nobis. Sic vss. 269, 270. *F.* — *Rigantur*, dispersguntur, diffunduntur, propagantur.

263. *Nonne vides etiam*, etc. His 9 vss. docet brutis animantibus etiam inesse mentis libertatem ex eadem atomorum declinatione. *F.* — *Tempore puncto.* Sic inf. 456; alii quidam maluere *tempori puncto;* male.

264. *Carceribus.* Ad rem confer Virg. G. III, 103, et Stat. Theb. VI, 391.

265. *Vim cupidam.* Sic *canum vis* apud Virg. Æn. IV, 132. — *De subito.* Sic III, 643; ut alii dicunt *derepente.* Sic I, 412, «de plano».—*Mens*, appetitus ipse innatus, quo ducuntur brutæ animantes. Sic I, 262. *F.*

266. *Omnis enim totum*, etc. Motus voluntarios animalium obiter, nec inepte explicat: vult ipse animus, deinde colligit spiritus, qui sibi obsequantur, per nervos in membra dirigit, languidos fovet, novos et vigentes subministrat: ita movetur animal, et continuatur illius motus. *Cr.*

267. *Conquiri*, colligi, convenire.

269. *Initum.* I. e. initium; I, 13, 384.

271. *Porro.* Per alterius progressionem; ἑξῆς.

272. *Nec simile est*, etc. His 12 vss. probat ab dissimili exstare in nobis liberam mentis voluntatem seu libertatem; docetque motum violentum et necessarium a libero distingui in eo, quod ille procedat a vi externa, hic vero ab interna facultate. *F.*

273. *Coactu.* Qua voce Cæsar usus est, Bell. G. V, 27. *Wak.*

274. *Materiem totius corporis.* Totum corpus; totam corporis molem.

275. *Nobis invitis*, nobis non adjuvantibus, imo reluctantibus. *F.*

Donec eam refrenavit per membra voluntas.
Jamne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellat, et invitos cogat procedere sæpe,
Præcipitesque rapi; tamen esse in pectore nostro
Quiddam, quod contra pugnare obstareque possit:
Quojus ad arbitrium quoque copia materiai
Cogitur interdum flecti per membra, per artus;
Et projecta refrenatur, retroque residit?
Quare in seminibus quoque idem fateare necesse est;
Esse aliam præter plagas et pondera causam
Motibus, unde hæc est ollis innata potestas;
De nihilo quoniam fieri nil posse videmus.
Pondus enim prohibet, ne plagis omnia fiant,
Externa quasi vi: sed ne mens ipsa necessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agundis,
Et, devicta quasi, cogatur ferre patique;

276. *Eam*, id est, corporis materiem ictu impulsam; corpus impulsum.

277. *Extera*, externa, aliena. Sic vs. 289. Lamb. *extima*, minus bene.

279. *In pectore nostro*, in nobis, vel in mente nostra.

282. *Flecti*, moveri, sequi, obsequi. —*Per membra, per artus*. Per membra et eorum commissuras. Ita Virg. Æn. V, 422, *membrorum artus. Wak.*

283. *Et projecta*. Spiritus aliquando per nervos in membra emittuntur, emissi aliquando inhibentur, et retro fluere coguntur. *Cr.*

284. *Quare in seminibus*, etc. E libertate voluntatis motum declinationis vss. 10 demum adstruit. Ex ictu nunquam nascetur ista libertas, ictus quippe est vis externa, quæ libertati maxime adversatur; pondus, licet sit principium motus internum, dum tamen deorsum eodem semper tenore tendat, non minus adversatur libertati, quam ipse ictus; sola igitur restat declinatio, quæ nec certo tempore, nec certo loco facta necessitatem istam, quam et ictus et pondus inducunt, evitat, et rumpit fati fœdera. *Creech.*

285. *Præter plagas et pondera*, præter motum ab ictu et a gravitate, supra vs. 83 sq. *F.*

286. *Unde*, ex qua alia causa, ex hoc declinationis motu. — *Ollis*, seminibus. — *Potestas* non ad rectam lineam eundi. Alii legunt *nobis... potestas*, id est, libertas.

287. *De nihilo*, etc. Quia nihil potest esse sine causa, quia nihil ex nihilo.

288. *Pondus*. Quo solo scilicet agente, omnia corpora ad perpendiculum sine mutuis collisionibus deferrentur. *Wak.*

289. *Necessum*, necessitatem. Vide Disq. var.

290. *Intestinum*, intimum, intus residens, proprium.

291. *Ferre patique*. Hor. Ep. I, 15, 17.

Id facit exiguum clinamen principiorum,
Nec regione loci certa, nec tempore certo.
Nec stipata magis fuit unquam materiai
Copia, nec porro majoribus intervallis :
Nam neque adaugescit quidquam, neque deperit inde.
Quapropter, quo nunc in motu principiorum
Corpora sunt, in eodem ante acta ætate fuere,
Et posthac semper simili ratione ferentur :
Et quæ consuerunt gigni, gignentur eadem
Conditione; et erunt, et crescent, inque valebunt,
Quantum quoique datum est per fœdera naturai :
Nec rerum summam commutare ulla potest vis.
Nam neque, quo possit genus ullum materiai
Effugere ex omni, quidquam est; neque rursus, in omne

292. *Clinamen*, declinatio. — Vox Lucretio propria, nec ullo alio loco nobis cognito occurrens, recte tamen a verbo simplici *clinare* derivata; VI, 563. *Forb.*

293. *Nec regione loci*, etc. Sic vs. 259, 260.

294. *Nec stipata magis*, etc. His 14 vss. jam docet atomos in eodem per anteactam ætatem motu fuisse, ac fore per futura secula, quo nunc sunt. Quod quidem probat ex triplici argumento. 1° Ex ipsa principiorum dispositione, seu natura, quæ talis est, ut neque depravari neque mutari possit unquam, quum neque magis solida neque rariora esse queant, quam sint, neque augeri aut minui, quia simplicissima sunt, ut probatum est I, 575; 2° ex ipso genitabili eorumdem motu, quo res gignuntur, augentur, et aluntur eadem semper et immutabili lege, etc. 3° Ex ipsa principiorum perenni præsentia, quippe quia nullus potest dari locus, extra hoc universum, aut in quem ipsa effugiant et recedant, quorum abitu res cunctæ intereant : aut ex quo vis aliqua exterior ac nova veniat, quæ ipsorum motus genitales impediat, cœtum pervertat, ac totam rerum summam immutare valeat. *F.* — *Stipata magis*, solida magis, magis plena.

295. *Majoribus intervallis.* Hoc est, rarior.

296. *Inde*, ex copia materiai. Scilicet neque minuitur, neque augetur atomorum numerus. *F.*

300. *Et quæ consuerunt*, etc. His 3 vss. continetur argumenti altera pars.

301. *Inque valebunt.* Tmesis est, pro *invalebuntque;* i. e. vigebunt, robur acquirent. *F.*

302. *Per fœdera naturai*, per naturæ leges; a natura sic jubente.

303. *Nec rerum summam*, etc. His 5 vss. continetur tertia pars argumenti. — *Rerum summam*, res cunctas : universam rerum naturam, vs. 307.

304. *Quo possit*, etc. Nullus est locus in quem recedere possit aliqua materiæ particula ex universo effugiens; neque ullus omnino locus, e quo nova vis queat in universum irrumpere, et naturam rerum, ac motus genitales seminum mutare. *Creech.*

Unde coorta queat nova vis irrumpere, et omnem
Naturam rerum mutare, et vortere motus.
Illud in his rebus non est mirabile, quare,
Omnia quom rerum primordia sint in motu,
Summa tamen summa videatur stare quiete;
Præterquam si quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longe nostris ab sensibus infra
Primorum natura jacet : quapropter, ubi ipsam
Cernere jam nequeas, motus quoque surpere debent:
Præsertim quom, quæ possimus cernere, celent
Sæpe tamen motus, spatio diducta locorum.
Nam sæpe in colli, tondentes pabula læta,
Lanigeræ reptant pecudes, quo quamque vocantes

308. *Illud in his rebus*, etc. His 25 vss. occupatio est, quam solvit poeta. Potuit enim cuiquam mirum videri atomos perenni et assiduo motu ferri per universum, inane, quum tamen ipsum universum videatur omnino immotum et quietum. Nihil, inquit, in eo mirandum est. Quod enim aliquando rerum distantia facit, ut distincte et clare res ipsas cernere non possimus, v. g. res, quæ moventur, videantur tamen quasi immotæ; id atomorum parvitas efficit, ut sicut illarum natura, ita etiam motus non cadat sub sensus nostros. Talis enim est atomorum natura, ut procul ab sensibus nostris stet : sunt quippe corpora cæca, ut dictum est I, 269. Rem autem illustrat duplici exemplo; ovium scilicet in colle procul pascentium, et militum qui per campos longe discurrunt. Argumentum autem est a fortiori, ut aiunt : quasi dicat : Sunt quædam res, quas bene cernimus oculis; sed quarum motus percipere oculis non possumus. Ergo nil mirum si atomorum motus sub sensus nostros non cadat, quum illarum naturam non videamus. *F.*

310. *Summa tamen summa*. Duo hæc vocabula inter se opposuisse videtur poeta, nescio an feliciter. Ed.

311. *Præterquam si quid*. Exceptis tamen illis rebus, quæ peculiares et proprios motus per se habent; animantes puta, aerem, vel aquam. Alteram quoque loci constructionem proponit Wak., ut *quid motus* dictum sit pro *aliquem motum*; quod minime placet. Ed.

312. *Infra*. Per tacitam comparationem dictum; non magis quam res longissime dissitæ, vel etiam sub terra positæ. *Wak.*

313. *Primorum*, principiorum, atomorum. — *Ubi ipsam*. Quasi dicat : Quum ipsam tibi naturam suam non ostendant, quum se ipsa oculis tuis subtrahant, necesse est etiam motus suos abscondant. Male Fayus interpretatur : *in quo loco* ... in eodem motus illorum debent *sese* subducere, etc. Ed.

314. *Surpere*, pro *subripere*; sic Horat. Od. IV, 13, 20; Sat. II, 3, 283.

317. *In colli*, in colle, in clivo. Sic vs. 322. — Vide Disq. var. ad I, 977.

318. *Reptant*, pedetentim progrediuntur; tardis passibus promoventur. Horat. Epist. I, 4, 4. — *Quo*, in quas loca.

Invitant herbæ gemmantes rore recenti;
Et satiatei agnei ludunt, blandeque coruscant:
Omnia quæ nobis longe confusa videntur,
Et veluti in viridi candor consistere colli.
Præterea, magnæ legiones quom loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes;
Fulgur ubi ad cœlum se tollit, totaque circum
Ære renidescit tellus; subterque virum vi
Excitur pedibus sonitus, clamoreque montes
Ictei rejectant voces ad sidera mundi;
Et circum volitant equites, mediosque repente
Transmittunt, valido quatientes impete, campos:
Et tamen est quidam locus altis montibus, unde
Stare videntur, et in campis consistere fulgur.
Nunc age, jam deinceps cunctarum exordia rerum,

319. *Gemmantes rore*, perfusæ rore, cujus nitore, tanquam gemmæ, nitescunt herbæ. Sic V, 462. *F.*

320. *Coruscant.* Ita Juvenalis XII, 6, de hostia : « frontemque coruscat ». Intransitive autem, ut Noster, Virg. Georg. IV, 73 : « pennisque coruscant ». *Wak.* — Vide Disq. var. Ad rem conf. Virg. G. II, 526.

322. *Viridi candor.* Pulchra est et ornatus vere poetici hæc oppositio. *W.*

324. *Belli simulacra cientes.* Sic vs. 41.

325. *Fulgur*, fulgor, splendor, vs. 332, et alibi passim.

326. *Ære renidescit tellus.* Sic Virg. Georg. II, 281 : « late fluctuat omnis Ære renidenti tellus, etc. » Est autem *ære*, armorum æneorum nitore.

327. *Excitur pedibus sonitus.* Memor erat loci Virg. ad Æn. XII, 445. *W.*

328. *Ad sidera mundi*, ad cœlum. Cf. Virg. Ecl. VI, 84.

329. *Volitant.* Ita solent poetæ loqui de turmis equitum. *Wak.*

330. *Transmittunt.* Virgil. Æneid. IV, 154.

332. *Stare videntur.* Equites circum volitantes videntur stare, et fulgur fluctuans legionum consistere. *Wak.*—Vid. Disq. var.

333. *Nunc age, jam deinceps*, etc. Hactenus de motu atomorum, quæ prima est earum affectio, seu qualitas; nunc autem ab hoc vs. 333, ad 528, disputat de atomorum figuris, quæ altera est earum qualitas. De his autem tria docet, 1° multigenis figuris atomos esse variatas; vs. 333 ad vs. 478; 2° figurarum varias quidem et dissimiles esse species, sed numero finitas; vs. 478 ad 522; 3° sub finitis quibusque figurarum istis speciebus infinitas contineri atomos; vs. 522 ad 528. *F.* — His autem 9 vss. docet atomos debere inter se differre figuris ac formis, quia infinitæ sunt numero. Incongruum enim foret illas omnes eodem esse filo, seu eadem textura; hoc est, eadem forma aut figura exteriore constare. *F.*

Qualia sint, et quam longe distantia formis,
Percipe, multigenis quam sint variata figuris:
Non quo multa parum simili sint prædita forma,
Sed quia non vulgo paria omnibus omnia constant.
Nec mirum: nam quom sit eorum copia tanta,
Ut neque finis, uti docui, neque summa sit ulla;
Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo, similique affecta figura.
Præterea genus humanum, mutæque natantes
Squamigerum pecudes, et læta armenta, feræque,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant, circum ripas fonteisque lacusque,
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes:
Quorum unum quodvis generatim sumere perge;
Invenies tamen inter se differre figuris.
Nec ratione alia proles cognoscere matrem,

335. *Multigenis*, variis, diversis, dissimilibus.

336. *Non quo.* Alii, *non quod,* eodem plane sensu; sed minus docte, ait Wak. — *Multa parum.* Eadem locutio infra vs. 692. Non quod *parum multa,* pauca sint prædita figura simili, immo infinita sunt et vulgo difficile distinguenda; sed omnibus proprium inest et peculiare aliquid, ut nulla fere forma similis omnino constet. Vide ad vs. 693. Ed.

339. *Uti docui.* Lib. I, vs. 952 sqq.

341. *Pari filo,* simili textura. Sic IV, 86. H. e. forma, figura. — Ego *filo* retulerim ad finientes corporum lineas, et *figura* ad solidam et integram speciem. Has duas res vocitat Gellius, I, 9, « filum atque habitum totius corporis ». *Wak.*

342. *Præterea genus humanum,* etc. Secundo vss. 7 variæ principiorum figuræ arguuntur ex eo, quod omnia naturalia ex iis contexta, homines, feræ, aves, pisces, etc. diversimode fingerentur. *Creech.* — *Mutæque.* Ad rem cf. Plin. XI, 112.

343. *Squamigerum pecudes,* pisces. Scilicet *pecus* dicitur de omni animante, præterquam de homine; I, 14.

344. *Variæ volucres,* dissimiles; vel diversicolores; vs. 144.—*Lætantia.* An grata? an fecunda? Sic *læta flumina* Virg. Georg. III, 310.

345. *Concelebrant,* frequentant, inhabitant, I, 4.—*Ripas fonteisque lacusque.* Sic omnes fere libri; Wak. autem, « ripas fontisque lacusque ».

346. *Pervolgant;* vs. 163.—*Pervolitantes;* vs. 144.

347. *Unum quodvis generatim,* quodlibet cujusvis speciei individuum, ut aiunt. *F.* — *Sumere perge,* quasi sume sigillatim unum post alterum. *F.*

348. *Differre figuris;* sic optimi codices. Alii, *distare figuras,* vel *figuris.*

349. *Nec ratione alia,* etc. Tertio his 22 vss. probat Lucretius atomos inter se

Nec mater posset prolem : quod posse videmus;
Nec minus, atque homines, inter se nota cluere.
Nam sæpe ante Deum vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen :
At mater, virideis saltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis;
Omnia convisens oculis loca, si queat usquam
Conspicere amissum fetum : completque querelis
Frundiferum nemus, adsistens; et crebra revisit
Ad stabulum, desiderio perfixa juvenci.
Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes,
Fluminaque ulla queunt, summis labentia ripis,
Oblectare animum, subitamque avortere curam :

distare formis; secus enim non possent fetus animalium agnoscere matrem, nec mater fetus. Qui enim possent, nisi differrent figuris? Rem vero illustrat exemplo vaccæ, quæ vitulum amissum, aut ad aras mactatum requirit. Probat et exemplo hædorum et agnorum, quorum balatum agnoscunt matres; et qui ad sua quisque matris ubera decurrunt. *F.*

351. *Nota cluere*, cognita esse, scil. animalia. Vide Disq. var. ad I, 120. De constructione autem cf. I, 191, 241. Ed.

352. *Delubra*, simulacra, statuas. Delubrum enim est fustis delibratus, hoc est, lignum teres, cui detractus est cortex, quod pro Deo venerabantur, inquit Festus. Sumitur et pro templo, in quo simulacra Deorum sunt. *F.*

353. *Turicremas.* Virg. Æn. IV, 453.

354. *Sanguinis exspirans*, etc. Virg. Æn. IX, 414.

355. *At mater*, etc. De materno affectu erga fetus vide Oppian. Ἁλιευτ. I, vs. 724; et Ovid. Fast. IV, 459. Stat. Theb. VI, 186.

358. *Querelis*, mugitibus, questibus.

359. *Adsistens.* Proximum, adjacens nemus; sic Fay. et Creech. Sed ego malui cum Lambino : luctu et dolore orbitatis perfixa ibi stans. Poeta enim matrem ostendit nunc inquirendo loca omnia circumeuntem, nunc stantem dum querulo mugitu vitulum vocat. Ed. — *Crebra*, crebro; Virg. G. III, 500.

360. *Ad stabulum ... revisit.* Elegans syntaxis. Sic V, 635; VI, 1238, « Visere ad ægros, etc. » Sic Plaut. Truc. II, 4, 79. — *Desiderio perfixa juvenci.* Dolore confecta de amisso fetu. Sic III, 306; Horat. Od. IV, 5, 15.

361. *Rore vigentes*, quia vigorem et vires ex rore ducunt herbæ.

362. *Ulla.* Sic ex omnibus fere libris restituit Forbiger. Wak. vero et Eichst. edidere *illa*, id est, « quibus dudum consueverat, et usque ad hanc horam tantopere delectabatur » ; artificiosius.

363. *Oblectare animum.* Sic Virg. G. III, 520. — *Subitamque.* Vult Wakef. hoc vocabulum exquisitiore sensu accipi, nempe : « id curæ quod eam *subiit* » ; quam explicationem pluribus exemplis tentat defendere. Ego tamen malim int. dolorem quo *repente* confecta est. Ed.

Nec vitulorum aliæ species per pabula læta
Derivare queunt animum, curamque levare :
Usque adeo quiddam proprium notumque requirit.
Præterea tenerei tremulis cum vocibus hædei
Cornigeras norunt matres, agnique petulci
Balatum pecudes : ita, quod natura reposcit,
Ad sua quisque, feri decurrunt ubera lactis.

Postremo quodvis frumentum, non tamen omne,
Quidque suo genere, inter se simile esse videbis,
Quin intercurrat quædam distantia formis :
Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Litoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.
Quare etiam atque etiam simili ratione necesse est,

365. *Derivare.* Idem quod sup. *avortere.* Vide Disq. var.

368. *Petulci.* Petulantes et petulci appellantur, inquit Festus, « qui protervo impetu et crebro petunt aliquem lædendi gratia. » *F.* — Virg. G. IV, 10.

369. *Balatum pecudes.* Hic codd. variant, alii *Balantum pecudes.* — Ordo est, *pecudes,* id est, oves norunt balatum agni. Et mihi potior lectio visa est, ut sit utrobique exemplum, tam parvulorum matres agnoscentium, quam matrum parvulos ; prout nuper juvencæ vitulum plorantis. *Wak.* — *Reposcit.* Pro simplice *poscit,* postulat.

370. *Feri.* In nominandi casu numeri pluralis. Virg. de cervo miti, Æn. VII, 489, *pectebatque ferum.* Minus bene Bentl. jungebat *feri lactis.* Vulgo legitur *fere ;* quod plurimi præstant codices. Doctior tamen mihi visa est a Wak. admissa lectio, quanquam Forbiger minus eam probet. Ed.

371. *Postremo quodvis,* etc. Quarto his 6 vss. probat Lucretius atomos inter se figuris distare ; argumentumque repetit ab exemplis frumentorum et conchārum ; quæ, licet res sint inanimatæ, varias tamen referunt figuras. *F.* — *Frumentum.* Vel repete voces *sumere perge* a vs. 347, aut nominativus esse pendens potest, ut vs. 342. *Wak.* — Jungi forsan possit *quodvis frum. videbis.*

372. *Quidque ;* ex *duobus* scilicet eodem genere frumenti *granis.* Cf. Quint. Inst. VII, 4 fin.

373. *Intercurrat formis.* Pari regimine Cicero Tusc. II, 15 : « exercitationibus dolor intercurrit ». Plin. Nat. H. XXXVII, 18. *Wak.* — *Distantia ;* mox vs. 525 ; IV, 638.

375. *Pingere,* variare, variis figuris ornare, distinguere. — *Telluris gremium.* Suaviter alludit ad picturata vestimenta ; nam *gremium* est expansum vestis receptaculum. W. — *Mollibus undis,* ob vicinitatem terræ sensim mitescentibus, et se levius litori affringentibus. Virg. IX, 817. *Wak.*

376. *Bibulam.* Virg. Georg. I, 114. — *Pavit.* Ab antiquo verbo *pavire,* quod est *ferire, sternere.* Alii *lavit.*

377. *Quare etiam atque,* etc. His 4 vss. concludit denique varias esse, et

Natura quoniam constant, neque facta manu sunt
Unius ad certam formam primordia rerum,
Dissimili inter se quadam volitare figura.
Perfacile est animi ratione exsolvere nobis,
Quare fulmineus multo penetralior ignis,
Quam noster, fluat, e tedis terrestribus ortus.
Dicere enim possis cœlestem fulminis ignem,
Subtilem magis, e parvis constare figuris;
Atque ideo transire foramina, quæ nequit ignis
Noster hic, e lignis ortus tedaque creatus.
Præterea lumen per cornum transit; at imber
Respuitur. Qua re? nisi luminis illa minora
Corpora sunt, quam de quibus est liquor almus aquarum.
Et quamvis subito per colum vina videmus
Perfluere; at contra tardum conctatur olivom:

dissimiles atomorum figuras; quia atomi natura constant: non autem arte factæ sunt ad aliquam unicam ideam, ad quam fieri solent pleraque artis opera. *F.*

380. *Quadam.* Sic optime e conjectura edidit Wak., quum omnes libri habeant *quædam;* levissima enim hac mutatione auctoris mens melius exponitur, nempe quamdam esse utcumque in universis primordiis figuræ differentiam. Ed. — *Volitare,* ferri, moveri; pro: esse, constare.

381. *Perfacile est animi,* etc. Hanc pro varietate figurarum contentionem non inanem et inutilem esse, sed variis naturæ phænomenis explicandis necessariam demonstrat; et ex iis ipsis naturæ phænomenis varietatem figurarum egregie et copiose probat. Primo vss. 7 docet cur ignis fulminis facilius et fortius res penetrat quam ignis e teda vel e lignis ortus; nempe ignis fulminis e parvis et subtilibus seminibus constat, dum crassiora sunt et hebetiora semina istius ignis, qui e teda aut lignis oritur. Illa alia semina aliis minora. *Creech.*

382. *Penetralior,* qui facilius penetrat; I, 536.

383. *Fluat.* Hoc verbum ad voces *ignis fulmineus* etiam referri debet; quæ venustas interpretes latuit. *W.*

387. *Tedaque creatus.* Quasi crassior, et majoribus atomorum figuris constans. *F.*

388. *Præterea lumen,* etc. His 3 vss. solvit alterum problema: cur lumen per laternam corneam; non vero imbrem per idem cornu transire cernimus. *F.* — *Transit.* Sic *cornu laternæ translucidum* apud Plin. Nat. Hist. XI, 16, 3.

389. *Nisi.* Supple: nulla re, nisi, etc. — *Minora.* Non sibi ipsi repugnat Lucretius, licet semina *minima* esse libro I dixerit. Per *minima* enim nihil aliud volunt Epicurei quam simplicia solida corpora, ideoque individua. *Creech.*

391. *Et quamvis subito,* etc. His 7 vss. solvit tertium problema de vino et oleo; quorum illud (*quamvis,* quantumvis) subito transit per colum: hoc vero tardius moratur fluendo. *F.*

Aut quia nimirum majoribus est elementis,
Aut magis hamatis inter se perque plicatis;
Atque ideo fit, uti non tam diducta repente
Inter se possint primordia singula quæque
Singula per quojusque foramina permanare.
Huc accedit, uti mellis lactisque liquores
Jocundo sensu linguæ tractentur in ore;
At contra tetra absinthî natura ferique
Centaurî fedo pertorquent ora sapore;
Ut facile agnoscas e lævibus atque rotundis
Esse ea, quæ sensus jocunde tangere possunt:
At contra, quæ amara atque aspera quomque videntur,
Hæc magis hamatis inter se nexa teneri;
Proptereaque solere vias rescindere nostris
Sensibus, introituque suo perrumpere corpus.
Omnia postremo bona sensibus, et mala tactu,
Dissimili inter se pugnant perfecta figura:

393. *Elementis*, grandioribus atomis.

394. *Perque plicatis*. Tmesis vocabuli *perplicatisque*, i. e. valde perplexis, implicitis. *F.*

395. *Diducta*, distracta a se invicem. Vide Disq. var.

397. *Quojusque*. Suppl. coli, aut alterius vasis ad colandum apti.

398. *Huc accedit, uti*, etc. His 10 vss. solvit quartum problema de melle et lacte, quæ gustui dulcia sunt: et de absinthio, quod amarum est valde. *Fay.*

400. *Ferique*. Sic IV, 124 *tristia centaurea* dixit.

401. *Centaurii*. Suppl. natura. I. e. centaurium, vel centaureum, vel centaurea. Quæ herba est amarissima (Plin. XXV, 30, 1), sic dicta a Chirone Centauro, qui illius vim et usum invenit. *F.* —*Pertorquent ora*. Id est, efficiunt ut, qui ea gustat ac mandit, os distorqueat præ amaritudine: Virg. G. II, 247.

404. *Quæ quomque*. Diphthongus æ corripitur propter sequentem vocalem, non autem eliditur, ut vs. 618; IV, 1057, V, 7; VI, 276, 717, 797. Sic quoque apud Virg. Ecl. VIII, 108 al.

405. *Nexa teneri*, stipata et perplexa cohærescere.

406. *Rescindere*, rumpere; opp. v. 403.

408. *Omnia postremo*, etc. His 6 vss. solvit quintum problema de stridore serræ, et de modulamine dulci organorum. Quorum ille male afficit aures: hoc vero jucunde tangit eas. *F.* — *Bona sensibus et mala tactu*. Quæ grata sunt et jucunda sensui, quæ ingrata et injucunda. *Cr.* — Bene; nam locutioni *tactu* solus amor varietatis et versus necessitas ortum dedit. Ita enim noster de singulis sensibus loqui solet; I, 644; IV, 225, et 678. *Wak.* — Adde VI, 779, 780.

409. *Perfecta*, constantia, prædita, composita.

Ne tu forte putes, serræ stridentis acerbum
Horrorem constare elementis lævibus æque,
Ac Musæa mele, per chordas organicei quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant:
Neu simili penetrare putes primordia forma
In nareis hominum, quom tetra cadavera torrent,
Et quom scena croco Cilici perfusa recens est,
Araque Panchæos exhalat propter odores:
Neve bonos rerum simili constare colores
Semine constituas, oculos quei pascere possunt,
Et quei compungunt aciem, lacrumareque cogunt,
Aut feda specie tetrei turpesque videntur.
Omnis enim, sensus quæ mulcet quomque videntum,

410. *Acerbum.* Metaphora est a gustu ad auditum.

411. *Horrorem,* ingratum sonum, qui lædit aures.

412. *Musæa mele.* Musicos cantus, sic vs. 505. Mele quippe vox est Græca μέλη, quæ cantum musicum significat. *F.* — *Organicei.* Qui digitis pulsantes organa suaves eliciunt sonos. Sic lib. V, 336. *F.* — Videtur Lucretius latinum sermonem non satis numerosum et sonorum habuisse, qui chordarum sonos bene imitaretur, quum hoc uno versu quatuor græcis vocibus usus sit. *Forb.*

413. *Mobilibus.* Levissima solertia chordas pervolitantibus. — *Expergefacta.* Organa enim, nisi digitis quasi expergefiant, muta silent et dormiunt. — *Figurant,* fingunt et variant.

414. *Neu simili penetrare,* etc. His 4 vss. solvit sextum problema de odore.

415. *Torrent.* Quum cremant homines tetrum cadaver. Wak. malit *torrent* eodem sensu quo *fervent* dictum, id est, « quum cadavera *æstuant* putrescentia ». Velim pluribus exemplis locutionem defendisset. Ed.

416. *Et quom scena croco,* etc. Tangit antiquum morem apud veteres de spargendo croco per scenam, dum fabulæ erant recitandæ; qui suaves odores afflaret spectatoribus. Sueton. in Neron. XXV; Horat. Epist. ad Aug. II, 1, 79. Crocus autem Cilix maxime laudatur Plin. XXI, 17. *F.* — *Recens,* modo, recenter, ut suaviores sint odores.

417. *Panchæos,* Arabicos; Panchaia enim Arabiæ regio est, in qua arbores sponte tus emittunt. Virg. G. II, 139: « Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis ». — *Exhalat propter.* Ara juxta posita. Ita mallem quam : *propter odores* exhalat. *Creech.*

418. *Neve bonos,* etc. His 8 vss. solvit septimum problema de coloribus qui juvant oculos; et contra qui lædunt eosdem. *F.* — *Bonos colores,* pulchros, hilares, jucundos. *W.*

419. *Oculos pascere.* I. e. delectare, quasi satiare pictura. Sic I, 36. Virg. Æn. I, 464. *F.*

420. *Aciem.* Suppl. oculorum; i. e. oculos, vel pupillam ipsam oculorum. *F.*

422. *Omnis enim.* Scil. *species,* e vs. 421; Wak. tamen retrahi *res* e vs. 418 malit, cui non equidem assentior; nam

Haud sine principiali aliquo lævore creata est:
At contra, quæquomque molesta atque aspera constat,
Non aliquo sine materiæ squalore reperta est.
Sunt etiam, quæ jam nec lævia jure putantur
Esse, neque omnino flexis mucronibus unca;
Sed magis angellis paullum prostantibus, et quæ
Titillare magis sensus, quam lædere possint:
Fæcula jam quo de genere est, inulæque sapores.
Denique jam calidos igneis gelidamque pruinam,
Dissimili dentata modo, compungere sensus
Corporis, indicio nobis est tactus uterque.
Tactus enim, tactus, pro Divom numina sancta!
Corporis est sensus, vel quom res extera sese

vocab. *species* optime cum τῷ *videntum* congruit. Ed.

423. *Principiali.* Id est, primigenio lævore; principia ejus attingente atque afficiente. *W.*—Cf. V, 247.

425. *Squalore,* horrore, scabritie, tam fabricæ quam coloris. Vide Gellium II, 6. *Wak.* — Infra vs. 469.

426. *Sunt etiam, quæ jam nec,* etc. His quinque vss. solvit octavum problema de fæcula et inula; quæ duo sunt condimenta. Alterum, nempe *fæcula*, erat condimentum acidum ex vini fæce factum, ut intt. volunt ad Horat. Sat. II, 8, 9. Alterum vero, nempe *inula*, condimentum erat dulce, factum ex dulci amaritudine radicis inulæ. Igitur ideo fæculæ condimentum saporis est acidi: inulæ vero condimentum quasi saporis amari, quia non ex asperis aut lævigatis omnino constant atomis; sed ex utrisque refractis aliquatenus, hoc est, ex atomis quæ habeant minusculos angulos et obtusos apices, qui sensum, nempe gustum, titillare, ac jucunde tantum tangere valeant; non autem lædere, perrumpere, ac male afficere. *F.*

428. *Angellis.* Id est, parvos angulos et paullulum prominentes habentia. Ea vox Arnobii VII, p. 253 auctoritate comprobatur.

429. *Titillare.* Sic ap. Cic. N. D. I, 40: « quasi *titillatio* adhibetur sensibus ».

430. *Fæcula.* Vide not. 426.

431. *Denique jam calidos,* etc. His 13 vss. solvit nonum problema de calore et frigore, quæ tactu sentiuntur. Tactum autem omnium sensuum certissimum esse ait; triplicemque distinguit pro triplici modo, quo corpus tangi potest. Tangitur enim corpus per rem sensilem vel extrinsecus ipsi advenientem, vel extra ipsum egredientem, vel intra ipsum moventem. *F.* — Ad rem vide Epic. apud Diog. Laert. X, 109.

432. *Dentata,* hamata, horrida, aculeata. Hinc *frigora mordent* apud Horat. Sat. II, 6, 45.

433. *Tactus uterque.* Pro *tactus utriusque rei;* nimirum ipsius ignis et gelidæ pruinæ.

434. *Pro divum numina!* Exclamatio notanda est in hoc poemate.

435. *Res extera.* Quale est frigus aut calor, quæ sese insinuant in corporis membra. *F.*

Insinuat, vel quom lædit, quæ in corpore nata est,
Aut juvat egrediens genitaleis per Veneris res :
Aut, ex offensu quom turbant corpore in ipso
Semina, confundunt inter se concita sensum :
Ut, si forte manu quamvis jam corporis ipse
Tute tibi partem ferias, atque experiare.
Quapropter longe formas distare necesse est
Principiis, varios quæ possint edere sensus.
  Denique, quæ nobis durata ac spissa videntur,
Hæc magis hamatis inter sese esse necesse est,
Et quasi ramosis alte compacta teneri.
In quo jam genere in primis adamantina saxa
Prima acie constant, ictus contemnere sueta;
Et validei silices, ac duri robora ferri,

436. *Quæ in corpore nata est.* Res interna, quæ egrediens e corpore vel lædit corpus, vel juvat et oblectat illud. *F.*

437. *Per Veneris res.* Sic vs. 173.

438. *Aut ex offensu,* quum sese mutuo offendunt; vs. 223. — *Offensus,* ἡ ἀντικοπή Epicuri, verbum est hac de re proprium, IV, 360, VI, 333. *Forb.* — *Turbant,* turbas cient; vs. 125.

439. *Confundunt.* Alii addunt *que;* frustra. — Semina inter se concita confundunt sensum, quia tumultuantur; nisi quis mavult *compungunt,* ut in vs. 420. *Creech.*

440. *Ut, si forte manu,* etc. Dolor gignitur ex partium concussione, aut divisione. Sic v. g. quum quis manu sibi partem corporis ferit, movet, turbat, confundit, concutit, ac quasi distorquet atomos, quæ eam corporis partem componunt. Hinc dolor sentitur. *F.*

442. *Quapropter longe,* etc. Concludit necesse esse varias atomorum existere figuras, quæ tam varios sensus edant. *F.*

444. *Denique, quæ nobis,* etc. Non contentus poeta de diversis sensuum objectis, quæ in rei argumentum attulit, jam conatur etiam ex aliis rebus concretis diversas easdem figuras atomis asserere. His itaque 13 vss. prioribus adducit res duras et molles aut fluidas in rei testimonium, quarum illas, qualis est adamas, saxa, et ferrum, ex atomis hamatis, et quasi ramosis, has vero, ex lævibus ac rotundis, coalescere confingit. Quod est decimum problema, quod solvit. *F.*

446. *Ramosis.* Suppl. principiis. Quæ quidem quasi per ramos fusa et ducta constent, ut magis cohærescant. *F.*

447. *Adamantina saxa.* Adamas lapis est pretiosus, et quidem durissimus, quem nulla vis domare potest, aut frangere, ut ait Plin. XXXVII, 15. *F.* — Vide etiam Virg. Æn. VI, 552.

448. *Prima acie.* Figurate; ut milites scilicet validissimi, et totius exercitus propugnatores. *Wak.*

449. *Robora ferri,* durities ferri : sic I, 882, « robore saxi ». Conf. Virg. Æn. VII, 609.

Æraque, quæ claustris restantia vociferantur.
Olla quidem debent ex lævibus atque rotundis
Esse magis, fluido quæ corpore liquida constant;
[Namque papaveris haustus item est facilis quod aquarum:]
Nec retinentur enim inter se glomeramina quæque,
Et procursus item proclive volubilis exstat.

Omnia postremo, quæ puncto tempore cernis
Diffugere, ut fumum, nebulas, flammasque, necesse est,
Si minus omnia sunt e lævibus atque rotundis,
At non esse tamen perplexis indupedita;
Pungere uti possint corpus, penetrareque saxa,
Nec tamen hærere inter se; quod quisque videmus
Sentibus esse datum: facile ut cognoscere possis,
Non e perplexis, sed acutis esse elementis.

450. *Claustris restantia*, I, 111, resistentia sub pondere januarum æra, id est, cardines portarum, qui ex ære constant. Similiter Virgil. Æn. I, 449: « foribus cardo stridebat ahenis ».

453. [*Namque*, etc.] Versus spurius, ut videtur; de quo in Disq. var.

454. *Glomeramina*, aquæ globulos, quos videmus lubrica cum mobilitate ad destillationem separari. *Glomeramen* est ex multis particulis quædam conglobatio; vide mox vs. 686. *Wak.*

455. *Procursus*, cursus porrotenus continuatus. — *Proclive*. Adverbialiter, ut *sublime*. Alii legunt *in proclive*.

456. *Omnia postremo*, etc. His 8 vss. solvit undecimum problema de fumo, nebulis, et igne, et aliis rebus ejusdem generis, quæ aliquatenus fluidæ sunt. *F.* — Docet autem has res, quanquam fluidis adnumerentur, non tamen omnino constare ex atomis lævibus et rotundis; aliter enim non posset fumus pungere oculos, neque ignis saxa penetrare: at contra, quum cito dissolvantur et in auras abeant, non magis constant ex atomis hamatis et perplexis. Tertiam igitur hic atomorum figuram agnoscas oportet, *acutam* scilicet. Ed. — *Puncto tempore*. I. e. brevissimo tempore; sup. vs. 263.

458. *Si minus*, si constant ex atomis minus lævigatis. Vel junge potius *si minus sunt* pro *si non*, ut apud Cic. in Verr. VII, 27; De orat. I, 22, al. Ed.

459. *Indupedita*, impedita, vs. 101.

461. *Nec tamen hærere inter se*, etc. I. e. nec tamen inter se perplexa retineri, quomodo spinarum atomi acutæ inter se retinentur. *F.* — Locus obscurus, in quo hærent interpp. Vide infra Disq. var. Ego, dum meliora afferantur, vulgatam lectionem tueor, et hanc rerum seriem esse opinor: « Fumus et ignis non lævibus, neque perplexis constant atomis; ita ut valeant simul pungere, et tamen non *hærere inter se*, id est, compactum corpus, et solidam rem efficere; *quod* utrumque, *pungere* scilicet et *hærere*, sentibus datum est. Ergo fumus pungit sicut sentes, sed non earum ad instar solidus est; quare non e perplexis, sed ex acutis constat ». Ed.

Sed quod amara vides eadem, quæ fluvida constant,
Sudor uti maris est, minume mirabile quoiquam.
Nam quod fluvidum est, e lævibus atque rotundis
Est; et lævibus atque rotundis mixta doloris
Corpora; nec tamen hæc retineri hamata necessum:
Scilicet esse globosa, tamen quom squalida constent,
Provolvi simul ut possint et lædere sensus.

Et quod mixta putes magis aspera lævibus esse
Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum;
Est ratio secernundi, seorsumque videndi.

464. *Sed quod amara vides*, etc. His 7 vss. solvit duodecimum problema de rebus fluidis simul et amaris: docetque res eas, qualis est aqua marina, constare ex atomis lævibus simul et rotundis; sed squalidis, non autem hamatis. *F.*

465. *Sudor maris* idem valet ac *humida salsitudo maris*, vel simpliciter *humor;* atque inde *sudor* appellatus, quod humor marinus etiam salsus sit. *Wak.* — *Minime mirabile.* Poterat enim objici: Si fluida constant lævibus principiis, quomodo simul amara esse possunt, quum amaritudo ex hamatis oriatur, ut ipse dicis vs. 405? Ed.

466. *Fluvidum.* Dactylus; neque enim litera *m* eliditur ante vocalem sequentem, sed breviatur. *F.* — *Quod fluvidum est.* Id est, *in quod*, quatenus fluidum est. *Wak.* — Possis etiam int. *illud quod*, ea pars quæ ad fluiditatem pertinet. Ceterum de metro cf. 404. Ed.

467. *Et.* Alii *at;* sed *e* simplex est omnium MSS scriptura; unde Wakef. nostram lectionem e conjectura; optime. Ed. — *Doloris corpora.* Atomi asperæ quæ dolorem excitare possunt.—Totius loci sensus est: Amara fluida, quum sint *fluida*, ex lævibus et rotundis particulis componuntur, et quum sint *amara*, ex particulis etiam dolori affinibus, ita tamen ut hæ particulæ scilicet non sint in hoc casu hamatæ; id quod liberrimus earum procursus haud patitur: sint igitur oportet globosa et aspera (hoc significatur τῷ *squalida*, vide ad vs. 425) ut uno atque eodem tempore lædant et pariter provolvantur. *Wak.*

468. *Retineri.* Ut vs. 454. Alii *retinere*, id est, nec necesse est *hamata* primordia moram injicere *his* corporibus.

469. *Scilicet;* I, 211. Scire licet ea principia esse globosa, quum tamen aspera sint. Alii distinguunt post *tamen;* parum interest. Ed.

470. *Provolvi simul ut possint.* Post *simul* distinguit Wak., et corrigit *conlædere*, hoc sensu: Ut possint conlædere, *simul* τῷ *provolvi*, dum simul provolvuntur. Sed vulgatam plurimi codd. tuentur, quæ plana est. Ed.

471. *Et quod mixta putes*, etc. His 7 vss. confirmat ex ipsa sensuum fide ac evidenti experimento aquam marinam constare ex atomis lævibus et asperis. Namque, si maris aqua percolatur per terras, dulcescit; quia relinquit supra terras virus amarum, quod ex asperis atomis constat; solasque retinet læves atomos, quæ dulces sunt. *F.* — *Quo magis putes*, ut credas magis.

472. *Unde*, ex quibus principiis. — *Neptuni corpus*, mare, aqua marina, quam supra vs. 465, *sudorem maris* dixit. Eodem etiam nunc exemplo utitur. — *Acerbum*, salsum et amarum.

Humor dulcis, ubi per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat ac mansuescat.
Linquit enim supra tetri primordia viri;
Aspera, quo magis in terris hærescere possint.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit : primordia rerum
Finita variare figurarum ratione.
Quod si non ita sit, rursum jam semina quædam
Esse infinito debebunt corporis auctu.
Nam quod eadem una quojusvis in brevitate
Corporis inter se multum variare figuræ
Non possunt : face enim minumis e partibus esse

474. *Humor dulcis.* Humor idem dulcis est, ubi per terras crebrius percolatur, etc. Ordo verborum perturbatior quam velis. *Wak.* —Vide Disq. var.

475. *Percolatur*, quasi per colum purgatur. — *Mansuescat*, mitior, minus salsus fiat. Cf. Lucan. X, 257.

476. *Linquit.* Maluit Wak. legere *liquit*, cui non assentior, quum vulgata optime se habere videatur; nam humor virus *linquit* tunc quum percolatur; non autem jam *liquit.* Ed. — *Supra*, in superiori terræ parte. — *Tetri ... viri*, salsæ amaritudinis. Sic *virus* I, 720.

477. *Aspera.* Possis cum τῷ *primordia* jungere, sublata omni distinctione. Melius tamen edidit Wak., quem sequimur. Interpretor : Quippe sunt aspera, ideoque facilius in terra remanent. Ed.

478. *Quod quoniam docui*, etc. Quum vero de figurarum diversitate satis disputavi, aliam opinionem exponam, quæ ex priori pendet et ab illa confirmabitur : videlicet varietatem figurarum seminum esse finitam. Variant figuræ atomorum, et est illarum varia magnitudo, ut jam ostensum est, sed tamen illa varietas infinita non est; etsi sit indefinita, seu incomprehensibilis. Id primo probat vss. 22 ex ipsa seminum, quam olim demonstraverat, parvitate. Ut enim figurarum varietas foret infinita, necesse est ut immensa sit seminum quorumdam moles, quum sola immensa magnitudo sit infinitæ varietatis figurarum capax. Si corporis figuram mutare velis, transpone partes : quot sunt diversæ positiones, tot erunt diversæ figuræ; idem in semine aggredere, omnibus modis partes, quæ in illo concipi possunt, versa et transpone, et finitam tantum figurarum varietatem in tantillo corpore agnosces. *Cr.*

479. *Apta*, apte connexa, ex hoc dependens, et quasi hinc alligata. Porro hi 2 vss. repetuntur infra vs. 522.—*Ducit.* Wak. *ducat.* —Indicativus Lucretii opinioni de certa dogmatum suorum evidentia et veritate multo melius respondet. *Forb.*

480. *Variare*, absolute, pro variari, mutari.

482. *Infinito corporis auctu*, infinita magnitudine, immenso corpore.

483. *Nam quod;* id est, nam ita erit, eo quod. *W.* — *Brevitate corporis*, parvitate cujuslibet atomi.

485. *Face enim.* Antiquior orthographia quam *fac*, ut exhibent aliqui; III, 422.

Corpora prima; tribus, vel paullo pluribus auge:
Nempe, ubi eas parteis unius corporis omneis,
Summa atque ima, locans, transmutans dextera lævis,
Omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo
Formarum speciem totius corporis ejus;
Quod superest, si forte voles variare figuras,
Addendum parteis alias erit: inde sequetur,
Adsimili ratione, alias ut postulet ordo,
Si tu forte voles etiam variare figuras.
Ergo formarum novitatem corporis augmen
Subsequitur: qua re non est ut credere possis,
Esse infinitis distantia semina formis;
Ne quædam cogas immani maxumitate
Esse: supra quod jam docui non esse probare.
Jam tibi Barbaricæ vestes, Melibœaque fulgens
Purpura, Thessalico concharum tincta colore;

486. *Tribus, vel paullo pluribus auge.* Suppone semina e tribus, vel pluribus, id est, definito partium numero constare. *Creech.* — Vide infra Disq. varias ad vs. 491.

488. *Summa atque ima locans*, sursum, deorsum, alias modo summas, modo imas disponens. Per appositionem dictum videtur, quasi eas faciens summum vel imum; vel disponens omnes, tam summas, quam imas; vel, ut alii volunt, capiendum adverbialiter. Ed.

489. *Quam quisque*, etc. Quam speciem figurarum unaquæque partium positura efficiat.

491. *Quod superest*, deinde, præterea.

492. *Addendum parteis erit*, addendæ partes erunt. Sic I, 112, 139, etc.

494. *Etiam*, insuper, denuo. De toto loco varia disputant interpretes. Vide Disq. var. ad vs. 491.

495. *Novitatem*, varietatem novarum figurarum.

496. *Non est.* Suppl. causa, ratio, locus. I. e. non potest fieri.

498. *Immani maxumitate.* I. e. infinita et immensa magnitudine. Rara vox, et vix alteri usitata. *F.*

499. *Non esse probare.* Sic *videre est* II, 16. Hoc librarii non intelligentes in *posse probari* mutarunt. *Forb.*

500. *Jam tibi Barbaricæ*, etc. His 8 vss. continetur altera per absurdum ratio. Namque res omnes, quæ jam apud nos plurimi æstimantur, continuo vilescerent et despicerentur, quia aliæ majores et pretiosiores esse possent. *F.*—*Barbaricæ*, Babylonicæ, aut Phrygiæ; generaliter *orientales.* Virgil. Æn. II, 504, *Barbarico auro.*—*Melibœa ... Purpura.* Sic dicta a nomine urbis, in qua tingebatur cruore concharum. Est autem Melibœa urbs Thessaliæ; Plin. Nat. Hist. IV, 16, 1. Vide Disq. var.

501. In fine hujus versus vulgo subjicitur *et;* sed omnino sine libris.

Aurea pavonum ridenti imbuta lepore
Secla, novo rerum superata colore, jacerent:
Et contemptus odor smyrnæ, mellisque sapores;
Et cycnea mele, Phœbeaque, dædala chordis,
Carmina consimili ratione oppressa silerent:
Namque aliis aliud præstantius exoreretur.
Cedere item retro possent in deteriores
Omnia sic parteis, ut diximus in meliores:
Namque aliis aliud retro quoque tetrius esset
Naribus, auribus, atque oculis, orisque sapori.
Quæ quoniam non sunt in rebus, reddita certa
Finis utrimque tenet summam; fateare necesse est,
Materiam quoque finitis differre figuris.
Denique ab ignibus ad gelidas hiemisque pruinas,
Finitum est, retroque pari ratione remensum est.

503. *Secla.* Sensus est: « Num purpura quam natura conchis tribuit, num splendor pennarum quo immutato omnia deinceps pavonum genera condecoravit, semper ejusdem pretii inter homines fuissent si natura artem suam ipsa superans novos et pulchriores colores effingere posset? » *Seclum* sæpissime Lucretio dicitur pro genere, sobole hominum vel animalium, I, 21; II, 77; III, 753, etc. et cauda pavonis etiam II, 806 in exemplum adducitur. *Forb.*

504. *Smyrnæ.* Alii *myrrhæ.* Smyrna Græcis est aromatis genus, quam alio nomine vocant myrrham, quæ ex arbuscula odorifera in Arabia nascitur. *F.*

505. *Cycnea mele,* olorum cantus; vs. 412. — *Dædala chordis,* ope chordarum variata; I, 7.

506. *Silerent.* Quia nemo ea audire vellet, quum meliora adhuc invenirentur. Ed.

507. *Exoreretur.* Sic I, 181.

508. *Cedere item,* etc. His 4 vss. idem argumentum a contrario confirmat.

512. *Quæ quoniam non sunt.* Quoniam vero res omnes tam optimas, quam pessimas in infinitum variare non videmus, concludendum est ideo certis finibus *redditis,* datis, statutis, summam rerum contineri, ne in utrumque extremum abeat; fatendum etiam ipsas quoque atomos non infinitis inter se formis distare. Vide Disq. var. Ed.

515. *Denique ab ignibus,* etc. His 7 vss. denique confirmat res quaslibet certis finiri qualitatibus, quæ hinc inde rebus ita sint extremæ, ut extra illas nullæ exstent.—*Hiemisque pruinas.* Non de zonis profecto hæc accipienda sunt. Recte autem Wak. ad quatuor anni tempestates vult respici; nam si *ab ignibus* æstatis exordiaris, et cursum per *hiemis pruinas* usque ad eosdem ignes *remetiaris,* omnes videbis varietates tempestatum; quos intra fines totus annus continetur. Ed.

516. *Finitum est,* finis est datus, finitum est spatium. — *Remensum.* Passive dictum.

Omnis enim calor ac frigus; medieique tepores
Inter utrasque jacent, explentes ordine summam.
Ergo finita distant ratione creata,
Ancipiti quoniam mucrone utrinque notantur,
Hinc flammis, illinc rigidis insessa pruinis.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit : primordia rerum,
Inter se simili quæ sunt perfecta figura,
Infinita cluere : etenim distantia quom sit
Formarum finita, necesse est, quæ similes sint,
Esse infinitas; aut summam materiai
Finitam constare : id quod non esse probavi.

517. *Omnis.* Wak. supplet : *annus est;* scil. omnis annus est calor ac frigus; nihil aliud. Sic legitur in codd. et priscis editionibus : vulgati *finis,* vel *finit,* invitis libris. Quam lectionem Creech sic exponit : « calor enim in igne, et frigus in pruina extrema sunt ». Vide notam seq. Ed.

518. *Inter utrasque.* Sic Wakef. e codd. cunctis retinendum censuit; suppletque *tempestates* (de qua ellipsi consulendum ait Bosii libellum); vel *vias,* aut *partes.* Quidni etiam *res?* Vulgo legunt *utrumque.* Multa autem sunt in hoc loco quæ me offendant. Nam præterquam quod dura videatur ellipsis ad τὸ *utrasque,* durior profecto est ad τὸ *omnis.* Simplicius sane sic procederet oratio : « Omnis enim calor, et omne frigus anni, ac medii tepores *jacent,* distribuuntur et certis continentur finibus *inter utrosque,* ignes scilicet et pruinas; qui constituti sunt utrinque termini ». Ed. — *Explentes ordine.* Qui intendi usque ad calorem in igne, et remitti usque ad frigus in pruina possunt. *Cr.*

519. *Creata.* Hi tepores medii ita creantur tam verni, quam autumnales, ut ex æquis distantiis frigus inter et calorem utrinque jaceant. *Wak.* — Equidem τὸ *creata* referrem quoque ad calorem et frigus.

520. *Ancipiti mucrone.* « Puncto facto designantur atque finiuntur; » ut docta sit translatio ex geometricarum linearum in superficie tabellæ descriptione. *W.*

521. *Flammis,* calore. Res pro effectu. — *Insessa,* obsessa, circumfusa, circumcincta, intersepta. *Fay.*

522. *Quod quoniam docui,* etc. Jam tertiam disputationis partem Poeta aggreditur, et absolvit his 7 vss. Nimirum cujusque similis figuræ atomos esse infinitas. Quod quidem rite sequi docet ex eo, quod I, 952 et seqq. probaverit atomos infinitas volitare per inane : et ex eo, quod jam supra demonstraverit finitas esse figuras atomorum. Namque nisi infinitæ essent atomi sub quaque simili figura, sane finita esset summa materiæ, hoc est, finitus esset atomorum numerus; quum finitæ sint figuræ diversæ. Infinitæ autem sunt atomi, ergo sub quaque simili figura debent infinitæ constare atomi. *F.* — *Quod quoniam,* etc. Hi 2 vss. positi sunt vs. 478.

524. *Perfecta,* prædita, constantia, vs. 409.

525. *Cluere,* esse, vs. 351. — *Distantia,* dissimilitudo.

Quod quoniam docui, nunc suaviloquis, age, paucis
Versibus ostendam, corpuscula materiai
Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo plagarum continuato.
Nam quod rara vides magis esse animalia quædam,
Fecundamque magis naturam cernis in ollis;
At regione, locoque alio, terrisque remotis,
Multa licet genere esse in eo, numerumque repleri:
Sic uti quadrupedum cum primis esse videmus
In genere anguimanos elephantos; India quorum
Milibus e multis vallo munitur eburno,

529. *Quod quoniam*, etc. His 4 vss. jam aliam quæstionem proponit, utrum infinitæ atomi sint per inane, ex quibus quæque res procreentur. Asserit autem infinitas esse; probatque postea variis argumentis usque ad vs. 582.

531. *Ex infinito usque.* Suppl. tempore: i. e. ab æterno. — *Summam rerum tenere*, componere res cunctas; omnia rerum genera conservare.

532. *Protelo*, productione, serie longiore. — Sic IV, 191. *Protelum* antiqui dixerunt pro jugi et assiduo tenore quidpiam agendi. *F.*

533. *Nam, quod rara vides*, etc. His 37 vss. præoccupat et solvit objectionem, quæ adversus infinitatem atomorum fieri potuit. Namque, dicet aliquis, si infinitæ essent atomi, ex quibus res singulæ procreentur et crescant, sane quædam animalia non deberent aliis esse rariora, quum infinitæ essent atomi ad quodlibet animalium genus procreandum. Respondet Lucretius duplici modo. 1° Negat quædam animalia aliis esse rariora; namque si alicubi rari sunt, v. g. elephanti, alibi abundant. Itaque numerus semper expletur. 2° Concedit rara etiam esse quædam animalia, ut unum cujusque sit speciei, qualem phœnicem fingunt: tamen negat illud unicum animal etiam non potuisse creari, nec ali, nec crescere, nisi sint infinitæ atomi, quæ ad ejus generationem, alimentum, et augmentum concurrerint. *F.*

534. *Cernis in ollis.* Videmus *in quibusdam* (*in his*) animalibus numerum minorem esse, majorem vero *in illis*, in aliis fecunditatem.

535. *Terrisque remotis.* In illis universi partibus, quas minime cognitas habemus. Ed.

537. *Sic uti.* Veluti præsertim cernimus in genere quadrupedum esse elephantos.

538. *Anguimanos elephantos.* Anguimani dicuntur elephanti propter *manus* (proboscidem), quas habent, flexiles, lubricas, et volubiles in modum *serpentis*. Sic V, 1302. Adi intt. ad Quint. Curt. VIII, 14, 29.

539. *Milibus.* Sic scribendum, teste Cledonio in Putschii collectaneis p. 1091; et Beda, de orthographia, ibid. p. 2339. *W.* — *Vallo eburno.* Non quia Indorum domicilia, postium vice, dentibus elephantorum muniuntur, ut vult Lamb.; sed quia elephanti apud has gentes in aciem producti, suis dentibus, tanquam vallo eburno, Indiam muniunt, et jamdudum tuentur. Asia enim extrema a Romanis nondum *penetrata* fuerat. Ed.

Ut penitus nequeat penetràri: tanta ferarum
Vis est; quarum nos perpauca exempla videmus!
Sed tamen, id quoque uti concedam, quam lubet esto
Unica res quædam nativo corpore sola,
Quoi similis toto terrarum non sit in orbi;
Infinita tamen nisi erit vis materiai,
Unde ea progigni possit concepta, creari
Non poterit: neque, quod superest, procrescere alique.
Quippe etenim sumant oculei, finita per omne
Corpora jactari unius genitalia rei;
Unde, ubi, qua vi, et quo pacto, congressa coibunt
Materiæ tanto in pelago turbaque aliena?
Non, ut opinor, habent rationem conciliandi:
Sed quasi, naufragiis magnis multisque coortis,
Disjectare solet magnum mare transtra, carinas,
Antemnas, proram, malos, tonsasque natanteis;

540. *Ferarum vis.* Elephantorum multitudo in his regionibus maxima.

542. *Sed tamen*, etc. Verum esto, concedo posse rem quamdam, quam tu volueris, unicam esse, et solam sui generis. Ed.

545. *Vis materiai*, copia atomorum, quæ ad eam unam rem gignendam valeant.

547. *Quod superest*, præterea, insuper; v. 491.

548. *Quippe etenim sumant oculis.* Fingamus enim et oculis supponamus illud, scilicet omnia semina, quæ ad gignendam unam rem valeant, jactari finita per infinitum inane, quomodo unquam coibunt? Ed.

549. *Rei;* vs. 111.

551. *Materiæ pelago.* Non potuit elegantius, quum perpetuo agitentur semina, et sint omni æquore magis irrequieta. *Creech.* — *Turbaque aliena.* Intelligit alias omnes atomos quæ ad constitutionem aliorum generum necessariæ sunt. *Cr.* — Male Fayus: in perturbatione ad cœtum inhabili.

552. *Conciliandi.* In concilium materiæ, rebus gignendis accommodatum, veniendi. *Wak.*

553. *Sed quasi*, etc. Metaphoram, qua modo usus est, præclara nunc similitudine amplificat. *Quasi*, sicut, quemadmodum. Ed.

554. *Transtra*, remigum sedilia. — *Carinas.* Imas trabes, quæ totius navigii sunt fundamentum. Sic reponere malui cum vett. edd. et plurimis codicibus. Wak. autem, sequente Forbigero, dedit *cavernas*, quod intelligit de quolibet concavo navis interioris fragmento. Alii amplexi sunt Lambini emendationem *guberna*, id est, gubernacula. Ed.

555. *Antemnas.* Antemna lignum est transversum ad malum, cui vela alligantur. *F.* — *Tonsas*, remos; Virg. Æn. VII, 28.

Per terrarum omneis oras fluitantia aplustra
Ut videantur, et indicium mortalibus edant,
Infidi maris insidias vireisque dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola quom ridet placidi pellacia ponti:
Sic tibi, si finita semel primordia quædam
Constitues, ævom debebunt sparsa per omnem
Disjectare æstus divorsei materiai:
Nunquam in concilium ut possint compulsa coire;
Nec remorari in concilio, nec crescere adaucta:
Quorum utrumque palam fieri manifesta docet res,
Et res progigni, et genitas procrescere posse.
Esse igitur genere in quovis primordia rerum
Infinita palam est, unde omnia suppeditantur.
Nec superare queunt motus itaque exitiales
Perpetuo, neque in æternum sepelire salutem:
Nec porro rerum genitales auctificeique

556. *Aplustra.* Vel *aplustria*, navis sunt ornamenta in summitate puppis appensa, quæ quia sunt amplius, quam usui sint necessaria, dicta sunt olim *amplustria*, inquit Festus : alii vero sic dicta volunt ab α privativo, et πλείω, quasi ad navigationem inutilia. *Fay.*

558. *Vires.* Nempe homericum μέγα σθένος ὠκεάνοιο.

560. *Pellacia*, fallacia; sic Virg. Georg. IV, 443. Vide ad V, 1002.

562. *Omnem.* Sic Wak., quia tum ex hoc, tum ex alio Lucretii loco III, 604, coll. cum Plaut. Pœn. IV, 4, 14, appareat veteres *ævum* etiam genere masculino usurpasse. *Forb.*

563. *Æstus divorsei.* Diversi materiæ æstus, diversæ fluctuationes (cf. vs. 551), illa semper sparsa ita agitarent, ut nunquam, etc. Ed.

566. *Quorum utrumque.* Nimirum res et progigni et procrescere.

570. *Nec superare queunt*, etc. His 12 vss. continetur alterum argumentum, quo confirmat, ex æquo certamine principiorum vitæ et mortis in rebus, infinitas esse atomos ejusdem ac similis figuræ. Scilicet motus rerum genitales non possunt conservare in ævum res genitas, adeo ut non interimantur : motus item exitiales et letiferi non possunt interimere res genitas, adeo ut funditus extinctæ aliquando non renascantur : sed hi duo motus quasi æquo Marte pugnant. Quo fit ut rerum summa maneat æterna, quum res singulares aliæ nascantur, aliæ pereant. *Fay.*

571. *Sepelire salutem*, vitam rebus auferre.

572. *Auctificei*, qui valent res genitas augere. — Hæc ipsa dictio apud Lucretium solum fortasse invenitur : verbum cognatum *auctificare* plus semel in Arnobio legitur, ut VII, 224. *Wak.*

Motus perpetuo possunt servare creata.
Sic æquo geritur certamine principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum.
Nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum;
Et superantur item : miscetur funere vagor,
Quem puerei tollunt, visentes luminis oras :
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora sequuta est,
Quæ non audierit, mixtos vagitibus ægris
Ploratus, Mortis comites et Funeris atri.
Illud in his obsignatum quoque rebus habere
Convenit, et memori mandatum mente tenere;
Nil esse, in promtu quorum natura videtur,
Quod genere ex uno consistat principiorum;
Nec quidquam, quod non permixto semine constet.
Et quæquomque magis vis multas possidet in se,
Atque potestates, ita plurima principiorum
In sese genera, ac varias docet esse figuras.
Principio, tellus habet in se corpora prima,

576. *Vitalia rerum*, res vitales, quæ ad vitam aliquid conferunt, aut adjuvant. Sic Horat. Epist. I, 17, 21, *vilia rerum*, i. e. res viles.

577. *Miscetur funere.* Cum gemitu morientium miscetur puerorum nascentium vagitus. — *Vagor.* Vagorem pro vagitu posuit Ennius XVI. *Festus.*

578. *Visentes luminis oras*, nascentes; sic I, 23.

580. *Vagitibus ægris.* Wak. e conjectura edidit *ægros*, quia ploratus ægrorum, et morbis succumbentium, opponuntur vagitibus infantium. Sed vulgata bene quoque oppositionem servat, ita ut querulis nascentium vagitibus admisceantur fletus qui mortem et triste funus comitantur. Ego nihil mutem contra libros omnes. Ed.

582. *Illud in his rebus*, etc. Hactenus de atomorum infinitate sub uno quoque simili genere figurarum. Jam vero his 149 vss. sqq. aliud tradit, et memoriæ mandandum præceptum; nempe res omnes, quas cernimus in hoc mundo, non uno ac simplici, sed multiplici ac diverso atomorum genere constare. *F.* — *Obsignatum*, in alta mente repositum et conditum. Nam iis rebus quas diligenter custodiendas et servandas esse volebant, sigillum imprimebant. Cic. De orat. II, 61; Horat. passim.

584. *Nil esse, in promtu*, etc. Nihil esse inter istas res, quarum natura oculis nostris facile deprehenditur, quod, etc.

587. *Et quæquomque*, scil. res. Alii *quo quidque*, ut I, 537. — *Vis multas.* In plurali numero pro *vires*; h. e. facultates, potestates. Sic III, 265.

590. *Principio, tellus*, etc. His 70

Unde mare immensum volventes frigora fontes
Assidue renovent; habet, ignes unde oriantur:
Nam multis succensa locis ardent sola terræ;
Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.
Tum porro nitidas fruges, arbustaque læta,
Gentibus humaneis habet unde extollere possit:
Unde etiam fluidas frundeis, et pabula læta,
Montivago generi possit præbere ferarum;
Quare magna Deum Mater, materque ferarum,
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una.

Hanc veteres Graium doctei cecinere poetæ
Sedibus in curru bijugos agitare leones:
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.

vss. continetur primum argumentum repetitum ex terra, quæ varias rerum atomos in se possidet. Habet enim in se semina, unde mare, flumina, fontes, ignes, fruges, arbores, frondes, pascua, Dii, homines, et feræ ducant originem, alimentum sumant, et augmentum capiant. Hinc magna parens est appellata, et ut Dea culta: sed quam inepte et falso credita sit Dea docet. *F.*

591. *Unde mare immensum*, etc. Cf. I, 231. — *Volventes frigora.* Audacius poni intelligatur velim pro *aquam frigidam volventes*, quemadmodum poetis licet. Virg. Eclog. X, 42: « hic *gelidi* fontes ». Conf. etiam Eclog. I, 52. *Wak.*

593. *Sola terræ*, solum terræ; terra. Sic V, 1288, 1294.

594. *Eximiis vero*, etc. Inusitatis quippe ignibus furit mons Ætna, ut dicetur VI, 640 sqq. *F.*

595. *Nitidas fruges.* Sic vs. 189, et I, 253. Vide similem locum inf. vss. 994 sqq.

596. *Extollere possit*, faciat crescere; augeat, producat.

597. *Fluidas frundeis*, molles, teneras, et modo pullulascentes; quippe quæ facile mandi possint a feris.

598. *Montivago.* Sic vs. 1081; I, 405.

599. *Quare magna Deum*, etc. Hic ex data occasione ritus omnes explicat, qui in illius magnæ parentis sacris fieri solebant, rituumque causas annectit. Sic S. August. Civ. VII, 24, eosdem ritus notat. *F.*

600. *Et nostri genetrix*, etc. Quamobrem hæc tellus una appellata est mater *nostri corporis*, id est, generis humani.

602. *Sedibus in curru*, cum sedibus, circa eam factis vel fictis, ex interpretatione Gronovii Obs. III, c. 5, de qua vide Disq. var. Simplicius tamen Forb.: « e sedibus suis (poetice pro *sede sua*) *in curru*, id est, sedens in curru, agitat leones ».

603. *Aeris in spatio*, in aere spatioso vel profundo. — *Docentes.* Hinc enim poetæ innuunt ingentem terram in medio aere suspensam esse, neque terram super aliam terram, tanquam fundamentum, collocari. *Creech.*

Adjunxere feras; quod, quamvis effera, proles
Officiis debet molliri victa parentum:
Muralique caput summum cinxere corona,
Eximiis munita locis quod sustinet urbeis:
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrifice fertur divinæ Matris imago.
Hanc variæ gentes, antiquo more sacrorum,
Idæam vocitant Matrem; Phrygiasque catervas
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
Per terrarum orbeis fruges cœpisse creari.
Gallos attribuunt; quia, numen quei violarint
Matris, et ingratei genitoribus inventei sint,
Significare volunt indignos esse putandos,
Vivam progeniem quei in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis; et cymbala circum

605. *Quod quamvis*, etc. Ut docerent prolem, quantumvis efferam, parentum beneficiis mitescere debere. *Cr.* — Alii aliam afferunt causam. Ovid. Fast. IV, 217; Servius ad Æn. X, 253; Oppian. Cyneg. III, init.

608. *Eximiis*, egregiis, insignibus; ideoque excelsis. Aliter, sed apposite Isidor. Orig. X, *eximius quasi valde eminens. Wak.* — *Munita locis.* Tellus enim multa oppida, munimentis valida, sustinet.

609. *Quo insigni prædita.* Quam coronam gerens.

610. *Horrifice.* Torvam majestatem præ se ferens; cum voluptate nonnihil horroris incutiente. *Wak.*

611. *Antiquo more sacrorum.* Nempe quia ejus sacra in Ida, monte Phrygio, primitus agebantur, *Idæa* mater vocatur. *Wak.*

614. *Per terrarum orbeis.* Editiones vulgatæ, contra libros omnes, *orbem.* Primario sensu *orbis* est rei alicujus *circuitus rotundus;* et secundo, generaliter *circuitus.* Multarum igitur terrarum multi sint *orbes* necesse est, ut vs. 1075. *W.* — Cf. etiam V, 1345.

615. *Gallos.* Cybeles ministros ac sacerdotes, quos Gallos vocant, a fluvio ejusdem nominis in Phrygia; ex quo quum bibissent, ita furere incipiebant, ut se eunuchos facerent. Vide plura de his apud Ovid. Fast. IV, 361. *F.*

616. *Matris.* Poeta de magna illa Deum Matre nihil cogitat; sed matres quibus nos homines pusilli orti sumus, divinitate donat, et impios adversus illas liberis prorsus indignos asserit. *Creech.*

618. *Quei* corripitur, ut *quæ* vs. 404; ubi vide notam.

619. *Tympana tenta.* Tympanum ex una parte planum est, et membrana tenta obductum: ex altera rotundum; ita ut concavum sit intus in modum mediæ partis globi concavi. Hujus autem instrumenti bellici usus erat in sacris Magnæ Deæ. Ovid. Fast. IV, vs. 184. *F.* — *Tonant palmis.* Scil. pulsata manibus Gallorum.

Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis:
Telaque præportant, violenti signa furoris;
Ingratos animos atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ possint numine Divæ.
Ergo quom primum, magnas invecta per urbeis,
Munificat tacita mortaleis muta salute,
Ære atque argento sternunt iter omne viarum,
Largifica stipe ditantes; ninguntque rosarum
Floribus, umbrantes Matrem comitumque catervam.
Hic armata manus, Curetas nomine Græcei
Quos memorant Phrygios, inter se forte catenas

620. *Concava*, curvata. Cymbalum enim in orbem curvatur. *F.*—*Cornua.* Genus est tubæ obtortæ in modum cornu. *F.*

621. *Phrygio numero*, cantu, modulamine, sono ad morem Phrygum; qui numerus ad furorem excitandum maxime idoneus erat. — *Cava tibia.* Paulo enim crassior et longior erat Phrygia tibia quam ceteræ. *Fab.*

622. *Furoris.* Pleniorem distinctionem τῷ *furoris* supposuimus, quum sequens distichon æque respiciat omnia præcedentia. *Wak.*

624. *Numine Divæ*, ob Divæ potentiam. Sic locum simpliciter expono; aliter constructio difficilis, si cum Creechio, « magnum potentiæ et majestatis hujus divæ horrorem excitare ». Wak. conjicit *metus qui;* id est, qui terrores, imaginis scil. divæ, etc. Melius Forb. constructionem vulgatam etsi paullo impediliorem tuetur. Ed.

625. *Ergo quom primum*, etc. His 15 vss. ritus omnes describit, quibus magnæ Deæ ferebatur simulacrum per urbes. *Fay.*

626. *Muta.* Lapis enim erat rudis. Vide Disq. var. — *Tacita,* secreta; ironice dictum putem: omnes enim salutem sperabant adventante dea; sed illa nullo pignore spes tantas confirmabat. Vel *tacitam salutem* dicit Noster quia ipsa *muta* est; sic rem sæpe bis exprimit. Ed.

627. *Iter omne viarum.* Vias omnes, per quas portabatur Deæ imago.

628. *Largifica stipe ditantes.* Hic a Lucretio *stips* usurpatur pro æraria pecunia, quam Matris Magnæ sacerdotes populo distribuebant. *F.* — Immo ipsi urbium cives deæ stipem afferunt, eamque maximis ditant muneribus. Ed. — *Ninguntque.* Id est, in modum nivis spargunt rosas.

629. *Umbrantes*, cooperientes; spargentes supra simulacrum Deæ, et caput comitantium. — *Catervam.* Sic Wak. melius quam vulgatum *catervas*, quod confirmare et explicare videtur statim sequens *armata manus.* Ed.

630. *Curetas.* Sic dictos, inquit Strabo X, quasi κουροτροφήσαντας, « quod Jovem aluerint ». Hos et Corybantes vocant alii. *F.*

631. *Phrygios.* Qui enim more Curetum sacra magnæ Deæ faciebant, ii Phryges primum fuere. *F.*—*Forte.* Quid sibi velit ea vox, non dispicere se ait Wak. neque quemquam interpretum ex-

Ludunt, in numerumque exsultant, sanguine fletei :
Terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictæos referunt Curetas, quei Jovis ollum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur;
Quom puerei circum puerum pernice chorea,
Armatei, in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri sub pectore volnus.
Propterea magnam armatei Matrem comitantur:
Aut, quia significant Divam prædicere, ut armis
Ac virtute velint patriam defendere terram;
Præsidioque parent decorique parentibus esse.
Quæ, bene et eximie quamvis disposta ferantur,
Longe sunt tamen a vera ratione repulsa.

posuisse video. Sed quum *forte* nihil aliud sit quam ablativus τοῦ *fors*, haud sane opus est cum Wak. legere *sorte*, hoc sensu : « unoquoque stationem sibi *assignatam* occupante » ; quidni *forte*, casu datam? quod eodem profecto redit. Nolim autem cum Forbigero accipere *forte* hic ἀρχαϊκῶς pro *fortiter*. Ed.—*Catenas ludunt.* Manibus, quasi catenis, inter se nexi choreas agunt. Orbem quasi catenatum modo laxiorem, modo strictiorem saltatione efficiunt; quæ est saltatio pyrrhicha. Cf. Apuleium Met. X. *F.*—Vide Disq. var.

632. *Sanguine fletei.* Roribus sanguineis guttatim, lacrymarum instar, stillantibus cooperti. Hanc formulam Noster adamat; sic I, 350. *Wak.* — Durior sane mihi videtur ea locutio, quam tamen Lucretio adserunt Mss. Vide Disq. var. Ed.

633. *Quatientes numine*, nutu, motu capitum tremefacientes; III, 145.

634. *Dictæos*, Cretenses, a Dicte antro in Creta. — *Ollum*, vatibus decantatum.

636. *Puerei.* Curetes qui *impuberes* erant, teste Hygino, fab. 139. Ad rem conf. Stat. Theb. IV, 782.

637. *Armatei.* Hyginus : « eisque clypeola ænea et hastas dedit ».

638. *Saturnus.* Qui liberos suos devorasse fingitur. — *Malis mandaret.* Dentibus suis devorandum traderet.

639. *Volnus.* Virg. Æn. I, 36.

640. *Propterea.* In memoriam hujus beneficii et ad exemplum Curetum; vel quia volunt illud esse Deæ præceptum, ut semper parati sint cives patriam et parentes defendere.

641. *Prædicere.* Signis *prætentis* dicere; per *actiones* dicere, non per voces. *Wak.*

643. *Præsidio decorique.* Cf. Horat. Od. I, 1, 2.

644. *Quæ, bene et eximie*, etc. His 16 vss. arguit ex his supra relatis tellurem nec magnam esse Deam, nec Deorum matrem : sed voce tenus tantum debere dici magnam matrem, quatenus in se continet rerum omnia semina : vel ea tantum de ratione, qua mare Neptunus, fruges Ceres, vinum Bacchus appellari solent. *F.*

Omnis enim per se Divom natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, neque tangitur ira.
Terra quidem vero caret omni tempore sensu;
Sed, quia multarum potitur primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina solis.
Hic si quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Constituet fruges, et Bacchi nomine abuti
Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen;
Concedamus, ut hic terrarum dictitet orbem
Esse Deum Matrem, dum vera re tamen ipse.
Sæpe itaque, ex uno tondentes gramina campo,
Lanigeræ pecudes, et equorum duellica proles,

646. *Omnis enim*, etc. Hi sex vss. positi sunt I, 56, quorum annotationes ibi consule.

652. *Quidem vero.* At quidem, etc. Cave ne cum Pio perperam jungas *vero sensu;* sic I, 1000.

653. *Sed.* Sic jam Lamb. quem reliqui editores recte sequuntur, quamquam non nisi Brit. 3 et Cant. hanc lect. tuentur; *et* ceteri omnes. *Forò.* — *Potitur primordia,* continet semina. Sic verbum *potior* cum accusativo ponitur apud Plaut. Rud. I, 3, 7; Terent. Adelph. V, 4, 17. Cf. infra III, 1051; IV, 763.

654. *Effert in lumina solis.* Producit in lucis auras; generat.

655. *Hic.* In ea re autem, si quis velit, etc.

657. *Laticis,* vini. Sic Virg. Æn. I, 686: « Regales inter mensas, laticemque Lyæum ». — *Vocamen,* vocabulum.

659. *Dum vera re tamen ipse.* Dum revera sit ipse orbis terrarum in verum natura. Id est, si modo sit ipsa res, quam intelligimus, et oculis aliisque sensibus usurpamus; non animatum aliquid ac Deorum mater. *Wakef.*

660. *Sæpe itaque, ex uno,* etc. His 12 vss. continetur alterum argumentum, quo probat in omnibus rebus varia esse atomorum genera. Postquam igitur in ipsa terra asseruit esse varietatem hanc atomorum, jam eamdem esse ostendit in iis rebus quæ e terra nascuntur, et in ea vivunt et nutriuntur. Itaque ex eodem prato, ex iisdem herbis et sub eodem cœlo alimenta capiunt, sitimque exstinguunt ex eodem aquarum rivo diversæ animalium species, puta, oves, boves, equi, etc. Quæ tamen diversa animalia retinent generatim suam quæque propriam naturam, suos quæque parentum mores imitantur ac referunt. *Fay.*

661. *Duellica,* bellica. Festus: «*Duellum,* bellum est; videlicet, quod duabus partibus de victoria contendentibus di-

Buceriæque greges, eodem sub tegmine cœli,
Ex unoque sitim sedantes flumine aquai,
Dissimili vivunt specie, retinente parentem
Naturam; et mores generatim quæque imitantur:
Tanta est, in quovis genere herbæ, materiai
Dissimilis ratio; tanta est in flumine quoque!
Hinc porro quemvis animantem ex omnibus una
Ossa, cruor, venæ, calor, humor, viscera, nervei
Constituunt; quæ sunt porro, distantia longe,
Dissimili perfecta figura principiorum.
Tum porro quæquomque igni flammata cremantur,
Si nil præterea, tamen hæc in corpore aluntur,
Unde ignem jacere, et lumen submittere possint;
Scintillasque agere, ac late differre favillam.

micatur ». Equus autem bellicum est animal. Virg. Æn. III, 540, « bello armantur equi ».

662. *Bucerique greges*, boves, cornigerum genus animalium. — *Greges* feminino genere etiam dici testis est Festus in hac voce. — Sic V, 864, *bucera secla*. — *Eodem sub tegmine*. Id est, eodem aere, iisdem graminibus, eodem pariter flumine vescentes. *Wak.* — Alii legunt *sub eodem*, de metro male anxii.

664. *Retinente parentem naturam*. Vulgo *retinentque parentum*. Wakef. emendationem multis auctoritatibus firmatam, secutus sum, quam ipse sic exponit : « vivunt specie, retinente eam naturam quæ peperit ». Non tamen displicet *parentum*. Ed.

665. *Generatim*. Referunt mores singulis suis generibus convenientes.

666. *Tanta est*, etc. Adeo fatendum est in quolibet herbarum genere varias esse atomos quæ variis animalibus peculiare quoddam alimentum suppeditant. Ed.

668. *Hinc porro*. Sic Wak. e codd. Lambinus tamen e suis *jam vero;* non displicet bis statim repetita locutio. Ed. — *Quemvis*. Multi, *quamvis animantem ex omnibus unam*, scil. unamquamlibet ex omnibus bestiis. Fayus : « componunt unumquodque animal ex hisce rebus omnibus, quæ sunt, etc. » Wak. restituit *una* plurali numero, ut apud Virg. Æn. II, 642; Sil. Punic. XIII, 196. Sensus est : « *ossa* et *cruor*, tam similia, ut eadem prorsus in animalibus omnibus videri possint; et tamen, utcunque affinia, de principiis omnino distantibus componuntur. » Wak. assentitur Forbiger. Ed.

669. *Calor;* III, 268. Vid. disq. var.

672. *Tum porro*, etc. His 4 vss. continetur tertium argumentum, quod repetitur ex iis rebus, quæ cremantur; ex quibus nempe exsiliunt res diversæ, v. g. ignis, fumus, calor, scintilla, favilla, etc. Igitur in illis rebus, quæ cremantur, insunt varia rerum semina. *F.*

674. *Lumen submittere*, suppeditare, I, 7.

675. *Differre*, ejicere favillam quæ hinc inde volitet et dispergatur.

Cetera consimili mentis ratione peragrans,
Invenies igitur multarum semina rerum
Corpore celare, et varias cohibere figuras.
Denique multa vides, quibus et color et sapor una
Reddita sunt cum odore; in primis pleraque dona,
Religione animum turpi quom tangere pacto.
Hæc igitur variis debent constare figuris:
Nidor enim penetrat, qua sucus non it in artus:
Sucus item seorsum, et seorsum sapor insinuatur
Sensibus; ut noscas primis differre figuris.
Dissimiles igitur formæ glomeramen in unum
Conveniunt; et res permixto semine constant.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis

676. *Cetera consimili*, etc. His 3 vss. docet idem dicendum de ceteris rebus. — *Peragrans*, I, 75.

677. *Igitur*, ex hac utique peragratione. *Wak.*

678. *Figuras*, multarum rerum semina, variis figuris prædita. *Creech.*

679. *Denique multa vides*, etc. His 9 vss. continetur quartum argumentum, quo probat Lucretius varias esse atomos in singulis rebus; idque confirmat ex odore tetro, et sapore, quæ ex victimis super aras crematis emanant. *F.*—*Quibus color et sapor una.* Nam præter colorem sapor etiam in rebus est qui nos simul afficiat. Vide Disq. var.

680. *Reddita sunt*, data, attributa. — *Cum odore.* Non eliditur τὸ *cum*, sed tantum corripitur; supra vs. 404, 618. — *Dona*, sacrificia innuit, in quibus tura et aromata, immo etiam victimæ cremantur. Ed.

681. *Religione*, etc. Quum turpi modo, turpiter *tangeris animum*, id est, animus tuus movetur superstitione. Alii legunt *turpi parto*, scil. præ turpi lucro, ob fraudem admissam, quam expiare vis. Nimis exquisite. Ed.

682. *Hæc igitur*, scil. quibus est sapor, etc. — *Variis figuris*, semiinibus disparis figuræ.

683. *Nidor.* Proprie dicitur odor de rebus adustis, aut assatis. *F.* — *Qua.* Penetrat in corpus per eos meatus, per quos sapor non meat. *Cr.* — *Sucus*, ait Donat. ad Terent. Eun. II, 3, 26 (v. 318), proprie quasi *sugus;* quem sibi ex alimentis membra *sugunt*, ut se repleant.

684. *Seorsum sapor.* Vulgo *rerum sapor;* MSS plures *sursum;* unde lect. nostram Vossius restituit.

685. *Primis figuris*, primis corporibus, atomis, unde constant ipsa corpora. Male alii volunt *privis.*

686. *Glomeramen in unum*, in unam rem, in cœtum, in concilium unius rei. *Fay.*

687. *Permixto semine*, diversis atomis. Sic vs. 586.

688. *Quin etiam passim*, etc. His 12 vss. continetur quintum argumentum, quod repetitur ab eo exemplo carminum et vocum, quo usus est jam lib. I, 823. *F.*—Ut enim literæ plures, multis syllabis communes, diversa tamen vocabula efficiunt et in infinitum variant; sic plu-

Multa elementa vides multis communia verbis;
Quom tamen inter se versus ac verba necesse est
Confiteare alia ex aliis constare elementis.
Non quo multa parum communis litera currat,
Aut nulla inter se duo sint ex omnibus îsdem;
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant:
Sic aliis in rebus item communia multa
Multarum rerum quom sint primordia, rerum
Dissimili tamen inter se consistere summa
Possunt: ut merito ex aliis constare feratur
Humanum genus, et fruges arbustaque læta.
Nec tamen omnimodis connecti posse putandum est

res atomi rem quamque variis modis constituunt.

692. *Non quo multa parum.* Vide supra vs. 336. Non quod paucæ tantum literæ istis versibus et verbis communes sint. — Wakef. aliter distinguit: « Non quo multa, parum communis, litera, etc. » Vix interest. Ed.

693. *Aut nulla*, etc. Aut quod nulla duo verba redeant ex omnibus eisdem literis constantia. Wak. legit ex conjectura *eidem*, ut sit vox disyllaba, sensumque ita exponit: « Diversitas oritur non a paucitate communium *literarum;* non quod nulla duo sint *verba* ex omnibus, quæ occurrunt, communia *eidem versui;* sed quia non omnia (vel literæ verborum, vel verba versuum), ad eumdem ordinem, paria cum paribus, collocentur ». Hinc autem vult tria inuui hoc loco, *literas* scilicet, *verba*, et *versus*. Forb. cum Eichst. *eadem*, hoc sensu: « Non quo *duo* verba ex omnibus *nullâ* litera inter se *eadem* sint; id est, non quasi eadem litera non in duobus verbis diversis occurrere possit. » Quidni vero vulgatam tueamur? Dixit enim poeta *verba* et *versus* variari, quamquam eædem sæpius literæ, in verbis videlicet, recurrant, et quamquam duo similia prorsus verba, in versibus, aliquando reponantur. Ed.

694. *Paria omnibus;* supra vs. 337, et mox 724.

696. *Rerum dissimili summa.* Res omnes, quamvis contineant multa principia multis rebus communia, dissimili tamen seminum congerie, si totam compagem simul intueare, componuntur. Alii legunt *longe dissimili*, sed Noster easdem voces repetere solet, perspicuitatis unice studiosus. Ed.

700. *Nec tamen omnimodis*, etc. His 30 vss. jam aliud cavet Poeta, quod veteribus quibusdam placuit philosophis. Docet igitur non ex omnibus omnia fieri: licet enim atomi eædem varia sui transpositione, adjectioneve, aut detractione pertineant ad res varias procreandas; non pertinent tamen ad omnes omnino res; nec eodem modo in variis rebus copulari inter se possunt. Scilicet unaquæque res eam exigit dispositionem, ut atomi ipsam constituentes adsciscant eas, quæ sibi sunt congruæ, ac velut eas sibi consocient; alienas prætereant, ac veluti respuant. Cujus rei primam causam reddit his 10 versibus. *F.*

Omnia : nam volgo fieri portenta videres;
Semiferas hominum species exsistere, et altos
Interdum ramos e gigni corpore vivo;
Multaque connecti terrestria membra marinis:
Tum flammam tetro spiranteis ore Chimæras,
Pascere naturam per terras omniparenteis.
Quorum nil fieri manifestum est; omnia quando,
Seminibus certis certa genetrice creata,
Conservare genus crescentia posse videmus.
Scilicet id certa fieri ratione necesse est:
Nam sua quoique cibis ex omnibus intus in artus
Corpora discedunt; connexaque convenienteis
Efficiunt motus : at contra aliena videmus
Rejicere in terras naturam; multaque cæcis
Corporibus fugiunt e corpore percita plagis;
Quæ neque connecti quoquam potuere, neque inter

702. *Semiferas hominum species.* Puta hippocentauros. Sed de portentis naturæ fusius disputabitur lib. V, 835 sqq. *F.*

703. *E gigni.* Quidam hic unam vocem *egignere* faciunt; melius tamen alii duas, ut sit transpositio pro *gigni e corpore.* Cf. I, 841, et mox vs. 731. Ad rem vide Disq. var. Ed.

705. *Chimæras.* Chimæra monstri genus est ignivomum, caput et pectus leonis, ventrem capræ, et caudam draconis referens. V, 903. Plin. II, 110. Sic quoque Hom. Iliad. VI, 179 sqq.

706. *Pascere naturam.* Cave cum Fayo intelligas « Chimæras alere corpora sua ». Bene Creech. : « videres naturam per terras omnia producentes nutrire Chimæras, etc. » — *Omniparenteis.* V, 260; Virg. Æn. VI, 595.

708. *Certa genetrice.* Sic I, 169.

710. *Scilicet id certa,* etc. His 8 vss. secundam reddit causam, cur ex omnibus omnia non fiant; eamque repetit ex animalium incremento per cibos. *F.* — Vide Disq. var.

711. *Quoique,* cuique animalium convenientia.

712. *Corpora,* corpuscula prima : atomi. — *Discedunt,* distribuuntur, in omnia corporis diverticula disperguntur. — *Convenienteis motus.* Suppl. ad alendas certas corporis partes.

713. *Aliena.* Quippe quæ non conducunt ad animalis nutritionem. Hinc excrementa, quæ natura rejicit in terras, et respuit. *F.*

714. *Multaque cæcis Corporibus.* Multa, cæcis corporibus constantia, quum plagis percutiuntur, e corpore animalium fugiunt; ut puta, quoties spiramus, vel sudamus; ex plagis etiam particularum minutissimarum, impeta indefesso membris uniuscujusque impingentium. *Wak.*

716. *Quoquam.* Id est, in quoquam

Vitaleis motus consentire, atque animari.
Sed ne forte putes animalia sola teneri
Legibus his, quædam ratio disterminat omneis.
Nam, veluti tota natura dissimiles sunt
Inter se genitæ res quæque, ita quomque necesse est
Dissimili constare figura principiorum:
Non quo multa parum simili sint prædita forma;
Sed quod non volgo paria omnibus omnia constent.
Semina quom porro distent, differre necesse est
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus; quæ non animalia solum
Corpora sejungunt, sed terras ac mare totum
Secernunt, cœlumque a terris omne retentant.
Nunc age, dicta meo dulci quæsita labore

loco. Vulgares editi *quoiquam*, nulla cum auctoritate. *Wak.*

718. *Sed ne forte putes*, etc. His 12 vss. docet hanc causam seu rationem, quam supra reddidit, non in solis viventibus valere: sed etiam in ceteris rebus inanimatis. Quum enim res cunctæ constent ex natura dissimili, debent et dissimilibus atomis concrescere; quod supra præmonuerat vs. 335 sqq. Itaque sicut rerum natura dissimilis est: ita et atomi, ex quibus constat, dispares sint necesse est. *F.*

719. *Quædam ratio disterm. omneis.* Ne putes sola animalia teneri his certis legibus, quædam ratio (vel regula quædam apposita) disterminat omnes leges naturæ, ita ut generales eæ non sint et expertes limitum, quibus alia omnia tenentur. *W.*—Vide Disq. var.

721. *Quomque.* Id est, quodammodo. Ita ad unum omnes nostri tam scripti quam impressi. Horat. Od. I, 32, 15: « mihi *cumque* salve ». *Wak.* — Forbig. tamen vulgatam lect. *quamque* retinuit, quum sibi encliticus hic verbi *quomque* usus non supra omnem dubitationem elatus videatur. Vide etiam ad VI, 85.

722. *Figura principiorum*, principiis disparis figuræ.

723. *Multa parum.* Hi 2 vss. positi sunt supra vs. 336 sq. Confer etiam vss. 692, 694.

726. *Intervalla, vias*, etc. De his infra vs. 1020 sq.

729. *Retentant*, retinent ne conjungatur; ne cœlum cum terris misceatur et confundatur. *F.* — At nihil tale voluit Lucretius; apud illum *retentant* idem plane quod *distingunt* aut *faciunt differre*. *Creech.*

730. *Nunc age, dicta meo*, etc. His 112 vss. sqq. jam disputat Lucretius de coloribus atomorum. Quum enim Epicurus, teste Laertio lib. X, docuerit atomos nullam qualitatem, quam dicimus, præ se ferre, πλὴν σχήματος, καὶ βάρους, καὶ μεγέθους, i. e. « præter figuram, gravitatem, et magnitudinem »; quæri potest, qui fieri valeat, ut color præsertim, necnon etiam calor, sapor, odor, et ceteræ ejusmodi qualitates, rebus concretis

Percipe : ne forte hæc albis ex alba rearis
Principiis esse, ante oculos quæ candida cernis;
Aut ea, quæ nigrant, nigro de semine nata :
Neve alium quemvis quæ sunt imbuta colorem,
Propterea gerere hunc credas, quod materiai
Corpora consimili sint ejus tincta colore.
Nullus enim color est omnino materiai
Corporibus, neque par rebus, neque denique dispar.
In quæ corpora si nullus tibi forte videtur
Posse animi injectus fieri, procul avius erras.
Nam quom cæcigenei, solis quei lumina nunquam
Despexere, tamen cognoscant corpora tactu,

inhæreant, nisi prius inhæserint atomis, ex quibus rerum fiunt concretiones. Itaque solvit quæstionem et expedit breviter Lucretius; docetque atomis nullas inesse ejusmodi qualitates, ac primum negat inhærere iis colorem. Variis autem argumentis tutatur suam sententiam, de quibus jam sigillatim. Itaque his 9 vss. prioribus sententiam suam proponit, asseritque atomos omnis coloris esse expertes. *F.*

731. *Albis ex alba.* Alba ex albis, id est, res albæ ex albis atomis; I, 841.

733. *Nigrant*, nigra sunt. Participio non semel usus est Virgil. Æn. IV, 120; V, 97, al.

734. *Imbuta colorem.* Lambinus audacissime *induta* contra libros. Tacit. Hist. V, 5 : « nec *quidquam* prius *imbuuntur* »; id est, vel *in*, vel *secundum quidquam*. *Wak.*

735. *Gerere hunc.* Id est, habere; creberrimus est in hoc usu dictionis Lucretius, quem multoties sequitur Virgilius, ut adsolet, ad Græcum φέρει. *W.*

736. *Ejus.* Referre hanc vocem ad *corpora* (quasi supplendum foret *ejus rei corpora*) videtur Creechius in interpretatione. Melius vero jungas « colore consimili ejus alius cujusvis coloris ». Ed.

738. *Neque par rebus, neque dispar.* I. e. nullus est color atomis, qui sit similis, aut dissimilis coloribus iis, quos rebus concretis inesse cernimus. *F.*

739. *In quæ corpora si nullus*, etc. His 9 vss. continetur primum argumentum, quo probat atomis colores nullos inesse. *F.*—Vide in Disq. var.

740. *Animi injectus*, quasi *manuum* injectus (V, 103), quo rem quamlibet tangere possis et contrectare. Elegantissima est ab actibus corporeis translatio. *Wak.* — Sensus est : Quæ corpora, nullo videlicet colore tincta, si concipi non posse existimes, infinitum erras. *Cr.*

741. *Cæcigenei*, cæci nati. — *Solis lumina.* Sic supra vs. 654. Male, opinor, hic Wak. correxit *numina*. Nihil enim ad rem quod *Deus* sæpissime sol audiat; de ejus luce tantummodo agitur, quæ rerum colores oculis subjicit. Ed.

742. *Despexere.* Pluribus exemplis hic Wakef. evincit *despicere* non tam poni pro *deorsum spectare*, quam pro *spectare de* loco ubi sumus in circumjacentia, *late* vel *libere spectare*. Confer Ciceronem, De finibus, IV, 23 et 24, § 64, 65. Ed.

Ex ineunte ævo nullo conjuncta colore;
Scire licet, nostræ quoque menti corpora posse
Vorti in notitiam, nullo circumlita fuco.
Denique nos ipsei, cæcis quæquomque tenebris
Tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.
Quod, quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.
Omnis enim color omnino mutatur in omneis;
Quod facere haud ullo debent primordia pacto:
Immutabile enim quiddam superare necesse est,
Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodquomque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Proinde colore cave contingas semina rerum,
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Præterea si nulla coloris principieis est
Reddita natura, et variis sunt prædita formis,

743. *Nullo conjuncta colore.* Hæc est omnium codicum lectio; vulgares editi *contincta;* male. Cæci corpora profecto cognoscunt, sed solo tactu, et primis ab annis ea « nullo cum colore juncta » cognoscunt. Ed.

744. *Corpora.* Fayus intelligit *atomos;* Creech.: « inde possumus colligere *res* etiam nullo colore tinctas a nostra mente concipi posse ». Quod melius argumentationi congruit. Ed.

745. *Fuco*, colore.

748. *Quod, quoniam vinco*, etc. His 9 vss. continetur secundum argumentum, quod repetit Poeta ex omnigena colorum mutatione. Nullus enim est color, qui mutari non possit in alium quemvis colorem. Jam vero si primordiis inesset color aliquis, ipsa etiam mutari possent pro mutatione coloris sui. Sin autem primordia mutarentur, sane res redirent ad nihilum, quum in rebus nihil superesset immutabile. *F.*—*Vinco fieri.* Probo, ut apud Horat. Sat. II, 3, 225.—Et dicit poeta se argumentis, ex philosophia petitis, probaturum, quod jam provocatione ad communem hominum experientiam facta esse verissimum evicit. *W.*

750. *Quod facere*, etc. Hi 5 vss. positi sunt I, 789 sqq.

757. *Præterea, si nulla*, etc. His 19 vss. continetur tertium argumentum: quum superioribus argumentis evicisse ratus sit poeta nullos atomis colores inesse, jam docet easdem ideo tamen varios in rebus concretis colores gignere, quia constant ex variis et dissimilibus figuris ac formis, quarum varia dispositione, ordine, mutatione, ac motu colores rebus inducantur ac innascantur. Rem autem illustrat exemplo maris, cujus aquæ vulgo nigræ videntur, quum tranquillum est: ubi vero ventis turbatur, tunc fluctus apparent albescere: quod non fieret, si colorem certum haberent maris principia. *F.*

E quibus omnigenos gignunt, variantque colores:
Præterea magni quod refert, semina quæque
Cum quibus, et quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus accipiantque;
Perfacile extemplo rationem reddere possis,
Quur ea, quæ nigro fuerint paullo ante colore,
Marmoreo fieri possint candore repente:
Ut mare, quom magnei commorunt æquora ventei,
Vortitur n canos candenti marmore fluctus.
Dicere enim possis, nigrum quod sæpe videmus,
Materies ubi permixta est illius, et ordo
Principieis mutatus, et addita demtaque quædam,
Continuo id fieri ut candens videatur et album.
Quod si cæruleis constarent æquora ponti
Seminibus, nullo possent albescere pacto:
Nam, quoquomque modo perturbes, cærula quæ sint,
Nunquam in marmoreum possint migrare colorem.
Sin alio atque alio sunt semina tincta colore,

760. *Præterea magni quod*, etc. Creech. post Gifanium vellet *Propterea;* male, ut opinor : nam *præterea si* et *præterea quod* continuata ad eumdem plane sensum videtur locutio, ut omnia uno tenore ita jungantur : præterea si nullus color est principiis, at forma tantum quæ colores parit, et præterea quum magni refert quæ sit eorum dispositio; ideo perfacile, etc. Ed.—Hi tres versus 760—762 jam positi sunt I, 817 et 907 sqq.

765. *Marmoreo candore*, albedine, quæ accedat ad candorem marmoris albi, quod est exquisitissimum; quale est marmor Parium aut Lunense. Plinius XXXVI, 4, 4; 13, 1. Sic etiam vs. 767, et alibi passim. *F.*

767. *Candenti marmore.* Mare, ventis agitatum spumansque, e cæruleis fluctibus mutatur in canos, albos, candenti marmori simillimos. *Forb.*

768. *Dicere enim possis*, ut rationem reddas; vs. 763. — *Nigrum quod sæpe videmus.* Hoc de mari proprie capit Fayus; cui assentior ob vs. 772 sq. In genere dictum vult Creech.; et ita sensus erit: Dicere possis, ubi semina illius rei, quam nigram sæpe videmus, ordine et situ dimota sunt, additis aut demtis quibusdam, continuo fieri ut illa ipsa res candida appareat. Ed.

775. *Marmoreum*, album, vs. 765.— *Migrare;* vide ad V, 628.

776. *Sin alio atque alio*, etc. His 8 vss. satisfacit objectioni, quæ adversus exemplum superius propositum fieri potuit. Si quis forte dicet varias atomos maris tinctas esse variis coloribus, atque totum maris nitorem, qui unus et sim-

Quæ maris efficiunt unum purumque nitorem;
Ut sæpe ex aliis formis, variisque figuris,
Efficitur quiddam quadratum, unaque figura;
Conveniebat, uti in quadrato cernimus esse
Dissimileis formas, ita cernere in æquore ponti,
Aut alio in quovis uno puroque nitore,
Dissimileis longe inter se variosque colores.
Præterea, nihil officiunt obstantque figuræ
Dissimiles, quo quadratum minus omne sit extra:
At variei rerum impediunt prohibentque colores,
Quo minus esse uno possit res tota nitore.
Tum porro, quæ ducit et illicit, ut tribuamus
Principieis rerum nonnunquam, causa, colores,
Occidit; ex albis quoniam non alba creantur,
Nec, quæ nigra cluent, de nigris; sed variis de.
Quippe etenim multo proclivius exorientur

plex cernitur, coalescere tamen ex dissimilibus coloribus, sicut v. g. figuram quadratam cernimus fieri ex multis triangularibus figuris : sane, inquit Lucretius, necesse erit ut, quomodo in illa quadrata figura multas triangulares figuras inesse cernimus, ita in illo uno et puro maris nitore videamus varios illos et dissimiles colores, ex quibus fieret. Atqui illos non cernimus. *F.*

784. *Præterea, nihil officiunt*, etc. His vss. 4 hoc effugium nullum esse demonstrat; corpora enim diversæ figuræ in alteram diversam figuram consentire possunt, ut triangula in quadratum, at non eadem est colorum ratio, nec diversi colores unquam unum simplicem componunt. *Creech.*

785. *Quominus omne sit*, etc. Quominus extima totius compositi corporis superficies quadrata sit. *Cr.*

788. *Tum porro, quæ ducit et illicit*, etc. Hic mirum in modum se torquent interpretes, dum alius aliam hujus loci explicationem requirunt : vide infra in Disq. var. Sed omnes, ut mihi quidem videtur, in errorem lapsi, frustra novum hic argumentum indagant. Immo conclusionem ex omnibus antea disputatis auctor ita colligit : Nunc, quoniam res albæ non ex albis atomis fiunt, neque nigræ ex nigris (ut probatum est vs. 772 sqq.), sed seminum formis et positura (vs. 758 sqq.) colores *variantur*, ideo *occidit*, nullo fundamento nititur ista ratio quæ nos plerumque inducit ut colores principiis tribuamus; quippe etenim, si alba non ex albis, multo minus profecto e nigris oriuntur; ergo proclivius est res candidas creari seminibus nullo colore præditis; ergo seminibus nullus est color. Ed.

791. *Sed variis de.* Id est, sed quoniam nigræ et albæ res creantur de principiis *variis*, varia forma præditis. Male, opinor, interpretes exponunt : « sed ex seminibus diversorum colorum ». Vide autem not. 788. Forbig. *variis ex* edidit. Ed.

Candida, de nullo, quam nigro, nata colore,
Aut alio quovis, qui contra pugnet, et obstet.
Præterea, quoniam nequeunt sine luce colores
Esse, neque in lucem exsistunt primordia rerum;
Scire licet, quam sint nullo velata colore.
Qualis enim cæceis poterit color esse tenebreis,
Lumine qui in ipso mutatur, propterea quod,
Recta aut obliqua percussus luce, refulget?
Pluma columbarum quo pacto in sole videtur,
Quæ sita cervices circum collumque coronat:
Namque alias fit, uti claro sit rubra pyropo;
Interdum quodam sensu fit, uti videatur
Inter cæruleum virideis miscere smaragdos.

793. *Nigro nata colore.* Lamb. correxit contra codd. *quam de nigrante.* Sed nihil sollicitanda erat vetus lectio. Ed.

795. *Præterea, quoniam*, etc. His 15 vss. continetur quartum argumentum; idque ducitur ex eo, quod color aut esse rebus, aut cerni nequeat sine luce: atomi vero nusquam in lucem veniant, hoc est, sub oculos cadant. Igitur atomi non sunt aliquo colore tinctæ. Rem exemplo duplici confirmat, columbarum et pavonum; quorum plumæ, adverso sole, mille variant colores: remota luce, coloris sunt expertes. Igitur color gignitur in rebus ex vario lucis ictu, nihilque aliud videtur esse, quam lux. *F.* — Vide Disq. var.

796. *In lucem exsistunt*, exsurgunt, prodeunt.

797. *Velata*, circumlita, tincta; vss. 745, 776. — Wak. conjicit *violata*, coll. Virgil. Æn. XII, 67. Sed apud Virgil. agitur de coloribus mixtis, ideoque adulteratis; hic non item. Ed.

799. *Qui* corripitur, ut 618; ad metrum anapæstus est; 1024. — *Mutatur.* Senec. Nat. Quæst. I, 4: «animalia quorum *color* aut ex ipsis *mutatur*, aut positione *lucis*: quam prout *rectam aut obliquam* receperint, ita colorantur».

800. *Percussus.* Pulchre, ob diei tela, I, 148. *W.* — *Refulget.* Id est, color cernitur; pro rebus ipsis, hinc colorem suum nactis, vel ostendentibus. *W.*

803. *Alias.* Opponitur τῷ *interdum.* Wakef. legit *alia*, id est, alia via circumflexionis colli; quod probat Forbig. minus tamen bene, opinor. Ed. — *Claro sit rubra.* Audacter sane fecerunt, qui, reclamantibus libris universis, prosaicam formam *rubro clara* hic maluerint infercire. *Wak.* — *Pyropo.* Ovid. Met. II, 2; Plin. XXXIV, 20, 1.

804. *Sensu*, aspectu; ut gallice *en un certain sens*, ubi de visione agitur. *Fab.*

805. *Inter cæruleum virideis*, etc. Quum duobus his coloribus nimia sit affinitas, Wak. *curalium* edidit, ingeniose quidem, sed tamen audacter, omnibus libris una repugnantibus. Vulgatam ideo retinui, quæ etiam defendi potest; nam vs. 803 de uno tantum adventitio colore mentio fit; quidni unus hic quoque designatur? Pluma illa interdum *rubra* apparet, ut *pyropus*; interdum *viridis*, ut *smaragdus*; ideoque videtur inter *cæru-*

Caudaque pavonis, larga quom luce repleta est,
Consimili mutat ratione obvorsa colores:
Quei quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
Scire licet, sine eo fieri non posse putandum.
Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in se
Pupula, quom sentire colorem dicitur album;
Atque aliud porro, nigrum quom et cetera sentit;
Nec refert, ea quæ tangis, quo forte colore
Prædita sint, verum quali magis apta figura;
Scire licet, nil prncipieis opus esse colores,
Sed variis formis varianteis edere tactus.
Præterea, quoniam non certis certa figuris
Est natura coloris, et omnia principiorum
Formamenta queunt in quovis esse nitore;

leum suum colorem, qui peculiaris et inter tot mutationes constans permanet, *mixtos* et quasi sparsos ostendere *virides* smaragdos. Si cui tamen magis arrideat Wakefieldi conjectura, non pertinaciter dissentiam. Sed vide Disq. var. Ed.

807. *Obversa*, luci, vel soli; pro diversa ad lucem positura varios colores induit.

808. *Luminis ictu.* Sic *luce percussus* vs. 800. *Wak.*

809. *Scire licet*, etc. Et quoniam hi colores originem suam luci acceptam referunt, *licet scire*, intelligere debemus *putandum*, concludendum esse colores non posse fieri sine hoc ictu luminis. Vulgo « scilicet id... putandum est », contra omnes fere codices. *Wak.*

810. *Et quoniam plagæ*, etc. His 7 vss. continetur quintum argumentum, quo probat atomos omnis coloris esse expertes: illudque deducit ex ipsa visione, quæ juxta Epicuri sententiam sic fit. Visus, inquit ille, fit ictu quodam, nimirum per imaginum incursionem in oculi pupillam; ea quippe incursio plaga est ac ictus quidam. Talis autem ictus alius est, si oculus sentit album colorem; alius, si nigrum, etc. At ictus non fit sine tactu: tactus autem non eget colore, ut suo fungatur officio. Nihil enim refert quo colore sint prædita ea, quæ tangis. Ergo prima corpora seu atomi nullo colore tinguntur. *Fay.*

811. *Sentire.* Bene; quia visionem dicit fieri per ictum; sic vs. 813, *tangis*, scil. ope pupulæ.

815. *Opus esse;* I, 1050; II, 21, al.

816. *Varianteis edere tactus.* Oculos tangere, et tactu varie afficere, ob formas discrepantes; non autem ob colorum diversitatem. *Wak.*

817. *Præterea, quoniam*, etc. His 9 vss. continetur sextum argumentum. — Præterea, quoniam colores ex variis primordiorum figuris pendere nolunt, sed contendunt scilicet principia formarum omnigenarum quovis imbui colore posse, promiscue conjuncto; undenam accidit, omnigenos colores omnigenis animalibus haud contigisse? *Wak.*

819. *Formamenta*, formas, effigies,

Quur ea, quæ constant ex ollis, non pariter sunt
Omnigenis perfusa coloribus in genere omni?
Conveniebat enim corvos quoque sæpe volanteis
Ex albis album pennis jactare colorem;
Et nigros fieri nigro de semine cycnos,
Aut alio quovis uno, varioque colore.

Quin etiam, quanto in parteis res quæque minutas
Distrahitur magis, hoc magis est, ut cernere possis
Evanescere paullatim, stinguique colorem:
Ut fit, ubi in parvas parteis discerpitur aurum;
Purpura, pœniceusque color clarissimu' multo,
Filatim quo distractu'st, disperditur omnis:
Noscere ut hinc possis, prius omnem efflare colorem
Particulas, quam discedant ad semina rerum.

Postremo, quoniam non omnia corpora vocem
Mittere concedis, neque odorem; propterea fit,

figuras. Vox rarissima. — *Nitore*, colore; vss. 782, 787, etc.

822. *Volanteis*. Hoc dixit, breviter significans oportere eos, inter volandum, primordia diversimode coloruta spectantium oculis obvertere; adeoque non modo colore nigro, sed et alio quolibet, subinde tinctos videri. *Wak.*

825. *Varioque*. Cycni nempe vel nigri deberent apparere, vel alio quovis simplice colore, aut etiam variegato, prout particulæ, hoc vel illo modo coloratæ, abundantius congererentur. *Wak.*

826. *Quin etiam, quanto*, etc. His 8 vss. continetur septimum argumentum, quod repetitur ex eo, quod quo magis in minutas particulas res aliqua colorata distrahitur, eo magis colorem omnem suum amittit: v. g. quum aurum in minutas partes frangitur, color auri deperditur: quum purpurea vestis filatim discerpitur, purpureus color deperditur. Igitur fingamus rem aliquam coloratam ita in minutas partes dividi, ut ejusmodi partes jam sub oculos non cadant, sane eæ partes minutæ nullum colorem habebunt. Ergo a pari: quum atomi sub sensum oculorum non cadant, nullo sunt tinctæ colore. *F.*

827. *Hoc magis est*, eo magis fit.

828. *Stingui*, exstingui; eleganter; sic I, 667.

829. *Aurum*. Quod quum de auro sit falsissimum, vult Wakefield. corrigatur *ostrum*. Sed vereor ut de *ostro* quoque verissimum sit argumentum: ipse viderit Lucretius. Ed.

832. *Efflare*. Hoc translato verbo Noster ideo usus est, quia fingat colores *aura* luminis, corporibus reflexa, generari. *Wak.*

834. *Postremo, quoniam*, etc. His 8 vss. continetur octavum et ultimum argumentum. Id autem petitur a simili, ut aiunt. Sicut enim, inquit, sunt quædam corpora, quæ odore, sonitu, et voce carent, ita possunt esse corpora quædam, puta atomos, quæ colorem non habeant. *F.*

Ut non omnibus attribuas sonitus et odores :
Sic, oculis quoniam non omnia cernere quimus,
Scire licet, quædam tam constare orba colore,
Quam sine odore ullo quædam, sonituque remota :
Nec minus hæc animum cognoscere posse sagacem,
Quam quæ sunt aliis rebus privata notaque.
Sed ne forte putes, solo spoliata colore
Corpora prima manere; etiam secreta teporis
Sunt ac frigoris omnino calidique vaporis;
Et sonitu sterila, et suco jejuna feruntur;
Nec jaciunt ullum proprium de corpore odorem.
Sicut amaracini blandum stactæque liquorem,
Et nardi florem, nectar qui naribus halat,
Quom facere instituas; cumprimis quærere par est,

839. *Remota*, carentia, privata.

840. *Nec minus hæc.* Scil. quæ sunt colore destituta.

841. *Aliis rebus*, aliis qualitatibus, quas vocant; puta, odore et sonitu. — *Notaque.* I. e. signo aliquo seu qualitate, qua dignoscantur. Qualitates enim sunt quasi rerum indicia. — Forb. *notisque*, sed contra libros fere omnes. Hoc autem dicendi genus quum concoquere non posset Wak. e conjectura edidit *notarum*, ut intelligatur *privata notarum*, sicut mox 843 *secreta teporis*. Ceterum ipse etiam sinceriora exemplaria exspectat. Ed.

842. *Sed ne forte putes*, etc. Hactenus de colore atomorum : nunc autem his 23 vss. sqq. disputat de ceteris atomorum sensibilibus, quas vocant, qualitatibus; puta de colore, frigore, sapore, humore, siccitate, odore, etc. Quas omnes qualitates negat pariter inesse atomis. *F.*

843. *Secreta teporis*, expertia.

844. *Calidi vaporis* aliquid *tepore* intentius indicat. *W.*

845. *Sterila*, sterilia; antique ut *sublima*, I, 341. — *Suco* (vs. 683) *jejuna*, sicca, sine humore. Virg. Georg. II, 212: « Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris, » etc.

846. *Proprium.* Sic veteres edd. Alii *proprio;* minus bene. — *Jaciunt odorem.* Id est, particulas odorum jaculantur. Cf. Virg. G. II, 132. *W.*

847. *Sicut amaracini*, etc. In unguentis varie compositis, et odore suo fragrantissimis, nihil majore diligentia quærere debent confectores, quam simplex oleum, maxime inodorum; ut sit unguenti constituendi basis : et quo simplicius est id olivum, eo purior evadet, eo exquisitior tota compositio. Ita se res habet in omnibus rerum omnium elementis : utcumque res ipsæ vel odoribus, vel coloribus, vel qualitatibus demum quibuslibet præditæ reperiantur, harum omnium qualitatum primordia ipsa, ex quibus res constant utique, prorsus destituuntur. *Wak.* — De *amaracino* unguento vide Plin. XIII, 2, 2; XXI, 93; Isidor. IV, 12. — De *myrrhino* (*stacta* enim est myrrhæ liquor), Theophr., Dioscor.

848. *Nardi florem*, unguentum ex nardi flore confectum; de quo Plin. XIII,

Quoad licet, ac possis reperire, inolentis olivi
Naturam, nullam quæ mittat naribus auram:
Quam minume ut possit mixtos in corpore odores,
Concoctosque suo contactos perdere viro.
Propterea eadem debent primordia rerum
Non adhibere suum gignundeis rebus odorem,
Nec sonitum; quoniam nihil ab se mittere possunt,
Nec simili ratione saporem denique quemquam,
Nec frigus, neque item calidum tepidumque vaporem.
Cetera, quæ quom ita sunt tamen, ut mortalia constent,
Molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro,
Omnia sint a principiis sejuncta necesse est;
Immortalia si volumus subjungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur summa salutis:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.

2, 8. *Lamb.* — *Nectar*, etc. Odorem suavissimum in nares emittit.

850. *Quoad licet, ac possis.* Hæc est omnium, ut videtur, codicum lectio, quæ quum minus ad normam composita sit, vulgo sic mutatur *ac potis es.* De pronuntiatione vocis *quoad* ut monosyllabæ, cf. I, 1021. — *Inolentis*, non olentis, odore carentis.

851. *Auram*, afflatum odoris: odorem. Virg. G. IV, 417.

853. *Viro*, veneno: tetro fœtore.

854. *Propterea eadem*, etc. Id est, eadem via, vel similiter. Sic autem rescripsi ex levissima castigatione; hiatus tamen restat, cui supplendo nulla codicibus medela ministratur. *Wak.* — Alii *demum*, sine libris. Eichst. et Forbig. *tandem.* — Denique semina rerum suum odorem rebus procreandis adhibere non debent (prorsus inodora sunt) neque sonum (nullum habent sonum), quia nullas e suis corporibus particulas emittere valeant. *Creech.* — Locus suspectus. Vide Disq. var.

859. *Quæ quom ita sunt tamen.* Vulgo *tandem*, contra libros; sed vis τοῦ *tamen*, quæ correctores latuit, ita potest enarrari: « *quæ tamen*, id est, utcunque se res aliter habeat cum illis; quomodocumque demum in aliis afficiantur ». *Wak.* — Ceteras qualitates, quæ sunt mutabiles, interitui obnoxiæ, a rerum seminibus sejungamus necesse est. *Creech.*

860. *Molli lenta*, etc. Quæ *lenta* sunt, ob *mollitiem* vi impressæ cedunt, et subire mutationes possunt: quæ *fragosa* sunt et fragilia, *putrescendo* ex vi adhibita, vel processu temporis, corrumpuntur; quæ *cava* sunt, comprimi possunt et pertundi ob *raritatem.* Jam vero impenetrabilia sint necesse est, incorrupta, et immutabilia etiam rerum primordia: his ergo qualitatibus non obnoxia reperiuntur. *W.* — Sic locus construendus ut *corpore* ad *molli, putri* æque pertineat.

863. *Fundamenta*, etc. Sic enim probatum est I, 574 sqq. — *Summa salutis*, salus, et vita rerum. Sic IV, 507.

Nunc ea, quæ sentire videmus quomque, necesse est,
Ex insensilibus tamen omnia confiteare
Principiis constare, neque id manifesta refutant,
Nec contra pugnant, in promtu cognita quæ sunt;
Sed magis ipsa manu ducunt, et credere cogunt,
Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.
Quippe videre licet, vivos exsistere vermeis
Stercore de tetro, putorem quom sibi nacta est
Intempestivis ex imbribus humida tellus:
Præterea cunctas itidem res vortere sese.
Vortunt se fluviei in frundeis, et pabula læta
In pecudes; vortunt pecudes in corpora nostra
Naturam; et nostro de corpore sæpe ferarum
Augescunt vires, et corpora pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viva
Vortit, et hinc sensus animantum procreat omneis:
Non alia longe ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, et in igneis omnia vorsat.

865. *Nunc ea, quæ sentire*, etc. His 158 vss. aliam jam ab atomis etiam affectionem, seu qualitatem, quam dicimus, conatur arcere Lucretius; docetque atomos omnis sensus esse expertes, quamvis ex iis generentur sensilia, et animalia. Hanc autem doctrinam variis confirmat exemplis, argumentisque astruit. Sed de his sigillatim. Itaque his 9 vss. prioribus probat ab experientia sensilia gigni ex insensilibus. Vermes namque, inquit, vivi oriuntur e stercore, eque putridis terræ glebis. *F.*

872. *Putorem.* Sic codd. Alii *putrorem*; sic infra vs. 929.

873. *Intempestivis*, non opportunis, extra tempus cadentibus.

874. *Præterea cunctas itidem*, etc. His 12 vss. probare ab experientia pergit sensilia gigni ex insensilibus. Observamus enim res cunctas, veluti quodam circulo, cedere in mutuum alimentum, et in mutuam vitam. *F.* — *Vortere.* Supple e præcedd. « videre licet ».

875. *Vortunt se fluviei*, etc. Sic I, 251 sqq. — *In frundeis.* Vulgo, contra codices, « fluvii, frondes, etc. » Melius sane ad totius loci scopum, nam fluvii in frondes mutati nequaquam probant sensilia gigni ex insensilibus. Ed.

876. *Vortunt pecudes in corp. nostra*, quum earum carne vescimur.

877. *Nostro de corpore ... Augescunt*, etc. Quum a feris devoramur. Cf. V, 989.

878. *Pennipotentum*, avium, volucrum.

880. *Hinc sensus procreat.* Sensilia animalia efformat ex alimentis sensu carentibus.

881. *Non alia atque.* Non secus ac ipsa quoque natura aridum lignum in ignes resolvit.

Jamne vides igitur, magni primordia rerum
Referre in quali sint ordine quæque locata,
Et commixta quibus dent motus accipiantque?
Tum porro quid id est, animum quod percutit ipsum,
Quod movet, et varios sensus expromere cogit,
Ex insensilibus ne credas sensile gigni?
Nimirum lapides et ligna et terra quod una
Mixta tamen nequeunt vitalem reddere sensum.
Illud in his igitur fœdus meminisse decebit,
Non ex omnibus omnino, quæquomque creant res,
Sensile, et extemplo me gigni dicere sensus:
Sed magni referre, ea primum quantula constent,
Sensile quæ faciunt, et qua sint prædita forma;
Motibus, ordinibus, posituris denique quæ sint;
Quarum nil rerum in lignis, glebisque videmus:
Et tamen hæc, quom sunt quasi putrefacta per imbreis,

883. *Jamne vides igitur.* Hi 3 vss. positi sunt supra vs. 760.

886. *Tum porro quid id est,* etc. Aliud argumentum quo sententia nostra confirmatur, animus uniuscujusque præbet. Undenam ille et afficitur et movetur, et ad varios sensus promendos cogitur? huic quæstioni responsum dare nunquam valebis, nisi confiteri velis, sensus rebus sensu carentibus excitari solere; nam hæ res animum impellunt, et ejus motus atque cogitationes inde enascuntur. *Wak.* —Primus hanc interpretationem protulit *Lagrange;* sed an vera sit valde dubito; nam præterquam quod vs. 888, *ne* mutandum sit in *ni,* contra codices universos, dure insuper sequentia jungit et exponit Wak. ad vs. 889 sqq.: « Occurrit objectioni. De hoc autem, nimirum quod lapides et similia, utcumque commixta, sensile corpus nequeant constituere; illud *igitur* (vide sup. vs. 677) fœdus naturæ decebit meminisse, quod in superioribus animadverti, nempe, etc. » Simplicior igitur ineunda ratio et sensus ita constituendus: Quæ causa porro animum movet, et in varias objectiones ducit, ne credas res sensiles ex insensilibus gigni posse? nempe quia lapides et ligna et terra, si una commisceantur, nunquam tamen animatum corpus efficiunt. Animadverte vero me non dixisse ex omnibus omnino, etc. Ed.

891. *Fœdus.* Illud quod concessi tibi, ut objectioni præcaverem; illam, quam proposui, conventionem et pactionem, ne a me dissentires. Vel *fœdus* erit naturæ lex et ratio: quod mihi quidem minus placet ob sequentia *me dicere.* Ed.

894. *Sed m. referre;* 760, 883, etc. — *Quantula,* qua magnitudine prædita.

898. *Hæc,* ligna et glebæ. — *Quasi.* Primam hujus vocabuli syllabam Noster producit, quam omnes alii brevem exhibent. Ego tamen malim spondeum in *putrefacta* agnoscere. Ed.

Vermiculos pariunt; quia corpora materiai,
Antiquis ex ordinibus permota nova re,
Conciliantur ita, ut debent animalia gigni.
Deinde ex sensilibus quom sensile posse creari
Constituunt, porro, ex aliis sentire suetei,
Mollia conficiunt : nam sensus jungitur omnis
Visceribus, nerveis, veneis, quæquomque videmus
Mollia mortali consistere corpore creta.
Sed tamen esto jam, posse hæc æterna manere:
Nempe tamen debent aut sensum partis habere,
Aut similes toteis animalibus esse putari.
At, nequeant per se partes sentire, necesse est;
Namque alios sensus membrorum respuit omnis:
Nec manus a nobis potis est secreta, neque ulla

900. *Nova re.* Imbre isto adveniente e pristinis sedibus suis et positura permota, conveniunt in eum ordinem qui animalibus producendis conveniens et aptus sit. *Creech.*

901. *Ita, ut debent.* I. e. eo modo, quo debent.

902. *Deinde ex sensilibus*, etc. His 5 vss. tertio probat ex insensilibus sensilia generari; quia si ex sensilibus sensilia generarentur, sane rerum principia essent mollia. Quod enim sensile est, molle est : qualia sunt viscera, venæ, nervi, et cetera, quæ in animalibus sensu potiuntur. Sin autem mollia feceris rerum principia, igitur et mortalia erunt. *F.*

903. *Ex aliis sentire suetei.* Id est, qui *sapiunt alieno ex ore*, ut ait ipse infra V, 1132. Vulgo contra codices *sentire suetis*, id est, sensilibus; male. Ed.

904. *Conficiunt.* Uno et eodem tempore, una opera faciunt; III, 138. — MSS *cum faciunt;* unde vulgata *tum faciunt;* non tamen male. Ad rem conf. I, 511, 529, sqq. ubi Noster ostendit non *mollia* esse principia. Ed.

905. *Quæquomque.* Quæ omnia videmus, utpote mollia, resolutioni et interitui obnoxia.

907. *Sed tamen esto jam*, etc. Aliud vss. 12 proponit argumentum. Supponamus sensilia hæc rerum principia, quæ Plato et Anaxagoras statuerunt, ac proinde mollia, æterna esse posse nec interitui obnoxia, haberi tamen sensilia non possunt, neque ut partes, quia partes separatæ non sentiunt, neque ut tota, quia hoc modo essent quædam animalia, ac ideo mortalia, seu corruptibilia; quod adversatur suppositioni. *Creech.* —*Hæc.* Vel ea, quæ Plato et Anaxagoras statuunt principia rerum sensilium; vel venas et nervos. *F.*

908. *Similes.* Sic libri vetusti omnes; vulgo editi *similia.* Quoties nomina diversi generis præcesserunt, ad libitum poeta noster genus adjectivi sui variare solet. Quare igitur haud posuerit *similes*, ut *venas* et *nervos* dictio respiceret? Vide ad I, 867, 889. *Wak.*

911. *Namque alios*, etc. Namque *omnis* pars respuit *alios sensus membrorum*, id est, aliorum membrorum sensus. *Wak.*—Vide Disq. var.

Corporis omnino sensum pars sola tenere.
Linquitur, ut toteis animalibus adsimilentur;
Vitali ut possint consentire undique sensu.
Quî poterunt igitur rerum primordia dici,
Et leti vitare vias, animalia quom sint,
Atque, animalibus in mortalibus, una eademque?
Quod tamen ut possint, ab cœtu concilioque
Nil facient præter volgum turbamque animantum;
Scilicet, ut nequeant homines, armenta, feræque
Inter sese ullam rem gignere conveniundo.
Sic itidem, qua sentimus, sentire necesse est.

915. *Consentire undique.* Id est, una parte vitali ceteris respondente ac congruente; ut hinc animal unum et simplex constituatur, omnibus membris suis absolutum. *Wak.*

916. *Rerum primordia.* Quæ necesse est utique *æterna* sint, et leti plagæ non obnoxia; I, 237 sqq. *W.*

918. *Animalibus in mortalibus.* Atque, dum animalibus ipsis eorum congerie formatis insunt, ab animalibus integris non discrepant. *Wak.* — Vulgo « animalibu' sint mortalibus una eademque »; hoc sensu: Atque sint una eademque cum animalibus interitui obnoxiis. Sed plurimi codices lect. nostram tuentur. Vocem vero *una* in plurali vide ad vs. 668. Ed.

919. *Quod tamen ut possint*, etc. His 5 vss. quintum affert argumentum. Etiamsi concederem principia, ex quibus animalia fiunt, esse animalia simul et immortalia: tamen tunc nullum fieret animal, quale jam cernitur: sed acervus quidam et vulgus multorum minimorum animalium simul congregatum. Sicut enim jam per vias generationis homo non generat nisi hominem, pecus nisi pecudem, fera nisi feram; ita turba illa principiorum, quæ animalia forent, nihil aliud generarent per cœtum et concilium, quam turbam et acervum animalium; non autem certum animalium genus, quale nunc visitur. *F.* — Vide tamen not. 920. — *Ut*, quamvis. Vel suppl. *esto*, ut possint vitare leti vias, quum tamen animalia sint.

920. *Præter volgum turbamque.* Si sensum admittas in nota superiore allatum, hæc verba intellige de confusa multitudine et congerie; quod voluit Gassendus. Malim tamen ob sequentia cum Wakef. interpretari: Nihil procreabunt nisi animalia, non autem res inanimatas; ita ut hominem tantum homo, feram fera procreet, nullam vero *aliam* rem. Ed.

922. *Inter sese;* id est, feræ cum feris, pecudes cum pecudibus, etc. Vide Disq. v.

923. *Sic itidem, qua sentimus*, etc. Versus hic quod in MSS comparet, vulgo tamen in editis omittitur: quem Wak. restituit ut generalem conclusionem post refutatas, quæ præiverunt, duas objectiones. Fateor tamen hunc mihi non omnino aptum videri. Ed. — Sensus est: Sic igitur, sive hæc primordia fingantur esse partes animalium, seu per se integra animalia, necesse est ea pariter eosdem sensus habere, qui nobis contigerunt: sed ideo nec æterna manere poterunt, nec res inanimatas gignere. Ergo

Quod si forte suum dimittunt corpore sensum;
Atque alium capiunt; quid opus fuit attribui id, quod
Detrahitur? Tum præterea, quo fugimus ante,
Quatenus in pullos animaleis vortier ova
Cernimus alituum, vermeisque effervere, terram
Intempestivos quom putor cepit ob imbreis;
Scire licet gigni posse ex non sensibu' sensus.

Quod si forte aliquis dicet, dumtaxat oriri
Posse ex non sensu sensus mutabilitate
Ante, aliquo tanquam partu, quam proditur extra;

falsa est hæc ratio de naturis primordiorum. *Wak.*

924. *Quod si forte suum.* Deinde vss. 7 ridet illos qui asserunt semina sensu quidem prædita esse, at non eo qui postea in animalibus apparet; et aliud subjicit argumentum illi, quod vs. 871 continetur, affine: Ex ovis nascuntur aves, vermes e putri terra exsiliunt, at sensilia ova, aut glebas viventes quis dixerit? *Creech.*

926. *Quo fugimus.* Ad cujusmodi argumentum (v. 871), ut certissimam rationum nostrarum propugnationem, nos in effugium recepimus. *Wak.*—Libri omnes et edd. *quod fugimus*, id est, quod supra negavimus; inepto plane sensu. Quare e conjectura Wak. nostram lectionem edidit. Possis etiam suspicari olim fuisse scriptum *ad quod;* minus tamen eleganter. Ed.

928. *Effervere*, tertiæ conjugationis. Sic vs. 41, *fervere.* Vermes autem effervere dicitur eleganter, pro vermes exundare, exoriri, exsistere e terra. *F.*

929. *Putor.* Conf. ad vs. 872.

930. *Ex non sensibus*, ex insensilibus; hæc verba ὑφ' ἓν capienda esse docuit Fab.

931. *Quod si forte aliquis*, etc. His 13 vss. præoccupat et solvit alteram objectionem, cujus solutio septimi argumenti locum tenet. Si quis igitur, inquit, dixerit, sensus quidem posse generari ex insensilibus principiis, ea tamen conditione et ratione, ut ea insensilia principia prius mutata fuerint, et paulatim in sensum perfecta fuerint, eo fere modo, quo fetus ab initio grandescit, extenditur, et animatus tandem, et sensibus præditus editur: is sane rem loquitur repugnantem evidentiæ manifestæ. Neque enim aliquid mutatur, nisi prius principia congressa fuerint et conciliata; neque pariter aliquid generatur, nisi principiorum cœtu et concilio. Igitur sensus naturæ animantis non possunt generari prius, quam ipsa natura animans generetur. Namque principia ex quibus et ipsa natura animans, et ipsius sensus generari debent, vagantur ubique, v. g. in aere, in fluviis, et in aliis rebus in terra creatis. Ergo prius conciliari debent, quam quidquam generetur. Ubi vero conciliata sunt, non statim quemvis sensum generant, sed convenienti modo coire et conciliari debent ad vitales sensus. Hoc quippe totum pendet ab eorum certa dispositura, figura, motu, etc. ut dictum est supra vs. 883. Hic sane locus difficillimus est; hinc alii aliter legunt hos seqq. versus. *F.* — Vide Disq. varias.

933. *Aliquo tanquam partu.* Id est,

Huic satis illud erit, planum facere atque probare,
Non fieri partum, nisi concilio ante coacto;
Nec quidquam commutari sine conciliatu
Principiom; nequeunt ullius corporis esse
Sensus ante ipsam genitam naturam animantis:
Nimirum, quia materies disjecta tenetur
Aere, fluminibus, terris, terraque creatis;
Nec, congressa modo, vitaleis convenienteis
Contulit inter se motus, quibus omne tuentes
Accensei sensus animantem quamque tuentur.
Præterea quamvis animantem grandior ictus,
Quam patitur natura, repente affligit, et omneis
Corporis atque animi pergit confundere sensus:
Dissolvuntur enim posituræ principiorum,
Et penitus motus vitales impediuntur;
Donec materies, omneis concussa per artus,

ut tum demum vivere et sentire incipiat, in ipso partus articulo et puerperio quasi suo, quamvis antea fuerit mera brutæ telluris portio. *Wak.* — *Proditur*, porro datur, progreditur vel profertur.

937. *Principiom*, principiorum, atomorum. — *Nequeunt*. Vulgo legitur *ut nequeunt*, libris universis repugnantibus. Facile autem copula suppletur. Ed.

939. *Materies*, primordia, atomi.

940. *Terraque creatis*. Nempe lapidibus, arboribus, et mille aliis de gremio omniparentis terræ procrescentibus, quæ discernuntur ab ipsa materia terrestri. *Wak.* et *Forb.*

941. *Congressa modo*. Si modo congressa sit, si hoc etiam eveniat. *W.* — *Convenientes motus*. Sic I, 1029; II, 712, al. Lamb. correxit *convenienti*, ut cohæreat cum voce *modo*; male et contra libros omnes. Ed.

942. *Omne tuentes*. Alii *omnituentes*, quasi omnia servantes, sicut dicitur passim terra *omniparens*.

943. *Accensei sensus*. I. e. animati sensus. Metaphora ducta ab igne juxta Platonis mentem, qui censuit animas esse igneas. Sic etiam loquitur poeta vs. 959, et III, 337. *F.*

944. *Præterea quamvis animantem*, etc. His 10 vss. nihil aliud in animo habet Poeta, quam ut evincat, nonnisi post atomorum conciliatum, fieri sensum in animantibus, quum ad earum dissolutionem sensus omnis in animantibus labefactetur et pereat. Quippe ubi major plaga advenit, repente affligit, et interimit totos sensus in animante. Plaga autem nihil aliud in animante agit, quam ut atomos dissolvat. Dissolutio igitur atomorum interitus est sensuum. Ac proinde a contrariis, ut aiunt, conciliatus atomorum generatio est sensuum. *F.* — *Quamvis*, quamlibet.

946. *Confundere*, interimere, exstinguere, perdere. — Sensus ita perturbate commiscere, ut singulatim officio suo sincere fungi nequeant. *Wak.*

Vitaleis animæ nodos e corpore solvit,
Dispersamque foras per caulas eïcit omneis.
Nam quid præterea facere ictum posse reamur
Oblatum, nisi discutere ac dissolvere quæque?
  Fit quoque, uti soleant, minus oblato acriter ictu,
Reliquiæ motus vitalis vincere sæpe;
Vincere, et ingenteis plagæ sedare tumultus,
Inque suos quidquid rursus revocare meatus;
Et quasi jam leti dominantem in corpore motum
Discutere, ac pæne amissos accendere sensus.
Nam, qua re potius leti jam limine ab ipso
Ad vitam possint, conjecta mente, revorti,
Quam, quo decursum prope jam siet, ire et abire?
  Præterea, quoniam dolor est, ubi materiai

951. *Per caulas*, per foramina, per meatus (vs. 957), per poros corporis. Sic loquitur III, 702; IV, 622; VI, 840. « Caulæ autem a cavo dictæ sunt, » inquit Festus. *F.* — *Eicit.* Hanc scripturam (de qua cf. præter alios Schneid. Gr. Lat. I, p. 287 sq.) comprobant loci III, 890 et IV, 1268. *Forb.*

954. *Fit quoque, uti*, etc. His 9 vss. rem adhuc explicat, docetque ictu et plaga sensum in animantibus interire, si modo ictus acriter inflictus sit: sin autem minus acriter, hinc fit plerumque, ut animalia non moriantur, neque sensus in iis penitus exstinguantur; quia reliquiæ sensuum et vitæ, etiam in ipso leti limine, superant exitialem illum ictum, seu mortis motum; et pæne exstinctos vitæ sensus iterum accendunt, collecta tota anima, quæ jam ex membris abire cœperat. *F.*

956. *Vincere.* Hanc vocis iterationem sæpius apud poetas videre est; nec semel Noster adhibuit; III, 12; V, 299, 948; VI, 528. Ed.

957. *Quidquid*, omnes vitales sensus. — *Meatus.* Cf. vs. 951.

959. *Accendere*, animare; sic vs. 943. — Locus hic eximia sermonis proprietate, simplicitate atque elegantia mihi videtur elaboratus. *Wak.*

961. *Conjecta mente*, se conjiciente in locos maxime vitales. Et vox est ea potestate quæ trepidantis actionem denotet. Si sensus vitalis ictu possit *ejici* (vs. 951), quid impedit quo minus idem dicatur se *conjicere*. *W.* — Vulgo, contra codices, *collecta mente*: quasi dissipatis animæ partibus in suum locum coactis et reductis.

962. *Ire et abire.* Similiter *decedere, abire*, I, 681.

963. *Præterea, quoniam*, etc. His 10 vss. probat sensus non inesse atomis: argumentumque repetit ex dolore et voluptate; quorum ille fit ac sentitur, quum atomi per viscera et per artus intus concussæ trepidant, et quasi e sede dimoventur: hæc vero percipitur, quum eædem atomi revocantur aut remeant in suam sedem. Atqui atomi non constant ex iis aliis corporibus primis, quæ concuti possint aut ad dolorem, aut ad voluptatem; quum simplicia sint corpora.

Corpora, vi quadam per viscera viva, per artus,
Solicitata, suis trepidant in sedibus intus;
Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas;
Scire licet, nullo primordia posse dolore
Tentari; nullamque voluptatem capere ex se:
Quandoquidem non sunt ex ollis principiorum
Corporibus, quorum motus novitate laborent,
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ:
Haud igitur debent esse ullo prædita sensu.
Denique uti possint sentire animalia quæque,
Principieis si jam est sensus tribuendus eorum;
Quid? genus humanum propritim de quibus auctum est,
Scilicet et risu tremulo concussa cachinnant,
Et lacrumis spargunt rorantibus ora genasque;
Multaque de rerum mixtura dicere callent,

Igitur neque dolore tentari, neque voluptatem capere ex se possunt atomi; ac proinde sensu omni carent. *F.*

965. *Solicitata*, tentata, pulsa, vexata, percussa: de loco suo permota. *F.*

968. *Ex se*, per se, separatim. *Cr.*

969. *Ex ollis.* Alii *ex ullis;* nec male. Quoniam ipsa, utpote simplicia, non constant ex aliquibus principiis, quæ, etc. Aliam orationis seriem constituit Wakef.: « Quandoquidem *principiorum* corpora non sunt ex illis corporibus, quorum motus *laborent*, soleant dolorem pati ex *novitate*, qua scilicet in novam posituram migrant ». Hæc autem substantivi ante *principiorum* omissio mihi displicet. Immo ipse verborum ordo *ollis princ. corp.* aliud suadet; intell. igitur: primordia non constant ex illis atomis quæ motæ dolorem, etc. Ed.

973. *Denique uti possint*, etc. Tandem ad absurda adigit adversarios.—Wakef legit *possunt*, explicatque: Si sensus est ita principiis tribuendus, uti eo animalia potiuntur, quid dicendum erit de illis principiis, quibus homo constat? Nempe necesse est ea omne faciant quod homines; ut cachinnent, fleant, et (quod longe festivissimum est) disputent, ut nunc nos jam, de variis rerum per ipsorum cœtus factis constitutionibus, et de propria etiam eorum natura. — Sensum non recte capit Wak.; sic potius locum intelligas: Si jam propterea principiis sensus tribuendus est, ut quævis animalia ex iis composita sentire possint, quid de principiis statuendum, hominem efficientibus, longe præstantiore sensu præditum? *Forb.*

976. *Risu tremulo*, etc. Hi duo versus jam ponuntur, paullo tamen aliter, I, 918, sed alieno forsan loco, dum hic contra optime congruant. Vide quæ disputat Forbiger supra, p. 232. Ed.

977. *Et lacrymis spargunt*, etc. Cf. Virg. Æn. VIII, 645; Ovid. Epist. XV, 97, et Met. XIV, 708, qui exquisitam lectionem imitati sunt.

978. *Mixtura.* Gassendus *natura*, sed minime necessarium; vide vs. 990. *W.*

Corpora prima, quod in summis fluitare videmus
Rebus, et interdum nasci, subitoque perire.
Quin etiam refert, nostris in versibus ipsis,
Cum quibus, et quali sint ordine quæque locata.
Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, solem,
Significant; eadem fruges, arbusta, animanteis.
Si non omnia sint, at multo maxuma pars est
Consimilis; verum positura discrepitant res:
Sic ipsis in rebus item jam materiai
Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ
Quom permutantur, mutari res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem:

vel ut *ne putes*. Quia corpora prima perpetuo jactari et fluitare videmus in extremitate rerum naturalium, et interdum nasci subitoque interire, ne idcirco putes æterna esse non posse. *Lamb.* — Vide Disq. var. ad hunc versum et ad vs. 1007.

1014. *Quæque locata*. Suppl. elementa literarum; singulæ literæ.

1015. *Eadem*. Nempe elementa literarum, eædem literæ. Sic I, 820, 910.

1017. *Maxuma pars est consimilis*. Literæ eædem, plures paucioresve, in verbis longe pluribus inveniuntur; et sensus diversos efficiunt ex diversis tantummodo posituris. Elementa sunt consimilia; sed, varie concinnata, faciunt ut ipsæ res inde significatæ multum discrepent. *Wak.*

1020 sq. *Intervalla, viæ*, etc. Hi 2 vss. positi sunt vs. 726 et alibi. Nunc verba sigillatim explicaturi sumus. *Intervalla*, i. e. differentia, et spatium, quod intercedit inter atomos, quum conveniunt ad res creandas, aut etiam extra rerum concretiones. *Viæ*, regiones sunt et loca, ex quibus, in quæ, per quæ, et in quibus feruntur ac morantur atomi. *Connexus*, proximitates sunt, quibus atomi aliæ aliis magis adjunguntur. *Pondera*, motus sunt naturales, quibus sua gravitate deorsum feruntur recta, aut etiam declinant. *Plagæ*, sunt ictus, per quos resiliunt a se invicem repercussæ. *Concursus*, i. e. conciliatus, quo atomi inter se coeunt. *Motus*, i. e. ratio illa, qua sursum, deorsum, aut aliorsum feruntur. *Ordo*, ordinatio illa, quam tenent inter se in rebus procreandis. *Positura*, situs, quo ponuntur. *Figuræ*, formæ exteriores, quas in rebus exhibent. *Fay.* — Vide ad I, 634 sq. et 686.

1023. *Nunc animum nobis*, etc. His 25 vss. quia inopinatum et a communi hominum opinione abhorrens dogma traditurus est Poeta, nimirum non unicum, sed innumeros jam exsistere mundos in rerum natura; non immerito auditoris animum præparat, ne novitate ipsa doctrinæ ac rei perterritus quisque vix a limine salutatum ipsum relinquat. Præmonet igitur his 25 vss. nihil esse tam facile creditu, quod ab initio non difficile videatur: nihil contra tam esse incredibile ac admirabile videri primum, quod non paullatim credant homines, ac

Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis
Accidere, et nova se species ostendere rerum.
Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum
Difficilis magis ad credundum constet; itemque
Nil adeo magnum, neque tam mirabile quidquam,
Quod non paullatim minuant mirarier omnes.
Principio cœli clarum purumque colorem,
Quemque in se cohibent palantia sidera passim,
Lunamque, et solis præclara luce nitorem:
Omnia quæ nunc si primum mortalibus essent,
Ex improviso si sint objecta repente;
Quid magis his rebus poterat mirabile dici,
Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nil ut opinor; ita hæc species miranda fuisset!
Quam tibi jam nemo fessus satiate videndi,
Suspicere in cœli dignatur lucida templa.
Desine quapropter, novitate exterritus ipsa,

admirari desinant. Rem illustrat exemplo lucis solis, et nitoris cœli. *F.* — Cf. I, 46.

1024. *Vehementer.* Anapæstus pro spondeo; sic Horat. Epist. II, 2, 120. *Lamb.* Cf. sup. vs. 799, et III, 876. — *Molitur,* conatur, tentat.

1029. *Minuant mirarier.* Sic Terent. And. II, 4, vs. 18 fere loquitur: « nec ut ea causa minueris hæc quæ facis ». *F.*

1030. *Principio.* Id est, *primum* sit exemplum purus nitor cœli, *deinde* sidera, etc. Cæterum ea argumenti illustratione nihil aptius et excellentius desiderari potest. *Wak.* — *Colorem.* Supple *minuunt mirari.*

1032. *Præclara luce.* Wak. vult hic innui magnificentissimum omnium esse solis fulgorem; *clarum* enim cœlum ait poeta, *præclarum* vero solem. Quod tamen vereor ut Noster caverit. Ed.

1033. *Nunc si essent.* Id est, existerent, apparerent. Vulgo *si nunc adsint,* libris repugnantibus.

1034. *Si sint objecta.* Hunc versum pro elegante prioris epexegesi capio: nam τὸ *ceu* (pro *si*), quod in editionibus comparet, P. solus dedit nostrorum. *W.*

1036. *Aut minus ante,* etc. Aut quid dici poterat, quod homines antea minus ausi fuissent futurum sperare? Nihil sane.

1038. *Quam.* Id est, secundum *quam* speciem, vel, quod ad hanc speciem attinet. Conf. ad I, 222. Vulgo, membranis reclamantibus, *quom.* W. — Simplicior forsan constructio foret, si mecum intelligas: *quam* videndi satietate jam fessus quisquam non dignatur, etc. Nota enim locutionem *nemo fessus dignatur,* pro: *omnes* fessi *non* dignantur. Ed. — *Satiate.* Sic ad V, 40 et 1390; Sil. Ital. IV, 110.

1040. *Ipsa.* Mera novitate, nullis ex

Exspuere ex animo rationem; sed magis acri
Judicio perpende : et, si tibi vera videntur,
Dede manus; aut, si falsum est, accingere contra.
Quærit enim rationem animus, quom summa loci sit
Infinita foris, hæc extra mœnia mundi,
Quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens;
Atque animi jactus liber, quo pervolit ipse.
Principio nobis in cunctas undique parteis,
Et latere ex utroque, infraque superque, per omne
Nulla est finis, uti docui, res ipsaque per se
Vociferatur, et elucet natura profundi.
Nullo jam pacto veri simile esse putandum est,

philosophia petitis rationibus contra dicentibus. *W.*

1041. *Exspuere*, expellere, et cum fastidio rejicere. Cf. Terent. Eun. III, 1, 16.

1042. *Vera videntur.* Hæc quæ dicturus sum. Alii *videtur*, scil. ratio; et mox *falsa* pro *falsum*, sed paucis tantum codd. consentientibus. Ed.

1043. *Dede manus.* Fatere te victum vera ratione. Metaphora ducta a re militari. Victi enim, depositis armis, in victoriæ signum victori porrigebant manus. *F.* — Quibus verbis oppositum est, « accingere contra », impugna.

1044. *Quærit enim rationem animus.* Alii *ratione*, ut I, 369, sed aliud hic arrisit Nostro, et melioribus libris præstiterit obtemperare. *W.*—*Summa loci*, locus, spatium, inane, ut dixit lib. I, vs. 1000.

1045. *Mœnia mundi*, cœli ambitus, qui mœnium instar cingunt mundum. Sic vs. 1145; I, 73, 1094, etc.

1047. *Animi jactus*, ut observavit Gronov. (Observ. I, 7) est Epicuri ἐπιβολή, de qua conf. ipsius Epicuri epist. ad Herod. § 2, 4, 18, etc. coll. cum Cic. De nat. D. I, 20, quem Wak. jam supra attulit ad vs. 740, ubi similiter *animi injectum* legimus. *Forb.* — *Pervolit.* Prisc. IX, 1, § 8 veteres *volim* pro *velim* dixisse docet. Putaverim hic sibi opponi sententias : quo *mens prospicere*, et quo *liber* jactus animi *ipse* penetrare velit; quare etiam *pervolet* (a *pervolare* deductum) non prorsus improbaverim. *Forb.*—Vide Disq. var.

1048. *Principio nobis in cunctas*, etc. His 42 vss. variis argumentis asserere conatur non unum exstare mundum, sed infinitos jam esse. His itaque 19 vss. prioribus, argumentum primum ducit ex eo, quod infinitæ sint atomi per inane magnum, et in omnes partes infinitum patens, quæ, ut hunc mundum fortuito ac temerario concursu et concilio bene sponte sua creaverunt, ita et infinitos alios mundos pariter creasse videantur. Quid enim foris ibi agerent? cur non bene congrederentur ad alios tales mundos? *F.*

1049. *Infraque superque.* Alii « infra superaque. » — *Per omne.* Per τὸ πᾶν, per universum.

1050. *Uti docui.* I, 959 sqq.

1051. *Profundi*, totius immensi, universi infiniti. I, 1001. — Hac voce non in *imum* sola altitudo demonstratur; sed etiam in summum. *W.*

Undique quom vorsum spatium vacet infinitum,
Seminaque innumero numero, summaque profunda,
Multimodis volitent, æterno percita motu,
Hunc unum terrarum orbem cœlumque creatum;
Nil agere olla foris tot corpora materiai;
Quom præsertim hic sit natura factus, et ipsa
Sponte sua forte offensando semina rerum
Multimodis, temere, incassum, frustraque coacta,
Tandem coaluerint ea, quæ, conjecta repente,
Magnarum rerum fierent exordia semper,
Terrai, maris, et cœli, generisque animantum.
Quare etiam atque etiam taleis fateare necesse est
Esse alios alibi congressus materiai,
Qualis hic est, avido complexu quem tenet æther.
Præterea, quom materies est multa parata,

1053. *Undique vorsum.* Lamb. malit « quum quoquo versus »; nihil mutandum. Sic Justinus XLIV, 1, 11, « marinæ auræ *undique versus* adsidui flatus ».

1054. *Summa profunda*, numero immenso, et infinita multitudine.

1055. *Multimodis.* Nempe deorsum, sursum, dextrorsum, sinistrorsum, etc. ut dictum est supra initio hujus libri, vs. 333. *F.*

1056. *Hunc unum.* De hac mundorum pluralitate, quam Epicurei post Democritum (Cic. Nat. Deor. I, 24) tenuerunt, videas ad V, 529. *W.*

1057. *Foris*, extra hunc mundum, hocve cœlum.

1058. *Natura.* Non a Diis, nec aliquo consilio, sed vi naturæ.

1059. *Sponte sua*, etc. Nulla vi dirigente, se invicem agitantia et percellentia fortuito, etc.

1060. *Temere, incassum.* De verbis ejusdem notionis e Lucretii more cumulatis conf. quæ ad I, 814 disseruimus. *Forb.—Frustraque coacta.* Vide Disq. v.

1061. *Coaluerint.* Hanc lectionem præferendam duxi (vide vs. 1130) in magna librorum discrepantia. *Coaluerint*, una creverint. Alii *cooluerint*, quasi coolescere sit concrescere, cogi, quia olescere, inquit Festus, crescere est. *F.* — *Ea.* Suppl. semina vs. 1059. — *Conjecta*, compulsa in cœtum : coacta in unum locum ad rerum concretiones. Sic enim loquitur vss. 1073, 1074, et alibi passim. In unum quippe locum atomi conjici debent, ad rerum concretiones faciendas. *F.* — Vide V, 430 sqq.

1066. *Qualis hic est*, qualis hic congressus materiæ est, quem, etc. id est, hic mundus noster, qui ex atomis coalescit. *F.* — *Avido*, vasto, ingenti, capaci, multa comprehendente, ut V, 202.

1067. *Præterea, quom materies*, etc. His 10 vss. argumentum alterum ex Epicuro mutuatur, qui sic apud Plut. Plac. I, 5 ratiocinatur : « esse mundos multitudine infinitos constat ex eo, quod causæ infinitæ sunt. Nam si hic quidem mun-

Quom locus est præsto, nec res, nec causa moratur
Ulla; geri debent nimirum et confieri res.
Nunc, et seminibus si tanta est copia, quantam
Enumerare ætas animantum non queat omnis;
Visque eadem et natura manet, quæ semina rerum
Conjicere in loca quæque queat, simili ratione
Atque huc sunt conjecta; necesse est, confiteare
Esse alios aliis terrarum in partibus orbeis,
Et varias hominum genteis, et secla ferarum.
Huc accedit, uti in summa res nulla sit una,
Unica quæ gignatur, et unica solaque crescat;
Quin aliquoju' siet secli, permultaque eodem
Sint genere: in primis animalibus indice mente

dus finitus est, causæ vero, ex quibus est, fuere omnino infinitæ, necesse est mundi infiniti sint. Prorsus enim ubi sunt causæ, effectus quoque ibi sunt. Causæ autem sunt, sive atomi ». Itaque, inquit Festus, materia mundorum infinitorum copiosa est, immo infinita; locus immensus: nihilque repugnat, quominus sint infiniti mundi, quum eadem vis, eadem naturæ propensio constet, quæ ad hunc mundum faciendum exstitit. *F.*

1069. *Geri et confieri.* Ita *se gerere*, vel ita administrari ut *confiant*, congrediantur, et congressu mundos gignant, atque omnem una mundorum apparatum. *Wak.*

1071. *Ætas animantum*, vita hominum.

1074. *Atque huc.* Atomos in alia quæque loca conjicere ratione simili atque conjectæ sunt in hunc locum, in quo hic mundus exstat.

1076. *Secla ferarum*, genera belluarum; vide supra 995.

1077. *Huc accedit, uti*, etc. His 13 vss. argumentum tertium ducit a simili. Nihil enim, inquit, rerum, quæ in hoc mundo sunt, unicum est in suo genere: sic in genere quovis animalium multa sunt animalia; sic in genere mortali hominum multi sunt homines, etc. Quidni igitur in ipso hoc mundi nostri genere, multi queant esse mundi? Quidni multi sint soles, multæ terræ, multæ lunæ, multa maria, etc. Immo infinitus horum omnium numerus? par enim utrobique ratio: tam enim certus vitæ terminus manet solem, lunam, terram, mare, etc. quam feras, homines, pisces, et aves: ac æque constant nativo, hoc est, mortali corpore. Hoc eodem argumento usus est Plutarchus, de Oracul. ad hoc, ut probaret, non infinitos quidem, sed plures esse mundos. Verum hæc ratio non plures aut infinitos jam esse mundos arguit: sed plures quidem aut infinitos fieri posse, si Deo placuerit. *F.*

1079. *Aliquoju' siet.* Ita rescribendum esse Gronovius verissime censuit. Sensus est: Quin et aliquo demum seculo nascantur, et sint suo genere numerosa. *Wak.* — *Secli* tamen cum Gronovio facile intelligerem *generis*; ut sæpissime *secla ferarum* apud Nostrum. Ad rem conf. quæ dixit supra vs. 533 sqq. Ed.

1080. *Indice mente.* Indicio mentis;

Invenies sic montivagum genus esse ferarum,
Sic hominum geminam prolem, sic denique mutas
Squamigerum pecudes, et corpora cuncta volantum.
Quapropter cœlum simili ratione fatendum est,
Terramque, et solem, lunam, mare, cetera, quæ sunt,
Non esse unica, sed numero magis innumerali;
Quandoquidem vitæ depactus terminus alte
Tam manet hæc, et tam nativo corpore constant,
Quam genus omne, quod his generatim rebus abundans.
Quæ bene cognita si teneas, Natura videtur

si rationis mentisque monstrationes attendas. In hac lectione libri conspirant omnes; aliter Lipsii tentamen *injice mentem* arrisisset. *W.*

1081. *Montivagum*, quod montes colit. Sic vs. 598. — *Sic esse.* Ita esse generatum, plurima singularia et individua complecti.

1082. *Geminam.* Alii *genitam.* Sed vera est lectio recepta nobis; nec minus ad alia exempla, *feras* nempe, *pisces*, et *volucres*, pertinet quam ad *homines*: ut poeta significet non tantummodo multa esse cujusque generis animalia, sed in quovis etiam genere multa utriusque sexus. *Wak.*

1083. *Squamigerum pecudes*, pisces. Sic vs. 343.

1086. *Numero innumerali.* Conf. vs. 1054.

1087. *Depactus*, fixus; a verbo *depango.*

1088. *Manet hæc.* Quandoquidem his omnibus certus vitæ terminus a natura æque statuitur ac istis rerum generibus, quæ plurima individua complectuntur. *Creech.* — Vulgo « manet his ... nativo hæc ». Nos codicum scripturæ pressius adhærentes, suavius aliquid concinnare conati sumus. *W.* — *Nativo*, mortali, ut vs. 543, al.

1089. *Quod his generatim reb. abundans.* Sic plures et optimi libri, non *abundat*: verbum substantivum pro solito subintelligitur. — Sententia est: « Nam illa non minus initia habuere, et habitura sunt finem quam genus omne animalium, quæ sunt, unumquodque in suo genere, tam innumerali numero ». Rectum fuisset: quam genus omne *harum rerum* quod abundat generatim. *W.*

1090. *Quæ bene cognita*, etc. His 15 vss. concludit ex iis, quæ hactenus disputata sunt de natura et qualitatibus atomorum, concludit, inquam, id quod jam initio I, 57 sqq. præmonuerat, nimirum, Deos semotos a rebus nostris immortali frui ævo summa cum pace, nec rerum curam agere; infensus quippe divinæ providentiæ et omnipotentiæ non potuit capere, quod Virgilius post ipsum bene cepit Georg. IV, 221: « Deum namque ire per omnes Terrasque tractusque maris cœlumque profundum, etc. » Non potuit autem Lucretius ex Epicuri doctrina persuasum sibi habere naturam Deorum adeo potentem esse, ut validas hujusce mundi habenas teneret. Deinde voluit omnia in hoc mundo contingere fortuito et temerario casu. Demum in ea fuit opinione, qui vidit, ut ait Plutarchus Plac. I, 7: « malis esse bene et bonis male ». Quam impiam Epicuri sententiam præclare admodum damnat,

Libera continuo, dominis privata superbis,
Ipsa sua per se sponte omnia Dîs agere expers.
Nam pro sancta Deum tranquilla pectora pace
Quæ placidum degunt ævom, vitamque serenam!
Quis regere immensi summam, quis habere profundi
Indu manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter cœlos omneis convortere, et omneis
Ignibus ætheriis terras suffire feraceis;
Omnibus inve locis esse omni tempore præsto,
Nubibus ut tenebras faciat, cœlique serena
Concutiat sonitu? tum fulmina mittat, et ædeis
Sæpe suas disturbet; et in deserta recedens

vel unus Cic. N. Deor, I, c. 2. *F.*—Vide etiam notata ad Sen. Nat. Q. I, præf. 2.

1091. *Dominis superbis*, diis quos timent homines.

1092. *Diis expers*, sine deorum ope et providentia. — De hac constructione vocis *expers* cum sexto casu conf. Cort. ad Sall. Cat. 33.

1093. *Pro sancta*, etc. Exclamat non sine stomacho, quasi fieri non possit ut ulla vis, ulla providentia hanc mundi fabricam regat. *Lamb.*

1094. *Quæ placidum*, etc. Sic I, 57, et V, 83. — *Vitamque serenam.* Sic vulgo; nec male. Wakef. correxit *multumque serenum* e Pii codicibus; coll. Horat. Od. I, 25, 5, *multum facilis.* Alteram lect. prætuli, utpote auribus magis gratam. Ed.

1095. *Summam*, universam naturam, universum.

1096. *Indu*, vel *endo*, i. e. in manu. Vide ad I, 83; VI, 891. — *Moderanter habere*, moderari. Sic Plautus Asin. I, 1, 63, « arcte contenteque habet ».

1097. *Cœlos convortere.* Virgil. Æn. IV, 269, « *cœlum* et terras qui numine *torquet* ». *Wak.* — *Cœlos.* Ea vox semper singulari numero dicitur, ut ait Corn. Fronto apud A. Gell. XIX, 8; sed Epicureæ sectæ scriptores, qui infinitos mundos statuebant, necesse habuerunt *cœlos* dicere. *Faber.*

1098. *Suffire*, suffumigare, vaporare. Ferax enim terræ solum redditur ex vaporibus, seu caloribus, quos sol et astra terris mittunt. *Fay.*

1100. *Nubibus ut tenebras faciat.* Ut sit ille Homereus νεφεληγερέτα Ζεὺς, coactor aeris in nubem, Iliad. I, 511, ut Virg. Æn. V, 20. *Wak.* — *Cœlique serena.* Hæc non sunt acerbius exigenda, quasi poeta de fulmine portentoso loqueretur, quod cœlo nubium puro aliquoties fit: accipies potius τὸ *serena*, ut epitheton perpetuum. *Wak.* — Et sane priori hujusce versus parte, quid ipse innueret, poeta declaravit.

1101. *Sonitu*, tonitru. Sic VI, 388. Sic Terent. Eun. III, 4, 42 (vs. 590).

1102. *Sæpe suas disturbet.* Wakef. corrigit *ipse*, collatis Ciceronis versibus, de Div. I, 12; II, 20. Sed hic vulgata bene habet; namque non semper fulmen *in sua templa furit*, ut ait Lucanus I, 155. Ed. — *In deserta.* Dictum est per oppositionem præcedenti *ædeis*; nunc in *urbibus*, nunc in *sylvis* promiscue et

Sæviat, exercens telum, quod sæpe nocenteis
Præterit, exanimatque indignos inque merenteis?
Multaque post mundi tempus genitale, diemque
Primigenum maris et terræ solisque coortum,
Addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
Semina, quæ magnum jaculando contulit Omne;
Unde mare et terræ possent augescere, et unde
Appareret spatium cœli domus, altaque tecta
Tolleret a terris procul; et consurgeret aer.
Nam sua quoique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora distribuuntur, et ad sua secla recedunt:
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Crescit; et ignem ignes procudunt, ætheraque æther:
Denique ad extremum crescundi perfica finem

nulla cum providentia, exercens telum. *Wakef.*

1103. *Telum*, fulmen; Virg. Georg. I, 332. — *Quod sæpe nocenteis*, etc. Sic VI, 393. Forb. e vett. edd. *quo*, non ineleganter.

1104. *Inque merenteis*, immerentesque; insontes; *indignos*, qui puniantur.

1105. *Multaque post mundi*. Redit ad institutum. — Mundos infinitos exstruxit, mortales asseruit animalibus similes, atque adeo nutriri, crescere, aliquando etiam diminui, senescere, et ad interitum vergere affirmat vs. 17. Infinitum enim universum subministrat semina, quibus receptis et debite conjunctis crescit mundus, et fit vegetior; quum tot semina emittit quot recipit, tum consistit, i. e. neque crescit, neque diminuitur: quum vero plura e mundo emittuntur semina, quam recipiuntur et debite conjunguntur, tum debilior fit mundus, et senescit. *Creech.*—*Tempus genitale*, tempus creationis: exortum mundi. *F.*

1106. *Primigenum*. I. e. primordialem. — *Coortum*. Fayus et Creech. exponunt: «post diem natalem maris et terræ, et post exortum solis». Forsan melius Wak. jungit «post diem primigenum coortum», postquam coortus est dies primigenus maris, terræ et solis. Vult autem Lucretium ita loquutum esse, quia dies his omnibus prima inceperit *una cum exorto* sole. Videtur autem Forbiger commate tantum post *maris* posito, intelligere: *et coortum*, exortum, *terræ solisque*; non male. Ed.

1107. *Addita sunt*. Huic mundo scilicet, vel potius his mundis omnibus.

1108. *Semina*, etc. Cf. I, 996, 1035.

1110. *Appareret spatium*. Sibi procrearet, acquireret amplitudinem. A verbo *apparo*.

1113. *Ad sua secla recedunt*. Ex omnibus universi partibus propria semina singulis rerum generibus distribuuntur et applicantur. — In hoc loco voce *secla* Noster latius abutitur, de rebus omnibus intelligendum volens mundum constituentibus. *Wak.*

1116. *Denique*. Id est, jam tandem: post auctam rerum, pedetentim ac gradatim, temporis decursu factum, omnia

Omnia perduxit rerum Natura creatrix :
Ut fit, ubi nihilo jam plus est, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit atque recedit.
Omnibus his ætas debet consistere rebus;
Hic Natura suis refrenat viribus auctum.
Nam quæquomque vides hilarem grandescere ad auctum,
Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ,
Plura sibi assumunt, quam de se corpora mittunt;
Dum facile in venas cibus omneis inditur, et dum
Non ita sunt late dispersa, ut multa remittant,
Et plus dispendî faciant, quam vescitur ætas.
Nam certe fluere atque recedere corpora rebus
Multa, manus dandum est; sed plura accedere debent,
Donec alescundi summum tetigere cacumen.
Inde minutatim vireis et robur adultum
Frangit, et in partem pejorem liquitur ætas.
Quippe etenim, quanto est res amplior, augmine ademto,
Et quo latior est, in cunctas undique parteis

suam maturitatem attigere. Sic nostri libri ad unum; editores autem *donicum* ex arbitrio, ut vs. 1130. *Wak.* — *Perfica*, perfectrix; quæ perficit. Nomen est inhonesti numinis apud Arnob. IV, p. 131.

1118. *Ut fit ubi*, etc. Quod evenit, quando res non plura recipiunt semina, quam amittunt.

1119. *Venas.* Hic latiorem significationem dictio sibi vindicat pro meatibus omnibus totius corporis. *Wak.*

1120. *Debet consistere.* Necesse est ut vita harum rerum, maturitatem suam attingentium, progredi desinat, et permaneat stativa, natura jam tandem suas vires refrenante. *Wak.*

1122. *Hilarem ... ad auctum.* Orellium in hoc versu sequutus sum. Wakef. *hilare* edidit; Eichst. cum Haverc. et vulg. edd. *hilaro adauctu*, quod tamen substantivum compositum nusquam alias apud Lucretium occurrit. *Forb.*

1125. *Inditur.* Vulgares editi, tritiorem dictionem rariori præponentes, *ditur* exhibent, non tamen sine libris. Conf. Plaut. Cas. II, 3, 31; Ovid. Met. VII, 788, et Avien. Orb. descr. 716.

1126. *Dispersa*, dilatata.

1127. *Dispendii*, damni, detrimenti. — *Quam vescitur ætas*, quam earum rerum vita pascendo capit.

1129. *Manus dandum est*, dandæ sunt manus, i. e. concedendum est, ut dixit vs. 1043.

1130. *Alescundi*, grandescendi, crescendi, alimentorum ope procedendi. Lambinus vero *olescendi*, coll. vs. 1061.

1132. *Liquitur*, tabescit in deteriorem partem, id est, in senectutem.

1133. *Augmine ademto.* I. e. quum crescere desinunt. Alii *demto.*

Plura modo dispergit, et a se corpora mittit;
Nec facile in venas cibus omnis diditur ei;
Nec satis est, pro quam largos exæstuat æstus,
Unde queant tantum suboriri, ac suppeditare,
[Quantum opus est, et, quod satis est, natura novare.]
Jure igitur pereunt, quom rarefacta fluundo
Sunt, et quom externeis succumbunt omnia plageis:
Quandoquidem grandi cibus ævo denique defit;
Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
Corpora conficere, et plagis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
Expugnata dabunt labem putreisque ruinas.
Omnia debet enim cibus integrare novando,
Et fulcire cibus, cibus omnia sustentare.

1135. *Plura modo.* Sic omnes MSS; editores tamen singularem per audaciam *pluria eo* nobis procudere. Constructio est: « et quo *modo* latior est, *eo* modo plura dispergit »; subaudito hinc pronomine, illinc substantivo: et his quid frequentius? *Wak.*

1136. *Diditur*, distribuitur.—*Ei.* Al. metro consulentes, legunt *eii;* I, 689.

1137. *Pro quam* (cf. III, 200), etc. Nec satis est supplementi *pro* æstibus iis *quam* (in quantum) exæstuat largos æstus; unde queant (nempe corpora, vs. 1135) *in* tantum suboriri ac suppeditare. *Wak.* — *Æstus* autem intelligendum est de calidis illis et humidis particulis, quas sudando, exhalando, etc. corpora animantium quotidie amittunt. Quod non intelligentes, et librarii et critici hunc versum varie tentarunt. *Forb.* —Vide Disq. var.

1138. *Suppeditare*, absoluto sensu; vide ad I, 548.

1139. [*Quantum opus est*, etc.] Hic v. jure ab omnibus editoribus spurius est declaratus, utpote interpretamentum prioris e vs. 1150 petitum. Wak. prorsus eum omisit, nos cum Eichst. et Orellio uncis inclusimus. *Forb.*

1140. *Rarefacta*, late dispersa; vs. 1126. H. e. quum atomi majoribus intervallis a se distant per effluxum, et rei textura fit rarior.

1141. *Tuditantia*, tundentia: translatio est a fabrili officina derivata. *W.* — Affert hunc vers. Festus s. v. *Tuditantes*, simul Ennii locum (p. 52 Hessel.) laudans, in quo idem verbum *tuditare* legitur, quod redit apud Nostrum III, 395. *Forb.*

1145. *Sic igitur magni*, etc. Quod hactenus de rerum omnium incremento, statu constanti, et interitu dixit Poeta, id jam ab hoc versu ad finem libri de mundo hoc dicendum censet, quasi mundus hic, instar animalium, creverit, steterit, et tandem interiturus sit. *F.*— *Circum.* Adverb. quæ circumdant, quæ ambiunt mundum. — *Mœnia.* I, 74.

1146. *Dabunt labem*, corruent; vide Davis. ad Cic. De nat. Deor. II, 5. — *Putreisque*, quæ corruptione et putredine fiant.

1147. *Integrare*, I, 1031.

Nequidquam; quoniam nec venæ perpetiuntur,
Quod satis est, neque, quantum opus est, natura ministrat.
Jamque adeo fracta est ætas : effetaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud, ut opinor, enim mortalia secla superne
Aurea de cœlo demisit funis in arva;
Nec mare, nec fluctus, plangentes saxa, crearunt;
Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex se.
Præterea nitidas fruges vinetaque læta
Sponte sua primum mortalibus ipsa creavit;
Ipsa dedit dulceis fetus et pabula læta,

1149. *Nequidquam.* Sed id frustra tentatur; sed illud quoque incassum abit, quia res plus alimenti petunt quam quod subministratur. Vel potius hæc ad *mundum* refer. Frustra nunc huic mundo natura cibos sufficit; quia *venæ*, meatus per quos alimentum distribuitur, jam non recipere sustinent id quod satis est; neque ipsa natura subministrat, quantum necesse foret. Ed.

1151. *Jamque adeo,* idque ita verum est, ut, etc. — *Fracta,* jam vires mundi debilitatæ sunt. Haverc. cum vulg. edd. *affecta;* sed contra optimos libros. — *Effetaque tellus,* defessa pariendo. Cf. V, 824 sq.

1153. *Secla,* genera animalium, vel rerum omnium.

1155. *Aurea ... funis.* Quamquam funis sit masculini generis, a Lucretio tamen ponitur in femineo. « Cur, inquit A. Gell. XIII, 20, nisi ut grandiore sono sit versus? » Porro per funem aureum notat Lucretius catenam illam auream Homericam, per quam scilicet res cunctas e cœlo in terram demissas fabulantur, Iliad. VIII, 18. Quamquam, si Platoni credimus, nihil aliud Homerus, quam solem dicit, et ostendit esse catenam auream; quia dum sol mundum suo cursu ambit ac lustrat, omnia salva sunt et conservantur, vivunt et vigent, tum quæ apud deos, tum quæ apud homines sunt. Si vero stet sol, et quiescat tamquam vinctus, res omnes intereant necesse est. Macrobius autem lib. I in Somn. Scip. catenam illam Homericam vult esse a summo deo ad ultimam rerum fæcem, connexionem unam, mutuis se vinculis religantem, et nusquam interruptam. *Lamb.*

1156. *Plangentes,* verberantes. Undæ quippe maris verberant rupes et saxa mari adhærentia. — Tangit, ut opinor, Thaletis sententiam qui ex aqua censuit omnia constare; non immemor interea commentorum poeticorum quæ fingunt immaniores homines e mari generatos. Hom. Iliad. XVI, 34. *Wak.*

1158. *Nitidas fruges,* læta sata. Sic I, 253.

1159. *Sponte sua,* nullo labore hominum.—*Primum,* per auream ætatem. Cf. Ovid. Met. I, 101, et alios.

1160. *Et pabula.* Wakef., probante Forbigero, legit *per pabula,* ita ut *dulces fetus* non sint fructus, sed pecudes; coll. I, 14. Quod tamen minus placet ob sequentem versum ad terræ fetus sane referendum. Ed.

Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore;
Conterimusque boves, et vireis agricolarum
Conficimus, sereis vix arveis suppeditatei:
Usque adeo pereunt fetus, augentque labore!
Jamque, caput quassans, grandis suspirat arator
Crebrius in cassum magnum cecidisse laborem:
Et, quom tempora temporibus præsentia confert
Præteriteis, laudat fortunas sæpe parentis.
Tristis item vetulæ vitis sator, atque [fatiscens,]
Temporis incusat momen, cœlumque fatigat;
Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum
Perfacile angustis tolerarit finibus ævom,

1163. *Sereis*, etc. Vix sufficientes (I, 548) agris proventum tarde reddentibus. Plaut. Asin. II, 4, 17: « labori non queo *suppeditare* ».

1164. *Usque adeo*, etc. Hic versus est omnium qui præiverunt, quasi ἐπιφώνημα quoddam et corollarium generale. *Usque adeo* non modo sua sponte (vs. 1159) fetus non grandescunt, sed etiam minuuntur contabescentes; neque *adaugeri* possunt, nisi ex assiduis improbisque *laboribus* tam boum, quam agricolarum! *Wak.* — Alii *augentque labores*; sed libri fere omnes repugnant; *augent* pro *augescunt* dictum.

1165. *Caput quassans*, vel minantis, vel irascentis instar; Virg. Æn. VII, 292. Hic potius dolentis indicium est. — *Grandis*, grandævus.

1166. *Laborem*. Sic cunctæ vett. edd. quas sequutus sum. *Labor in cassum cadit* non valde differt ab *in cassum laborare*, V, 1429. Tunc vero necessario conjungenda *labor magnus*, ut II, 2, et IV, 959. *Forb.* — Wakef. autem legit « in cassum magnum cecidisse labores », notatque: « Hic loci *cassum* significat *inane spatium*; Non. Marcellus I, 217; nec multum discordat Servius ad Æn. VII, 421. Verba igitur *magnum cassum* aliter ipse Lucretius extulerat I, 1017, *Copia ferretur magnum per inane soluta* ».

1168. *Laudat fortunas*. Sic Terent. Andr. I, 1, 97.

1169 sq. *Tristis item*, etc. Hi duo versus vulgo omittuntur, quamquam meliores libri eos exhibeant, sed mendosissime. Vide Disq. var. — *Vetulæ*, effetæ.

1170. *Momen* apud Lucretium omnino pro *motu* usurpatur (III, 145, 189, 190; VI, 474); ideoque *momen temporis* indicat *mutata tempora*. De significatione formulæ *fatigare deos*, scil. precibus, cf. Huschk. Epist. crit. p. 21, et Oud. ad Apul. Met. VI, p. 384. *Forb.*

1171. *Crepat*, clamitat; in ore crebro habet: crebris sermonibus usurpat. — *Ut*. Græce ὡς, i. e. quam, quomodo. — *Pietate repletum*. Prisci quippe homines solis diis vacabant, quia terra sponte sua dabat fruges, nec in ea colenda ætatem ducebant omnem. *F.*

1172. *Perfacile*, nullo, vel sine magno labore. — *Angustis finibus*, parvo agello. — *Tolerarit*, sustentaverit; Virg. Æn. VIII, 409.

Quom minor esset agri multo modus ante viritim:
Nec tenet, omnia paullatim tabescere, et ire
Ad capulum, spatio ætatis defessa vetusto. 1175

1173. *Viritim*, per singula capita, per singulos viros. — Quippe olim singulis hominibus multo minor *agri modus* (Horat. Sat. II, 6, 1) contigerat.

1174. *Tenet*, novit, intelligit; III, 649. — *Tabescere*, fluere, liquescere, deficere, minui, senescere: vs. 1132.

1175. *Ad capulum*. Sic Haverc. ingenio ductus refinxit; quam conjecturam laude dignissimam Wak. Eichst. Orell. receperunt. *Capulum* enim est feretrum et sæpissime cum sepulcro conjungitur. Cf. Nonius I, 13. *Forb.* — Vide Disq. var. — *Spatio ætatis defessa*. Sic V, 825. — *Vetusto*, per quod jam diu mundi res cucurrerint. *W.*

IN LIBRUM SECUNDUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

5 et 6. *Per campos instructa*, etc. Hos versus Haverc. cum vulgaribus edd. inverso ordine exhibuit, ad intelligentiam lectorum, Lucretii rationem ignorantium, utique facilius. *Forb.*

17. *Nisi ut quoi.* Creech. *nisi ut, quom;* cujus nota est : « *Nisi utque*, et sequenti versu, *Mensque* legit Fayus contra omnes codd. Alii approbant *ut qui*, alii *ut cui*, et pro *Semota* legunt *Semotu'* : forsan rectius ».

27. *Fulget.* Ita in vett. libris. Vulgati : *fulgens, renidens.* Quod Marullus induxit. — Wakef. ex uno cod. proponit : « nec domus, argento fulgens auroque, renidet ». Fortasse *ostroque renidet* Lucretius scripsit; nam versu seq. auri satis superque meminit. *Preig.*

42. *Fervere quom videas classem*, etc. Nonius Marcell. testem producit versum ex hoc libro, hujusmodi, « Fervere quum videas classem, lateque vagari » : quem quum ego nusquam reperissem, ei hic locum esse existimavi. Perierat autem in exemplaribus manuscriptis, errore librariorum, propterea quod duorum versuum idem principium esset. Habet vero hæc ἐπανάληψις venustatem non injucundam. *Lamb.*—Perperam huic loco ex Nonio intruserunt viri docti alterum illum versiculum : « Fervere quum videas classem, lateque vagari » : quum Nonius potius ex MSS Lucretii corrigendus sit. Ingeniose autem huic Nonii apposuit Gifanius : « Ornatamque armis, belli simulacra cientem ». Sed prior pars conflata ex duobus illis versiculis, qui quo facto huic loco adhæserint, mihi nondum liquet, certe haud parum turbant. *Preig.* —Versum defendit Wakef., ratus vix potuisse poetam, de naumachiæ simulacris, quibus Romani tantopere delectabantur, silere. Duos autem huc versus quidam codd. inserunt, ad hunc fere modum : « Subsidiis magnis Epicuri constabilitas, Ornatas armis statuas, stantesque animatas ». Quos rejicere interpretibus recte visum est. Versum autem 42 Forbiger uncis inclusum edidit. Ed. — Quidquid Lambinus de jucunda hujus ἐπαναλήψεως venustate fabuletur, mihi certe non solum admodum ingrata et a Lucretii gravi simplicitate aliena, sed propterea etiam non ferenda videtur, quod nulla prorsus apparet causa, cur, si uterque versus in

Lucretii codicibus adfuisset, Nonius alterum tantum attulerit, nisi alterum illo jam tempore a librariis delicatis aut negligentibus omissum fuisse arbitremur. Nonii autem fidem eo usque in dubium adducere, ut vulgarem codicum lectionem sola negligentia vel memoriæ errore tantopere ab eo mutatam habeamus, nimis aut iniquum aut fastuosum mihi videtur. Quare hoc etiam in loco duplicis recensionis vestigia nobis superesse arbitror. *Forb.*

43. *Timefactæ.* Alii legunt *tumefacto.* Quid ni « tumefactæ religiones », i. e. superbæ. Faber non potest ab animo suo impetrare ut approbet « Religiones timefactæ, pavidæ », quum *pavidus* et *timefactus* idem sonent, quamobrem lubens legit, « His tibi tum rebus pavefactæ religiones Effugiunt animo, pavidi mortisque timores Tum vacuum pectus linquunt, etc. » *Creech.* — Et cur non « pavidæ mortisque timores » scribas? sola distinctione mutata, pro morte pavidum reddente, ut multa talia. *Hav.* — Conjecturam quoque suam attulit Wakef. « tum exactæ rel. » Attamen vulgatam tuetur recte.

45. *Tum vacuum tempus.* Antique pro *tempora* seu caput. Lambinus *pectus*, contra omnes libros. *Gif.* — *Tempus* hoc loco vita est, quod facile animadvertere poterant : res enim plana est. *Fab.*

52. *Quid dubitas quin omni' sit hæc rationi' potestas.* Alii « omne sit hoc », et « rationis egestas »; id est, hæc omnia a rationis egestate seu inopia proficiscantur.

78. *Et quasi cursores*, etc. De his ludis abunde multa Meursius in lib. de Græcia feriata. Et apposite Plato lib. VI De legg. : Γεννῶντες καὶ ἐκτρέφοντες παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντες ἄλλοις ἐξ ἄλλων. — Adde Herodotum, qui Historiarum lib. VIII, 98 refert cursores Persarum pernicissimos primum secundo, secundum tertio, et ita deinceps alium alii mandata tradere solitos; « quemadmodum, inquit, apud Græcos fax traditur, quam Vulcano per vices ferre cursores perseverant ». Citat inter alia Beroaldus, in Annot. App. cap. 18, tom. I, Fac. Crit. pag. 308. Planius ritus hic ex Pausania I, 30 discitur, qui Promethei aram in Academia commemorat, a qua ad urbem cum accensis facibus currerent. Certamen autem in eo positum fuisse, in cursu tædam servare accensam, etc. Idem in Cerealibus fieri solebat, uti auctor est Themistius: unde Cereri forte a Prometheo aram illam dicatam intellexerit Pausanias. Vide Pii Annot. post. cap. 114, tom. I, Fac. Crit. pag. 519. *Preig.*

84. *Aut ictu forte alterius.* Ita vulgati libri et veteres quidam. Sed in quibusdam veteribus libris : « Aut ictu auferri alt. » — *Nam concita sæpe.*

Alii, « cita superne obvia, etc. » Sed ex Epicuri doctrina vix videtur τὸ *superne* suam proprietatem retinere; nam « in infinito inani (Ciceronis verbis utor, doctrinam Democriteam, quam Epicurus amplexus est, exponentis ad Fin. b. et mal. I, 6) nihil nec *summum* nec infimum, nec medium, etc. » *Wak.* — Creech. tamen *superne* tueri conatus erat, quia *esse supra*, et *esse infra*, attribui posse universo agnoscit Epicurus, licet non ut sit quidquam supremum, quidquam infimum. Forbiger vero Wakefieldi conjecturam « quom, cita sæpe, obvia conflixere », in contextum recepit.

86. *Quæ sint.* Legendum omnino *quom sint.* Quod habent editiones nonnullæ. *Preig.*—At qua necessitate? *quæ sint*, i. e. ut quæ sint, etc. *Hav.*

87. *A tergo ibus.* Omnes libri *tergibus*; unde vulgata lectio *tergis.* — Non dubitandum putavi de admissione in textum præclaræ illius emendationis, quam Vossii ingenio Preig. tribuit. *Wak.*

97. *Conflicta.* Ita Lambinus vel *contusa*; MSS *confulta*, vel *consulta*, quod verbi *consilire* participium post Gifan. probat Wak. conjecturam tamen adjiciens, num sit legendum *compulsa*, parum discrepantibus literarum ductibus. Ed.

99. *Condenso.* Alii, *contenso.*

100. *Convecta.* Lamb. et vulgati *connexa*; alii *conjecta.* Plurimorum librorum lectionem cum Wak. et Forb. retinemus. Ed.

110. *Motus.* Bentl. divinabat *cœtus*; Wak. in textum admisit *coitus*, optime ad sensum : sed eum sequi non sum ausus, nec male habet vulgata, quam ideo retinui. Et sic Eichst. ac Forbigerum fecisse video. Ed.

114. *Insertim fundunt radios.* Wak. qui legendum *infundunt* conjicit, et Hav. e solis codd. Lugd. 1, 2, Gott. receperunt « insertei fundunt radiei », collato Virgilii versu III, 152. Sed vulgatam lectionem Eichst. et Forb. tuentur, adstipulantibus MSS, et quia Lucretius adverbia ejusmodi in *im* desinentia magnopere amat. Ed.

151. *Aerias quod sic*, etc. Amplexus sum emendationem optimam quam ex veteribus libris concinnavit Wak. MSS enim antiquissimi exhibent « quo si », vel « quod sol ». Recentiores edidere « quasi quum », sensu minus commodo. Possis etiam legere « quom sic », id est, meando per inane non vacuum. Vel etiam simplicius « quoniam diverberat ». Incerta enim codd. lectione patet conjecturis area. Forbiger reponit *diverberat*; sed post τὸ *quod* bene conjunctivo locum esse opinor. Ed.

152. *Corpuscula quæque vaporis.* Sic legendum, non *vapores*, ut habent omnes fere codices vulgati, et nonnulli veteres : sed veritas et ratio *vaporis* efflagitant. *Lamb.* — Vetus autem lectio multa venustior Wakef. videtur, me tamen non assentiente. Sic enim impeditior foret constructio et præcedens *vapor* bene defendit *vaporis*. Forbig. mecum facit. Ed.

164. *Nam neque*, etc. Male a quibusdam rejicitur hic versus, qui ad sanum sensum constituendum requiritur. Atque is demum hic est : Nam primordia, neque *concilio* (quæ lectio mihi magis placet) morari, hoc est, instar senatus alicujus consessum aliquem agere, neque « res singulas perscrutari » coguntur, ut deliberent, dispiciant, ac « videant, qua ratione quæque gerantur ». *Preig.* — *Nec persectari*, Wakef. recte revocavit ex omnibus fere libris. Alii, *perscrutari.*

169. *Admoderate.* Sic MSS. Vulgo *ac moderatis.* Ex scripto codice plane legendum opinor *admoderate.* Putant, inquit, qui τὴν πρόνοιαν asserunt, sine divino numine tempora annorum mutari non posse admoderate humanis rationibus, i. e. prout humanæ rationes postulant. *Tantopere admoderate*, adeo consentanee humanis rationibus. Nec *admoderare*, nec *admoderari* satis placet Salmasio Epist. XLVIII. Haud dissimili loquendi forma Horatius (Epist. I, 10, 12) dixit : « Naturæ convenienter vivere, etc. » *Preig.* — Wak. conjicit *admoderantem*, non assentiente Forbigero.

175. *Quom fingunt.* Sic nunc edendum curavi, codicem Bertinianum et Memmian. et Vatic. sequutus, in quibus scriptum est *confingunt.* Sententia autem et ordo verborum est : Quorum (hominum) causa quum fingunt deos omnia constituisse, omnibus in rebus magnopere videntur a vera ratione aberrare. *Lamb.* — Editores cum temeritate nunquam satis improbanda de suo sic vulgavere : « ...deos fingunt ; sed in omnibus, etc. » Indignum facinus ! *Wak.*

177-181. Hi quinque versus quum paullo aliter legantur etiam lib. V, vs. 196-200, ubi optime se habent, hic non solum admodum offendunt, sed quum aliæ etiam superveniant causæ de eo dubitandi, omnem illum locum II, 167-182 valde suspectum reddunt. Lucretius enim hic loquitur de natura inprimisque de motu atomorum, et ita quidem, ut in proxime antecedentibus vs. 143-166, de celeritate eorum, in sequentibus vero, vs. 184-332, de ratione disputet, qua rerum primordia nunquam sursum tendant, sed omnia e superiori in inferiorem locum decidant, nec recta ad amussim via descendentia a perpendiculi linea paullulum ad latera deflectant; quibus inseritur refutatio illa Platonis et Stoicorum, qui naturam sine deorum opera humanis rationibus tam aptam et convenientem exoriri non potuisse contendant.

Quid, quæso, ab hoc sententiarum ordine et connexu, ut non dicam ab omni loco, magis absonum cogitari potest, quam illa versuum series? Licet enim verum sit, ipso illo motu atomorum nunquam cessante et concursu inde effecto ex Epicureorum sententia omnes res procreari, et propterea inprimis de motu eorum Lucretium hic disputare, quod vs. 61 sqq. ipse significat; hic tamen, ut pluribus jam libri I locis (v. c. 798 sqq. 906 sqq. 1020 sqq.), ipsam corporum originem e concursu atomorum obiter tantum commemorat (conf. vs. 224, vs. 228, vs. 242, etc.), accuratius de ea infra demum dicturus lib. V, inde a vs. 417; et quæ vs. 99 sqq. de duriorum et liquidiorum corporum origine disserit, ea et ipsa hic in transcursu modo tangit, demonstraturus, rerum primordia nunquam quiescere, sed sempiterno motu agitata se invicem trudere et impellere, ita ut partim inter se implicata cohæreant, partim longe dissiliant et disjungantur; infra autem inde a vs. 444 eadem iterum tractat. Quare quum neque de ortu rerum in prioribus accurata instituatur quæstio, neque natura deorum in omnibus, quæ præcedunt et sequuntur, vel uno verbo commemoretur, ista stoicæ sententiæ refutatio huic loco omnino non convenire videtur. Sed etiamsi hoc concedere velimus, quid tandem facit Lucretius, ut illam adversariorum sententiam refellat vanamque demonstret? Nihil plane; nisi quod lectores ablegat ad alterum illum locum iisdem versibus inceptum, ubi placitum de mundo a diis procreato e vitiis et incommodis naturæ confutare studet. Cur ergo omnino hic tangit, quæ alii philosophi obloquantur, nisi etiam extemplo eos redarguere in animo habet? quod mihi certe plane alienum videtur a Lucretii more, qui, quando adversariorum affert opiniones, statim quibuscumque potest argumentis eas refellere studet. Porro quam dura est loci illius cum sequentibus conjunctio! Vss. 183 et 184 quis legere potest sine tædio et molestia? quam quum Lucretii carmina alias non excitare soleant, Lambinus jam, Fabro assentiente, vs. 183 spurium censuit, Bentleius vero vs. 184 *nunc* in *jam* mutari suasit, quorum tamen neutrum per codices licet, ita ut vitium altius sedere videatur. Quæ quum non parum moveant serioris interpolationis suspicionem, non tollit eam ipsa versuum compositio. *Forb.*

181. *Quamque hæc sint.* Ea est plurimorum codd. et vett. edd. lectio, quam menti auctoris non repugnantem studiose reduxi. Vulgo «quæ tanta est prædita culpa», contra omnem auctoritatem. Wak. e tribus MSS, «quamquam hæc sint», id est, licet in hominum reprehensionem hæc philosophia incurrat. Sed minus, meo certe judicio, congruit iste sensus. Quare veterem scripturam retinui, quam sic expono: Possim confirmare naturam ... non esse creatam, et (possim confirmare) quantum hæc omnia vitiis et defectibus abundent. Ed.

187. *Ne.* Wak. e sola edit. Ver. *nec.* — *In eo.* Idem malit, ut quidam exhibent: « Ne tibi dent, timeo »; quæ lectio etiam habet unde commendetur.

191. *Subsiliunt.* Videndum an in tota lingua latina verbum *subsilire* locum habeat. *Sussilire* procul omni dubio non a præpositione *sub*, sed *suso, susum*, quod sursum valet, suam significationem mutuatur. *Preig.* — Vide tamen ad I, 8.

193. *Sine vi subigente.* Lambinus ex uno codice *subigente* restituit, quum in aliis omnibus libris legeretur, « sine vi subjecta », plane mendose; nam syllaba postrema vocis *subjecta* longa esset. Hinc ingeniose Wak. putat glossam in textum irrepsisse, *subjecta* pro *se subjiciente, subiciente*, quod verbum in textum admittit. Vulgatam tamen retinent Eichst. et Forb. quæ bene habet. Ed.

197. *Nam, quo magis ursimus altum.* Lambinus correxit « nam quam magi' mersimus »; eumque sequuti sunt plerique interpretes. — Libri plures *urgimus.* — Ergo *ursimus* præfero. Dein opponitur prius hoc τῷ *revomit*, efficacius quam si legas *mersimus;* est enim metaphora a cibo desumpta, quem qui sumere vult invito stomacho, urget per fauces, unde postea sæpius revomitur. *Hav.* — Wak. ex uno codice *non, quo*, etc. recepit, quum locus hinc animosior longe atque erectior evadat. Elegantissimam lectionem hanc pronuntiat Forb.; ego tamen pluribus codd. obtemperandum censeo. Ed.

209. *In terram.* Sic omnes libri, præter Lugd. 1, 2, Gott. *terra* exhibentes, quod Wak. recepit et Eichst. retinuit. Nos constantem Lucretii usum spectantes (II, 215, 1166; VI, 257, 745, 828, etc.) vulgatam restituimus. *Forb.*

227. *Atque ita plagas gignere.* Sic restitui, reclamantibus codicibus omnibus, in quibus legitur *plagis gignere*, veritate ipsa hanc scripturam flagitante. *Lamb.* — Wak. e conjectura, *plagis gignere quæ possit genitalis reddere motus.* Id est, ita plagis ea gignere quæ sunt a motu genitali speranda. Sed cf. v. 241.

243. *Inclinare.* Sic omnes libri et vett. edd. Aliter proba vox est *clinare*, quæ editoribus placuit.

257. *Voluntas.* Sic Lamb. Hav. Wak. Eichst. cum codicibus Vind. et Brit. 2; ceteri libri omnes *voluptas*, quæ verba etiam vs. sq. confunduntur, ubi *voluptas* recte se habet. *Forb.*

262. *Rigantur.* Gassendus *vagantur:* alii *reguntur.* De anima mundi

Manilius II, 64 : « quum spiritus unus Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem Omnia pervolitans, corpusque animale figuret ». *Creech.*

268. *Connexa sequatur.* Sic habent omnes libri vulgati : quidam scripti *connixa. Lamb.* — Wakef. malit *convecta :* id est, materiæ copia conquiritur, ut, postquam *concita* sit atque *conquisita* (id est, *convecta*, una voce duabus comprehensis) voluntati mentis obsequatur.

276. *Donec eam.* Alii *donicum eam* e correctione Lambini. Wak. proponit : « Donec *causa* refrænavit per membra *volutans* ». Frustra.

286. *Ollis innata.* Wak. contra plurimos codd. bene sic restituit; alii *nobis ;* sine idoneo sensu.

289. *Mens ipsa.* Codices omnes *ne res ipsa.* Istis omnibus codicibus præferenda est Lambini conjectura; sententia ipsa postulat *mens.* Hunc locum, de quo nihil interpretes, difficilem existimo, et ita explicandum : De nihilo nihil fit, ergo libertas voluntatis ex aliquo oritur; quodnam vero istud sit jam inquirendum est; motus seminum est duplex, alter naturalis deorsum, qui a pondere procedit, alter violentus sursum, qui ab ictu : jam ab ictu omnia non fieri manifestum est, quoniam aliquis motus a pondere procedit; iste autem motus a pondere procedit, dum sit naturalis, et eodem semper tenore labatur, libertati non magis favet, quam ipse ictus; ne igitur animus, qui ex seminibus constat, necessitate aliqua interna, i. e. motu qui a pondere procedit determinetur, sola potest seminum declinatio efficere, quæ in incerto loco, incerto etiam tempore facta illius libertatis causa esse potest. *Creech.*

313. *Quapropter ubi ipsam.* Lamb. quum in duobus libris calamo exaratis scriptum reperisset *ubi illum*, ex voce *illum* fecit *illa*, ut intelligantur corpora prima. Veteres quidam *ipsum ;* alii *ipsos ;* duo codd. apud Wak. *ipsam*, quam lect. ab illo accepimus. Ed.

320. *Blandeque coruscant.* Sic Lambinus, vel *corussant*, a κορύττω, cornibus peto : Theocrit. Idyll. III, 5. At *coniscans* utitur Cicero in Pisonem, « Caput opponis cum eo coniscans ». Quintiliani Inst. VIII, 3, 22. Quidni igitur *coniscant* retineamus, quum sit apposita vox, et significet *arietare*, vel cornibus petere? *Creech.* — Sed res est futilissimæ affectationis ludibriis conjecturarum indulgere, posthabito sincerarum membranarum testimonio, vocem aptissimam et undequaque elegantem suppeditantium. *Wak.*

325. *Fulgur ubi*, etc. In hoc loco Lamb., quem plerique editores sequuti sunt, posuit vers. 329, 330, reliquis exemplaribus tam manu exaratis, quam impressis, ordinem nostrum edicentibus. Primum de

copiis pedestribus loqui Lucretius videtur, postea de ludibundis *equitum* discursibus. Porro duabus ex circumstantiis argumentum concludit: ex *armis* peditum *coruscis* splendorem fluctuantem profundentibus, dum interea spectatoribus hæc fluctuatio non discernitur; et ex *motu* equitum, consistere apparentium, quamvis tantopere tumultuantur. *Wak.* — *Ubi.* Alii *ibi.*

332. *Stare videntur.* Hanc lectionem totius proprietas loci ac proportio flagitant, nec minus ornata sermonis variatio (nam aliter languidissime caudam traheret τὸ *consistere*) idem loquitur. Vulgo *videtur;* sed nostra lectio quæ vel libris omnibus contra stantibus esset admittenda, comparet in codd. Vind. Poor. Brit. 1, 2; Cant. *Wak.*

343. *Et læta armenta.* Necessaria prorsus emendatio, quam editoribus Londinensibus acceptam ferimus, et lubenter amplectimur. Cæteri *arbusta;* pessime. *Preig.* et *Hav.*

345. *Fonteisque lacusque.* Cum Eichst. restitui librorum fere omnium lectionem, quam Wakef. mutaverat in genitivum *fontisque lacusque,* ut in Brix. Ver. Ven. apparet. *Forbig.*

347. *Quorum unum.* Sic plures et meliores libri; alii *horum;* immerito, quum ob distantiam ἀποδόσεως longe exquisitior sit atque doctorum poetarum moribus multo convenientior relativi usus quam pronominis. *Wak.*

365. *Derivare queunt animum.* Sic omnes quidem fere habent libri manuscripti et vulg. quæ scriptura si recta est, *derivare* positum videtur translate pro *avocare,* et *avertere.* Sed locus est mihi valde suspectus. Itaque imprimendum curavi, « Derivare queunt alio », hoc est, *convertere alio,* quo modo loquitur IV, 1060. *Lamb.* — Male, opinor; nam velle videtur versus abhinc secundi supra imaginem iteratam dare. *Wak.* — *Curamque levare.* Sic habent libri veteres; alii, *curaque levare;* quamquam parum refert utro modo scribatur.

372. *Quidque suo genere.* Alii, « quodque suo in genere », contra plerosque codd.

378. *Natura quoniam constant.* Alii *constat,* ut *natura* sit recti casus, ac sensus : quoniam primordiorum natura constat, i. e. sibi constat. *Preig.*

381. *Perfacile est animi.* Ita omnes libri. Lambinus tamen : « est jam animi ». Mox vs. 382, quidam veteres, et vulgati fere omnes, *penetralius,* ut jungatur τῷ *fluat.* Et mox vs. 384 quidam veteres *cælestis :* non male utrumque. *Gif.*

388. *Per cornum.* Ita vett. libri quidam. In aliis *cornu.*

395. *Diducta repente.* Ita recte; i. e. distracta. Quasi diceret: atomi hamatæ sunt initio, nec statim omnes diductæ. Veteres quidam *deducta. Gif.* — Pessime, ut opinor. Nam in concretis atomi non mutant naturam. Ridicule Gifanius. *Fab.* — Ipse ridendus: hamata semina perplexe connecti quis nescit? « Semina in concretis naturam mutare, » nec ipse credidit Gifanius, hamatas vero atomos subito diduci non posse existimavit, et recte: *Diducta* igitur libenter legerem, quum semina hamata, et inter se perplicata, nisi diducantur, per coli foramina permanare non possunt. *Creech.*

406. *Vias rescindere.* Alii legunt *restringere*, quod forsan idem valet. *Creech.* — Sed male, ob seq. *perrumpere.*

408. *Et mala tactu.* In hisce *tactu* dandi casu accipi potest pro *tactui*, et tamen æque recte ablativus dici potest; uti docuit Vossius De construct. cap. 54, in fine, loca similia adducens et illustrans. Virg. Georg. III, 416: « aut mala tactu Vipera delituit ». *Hav.*

421. *Tetrei turpesque.* Nonnulli legunt *fœdi turpesque:* in quibusdam libris scriptum est *turpes olidique.* — In quibusdam *cœli.* Forte *specie cœli*, i. e. cœrulei. Aut forte legendum *cæsi;* qui duo colores turpes et feri habentur. *Gif.* — Wak. conjicit *cœni;* quod vix puto, licet mira sit illa lectionis varietas. *Forb.*

422. *Omnis enim ... quomque videntum.* Sic optime restituisse mihi videtur Wak., quum in omnibus codd. legatur *quæ mulcet* (vel *mulctat*) *cumque videntur.* Vulgo, ex Lambini correctione, *causa juvatque.* Ed.

428. *Angellis.* Alii *angululis;* variant codd.

441. *Atque.* Editores vulgo dant *æque*, contra libros scriptos. *W.*

453. [*Namque papaveris*, etc.] Hic interpositus fuerat a nescio quibus hominibus versus et illepidissimus, et ab hujus loci sententia alienissimus, *Namque*, etc.; eum ego delevi. *Lamb.* — Quum vero in omnibus libris MSS compareat, de contextu nolui ejectum, ut aliorum editorum consilium fuit, sed solummodo numerorum ordine exceptum, ne hinc omnium sequentium series turbaretur. Neque equidem cum illis sentio, qui eum omnino illepidum et intempestivum judicant; sed tacitæ objectioni putem Lucretium ire obviam voluisse. « Mireris fortasse me lævorem atque rotunditatem principiis fluidorum omnium, gustu tantopere discrepantium assignare posse; sed me facilitas, qua omnia labuntur, ad hoc cogit; adeo ut liquor papavereus ex lævibus æque sit ac simplex aqua. » *Wak.* — Nullo pacto adsentiri

possum Anglo editori, hunc vs. artificiose defendenti, quum præter ea quæ Lamb. aliique recte jam contra disputarunt, etiam originem ejus invenisse mihi videar. Sumptus enim est e lib. III, v. 197, ubi quum interpolator papaver commemoratum videret, huc etiam in nostrum locum haud dissimilem transferendum duxit. *Forb.*

461. *Nec tamen hærere*, etc. Hunc versum, et duos, qui deinceps sequuntur, agnoscunt codd., rejicit Lambinus; asseritque supervacaneos esse: quasi non debuit Lucretius affirmare fluida ista pungentia et penetrantia *acuta* semina non minus quam lævia et rotunda continere: atomi enim vel læves vel rotundæ non pungunt corpus, neque penetrant: libenter igitur retinerem si esset quod pro *sentibus* reponi possit. *Creech.* —Fumus, inquit, flammæ, etc. effectu quidem sentibus sunt similes, sed non cohærentia et duratione; atque ita pungunt quidem subito, etc. at non diu, quoniam acuta modo sunt, non vero ramosa et perplexa, ut sentes. *Hav.*—Quum autem pro *quisque* in libris omnibus inveniatur *cumque*, et *sensibus* pro *sentibus*, Wak. legendum conjicit: « hærere inter se, quodcumque videmus, sensibus est clarum », hoc est, res omnes hujuscemodi, quæ oculorum testimonio subjiciuntur, statim dissipari et undique spargi manifestum est. Hæc autem correctio mihi non vulgata lectione magis arridet. Forsan tamen revocandum foret *cumque*, si modo non uno tenore legas *quodcumque*, sed duobus verbis, ut ad VI, 84, hoc sensu: « quod utcumque, quandocumque, etc. » facilis autem error *sensibus* pro *sentibus*. Ed.

465. *Sudor uti maris est.* Faber legit *Sudor amarus ut est*, et asserit Lucretium his 7 vss. de sudore tantum disputare. Hæc conjectura illi mirifice placet, et fruatur; non invideo. *Sudor maris*, non quia, ut interpretes, Empedocles olim vocavit mare Sudorem terræ (ἱδρῶτα τῆς γῆς Aristoteles II Meteor.), sed quia *sudor* idem est ac *humor*: vide Varronem de L. L. lib. IV, voce *Usus*. De sudore autem et non de aqua marina hic loci agere poetam isti soli dicunt qui indiligenter legunt. *Creech.* — *Minime mirabile cuiquam.* Manuscripti hoc loco depravati sunt: ex quibus quidam, cum vulgatis congruentes, habent *mirabile cuiquam*: alii, *mirabile debet. Lamb.* — Pii codd. *habendum*, quod vulgati exhibent.

471. *Et quo mixta magis.* Alii *at*; Wak. *Et quod*, sequente Forbig.

474. *Humor dulcis.* Si vulgatam et receptam scripturam tuebimur, *humor dulcis*, hic erit ordo: ita (subintellige) ut humor, nempe dulcis in foveam fluat, et mansuescat, ubi idem humor, nempe dulcis, crebro percolatur, id est, permanat et pertransit, ut, etc. Sed videtur legendum, *humor acerbus*: ut sit hic ordo, Ubi humor acerbus percolatur

crebrius ita, ut, etc. vel *humor dulcit*, vel *dulcet : dulcet* autem, seu *dulcit*, i. e. dulcescit. *Lamb.* — Vulgo legunt *dulcit;* sed contra omnes codd. qui exhibent *dulcis.*

480. *Finita variare figurarum ratione.* Sic legitur hic versus in quinque libris manuscriptis, nisi quod in uno scriptum est *variata*, non *variare.* In codicibus autem Aldinis antiq. Vicet. Parisiens. et ceteris vulgatis, « Finitas variare figurarum rationes »: quarum lectionum utra sit potior, judicet lector. *Lamb.*

483. *Nam quod.* Sic Wak. et Forb. Lamb.: « Namque in eadem una quojusquojus brevitate », quem vulgo sequuti sunt.

490. *Formarum.* Alii *formaï;* parum interest.

491. *Quod superest, si forte voles*, etc. Tres versus, qui statim sequuntur, in cod. Vind., tribus Mus. Brit. MSS et editt. Brix. Ver. Ven. et Ald. I plane desiderantur, quos quum Wakefieldus ob homœoteleuton vs. 491 et 494 omissos judicat, viro doctissimo assentiri non possum. Licet enim probe sciam, quantopere idem versuum non longe distantium vel principium vel finis librariis fraudi fuerit, de hoc tamen loco aliter statuendum puto. Non enim de homœoteleuto hic agitur, sed de eodem fere versu admodum languida et inepta ratione bis repetito, ita ut editores non satis mirari possim, qui hunc locum inoffenso pede transierint. Nullo modo enim mihi persuadeo, Lucretium vere tam insulsum fuisse, ut hunc locum ita scriberet, sicuti, ne justo quidem sensu præditus, in nostris editionibus legitur. Sic enim vulgo explicant : « Primordiorum non magna varietas in figuris esse potest, quum admodum parva sint corpora; sumas enim primordia e minimis aliquibus, tribus v. c. partibus constare, quum has vario ordine, modo imas, modo superas, nunc dextras, nunc sinistras disposueris, tum omnino omnes expertus fueris figuras, quibus e vario partium illarum loco primordii corpusculum compingi possit; deinde si fortasse plures figuras inducere velis, tum addas necesse est alias partes et similiter si alias præterea figuras velis, aliæ partes denuo addendæ erunt ». Sed ut non urgeam languidam hanc et verbosiorem esse sententiam, ne verbis quidem ea inesse videtur. Illud enim, quod interpretes volunt: si plures pluresque figuras inducere velis, non dicitur a Lucretio, certe verbis *quod superest* et *etium* admodum obscure et ambigue expressum esset. Mihi potius Lucretius hoc innuere videtur : Si v. c. primordium, quod ipsum est admodum pusillum, e tribus minoribus etiam corpusculis constare sumas, harumque particularum ordinem et locum omni modo variaveris, eadem fere semper maneat necesse est figura, quare si varias etiam figuras velis inducere, plures particulæ addendæ erunt, ita ut variatio figurarum majori tantum augmine partium effici possit.

Quæ si vera est loci explicatio, nec vulgarem rationem ferri posse apparet; et librarii, non homœoteleuto decepti, sed potius in ipsa sententia offendentes, consulto hos versus omisisse putandi sunt. Suspicor igitur, alterutrum tantum versuum 491 et 494 genuinum esse, alterum vero correctoris manum prodere. *Forb.*

500. *Melibœa purpura.* Virgil. Æn. V, 251 : « Quam plurima circum Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit ». Alii tamen, quod sciam, Thessalicæ, vel Melibœensis purpuræ non meminerunt. Præterea, Festus Pompeius dicit insulam fuisse : « Melibœa purpura a nomine insulæ, in qua tingitur, vocatur ». Atqui hæc Melibœa in recessu sinus, quem Ossæ et Pelii promontoria efficiunt, erat sita, nihilque minus erat quam insula. Locum itaque Lucretii et Virgilii de Phœnicia purpura accipiendum esse existimo : in ditione enim Apamiæ, quæ Pella dicta erat a Macedonibus, caputque fuit aliquamdiu omnium Syriæ civitatum, insulam Melibœam eleganter describit Oppianus, sitam in flumine Oronte, qui, antequam mari mergitur, late circa illam stagnat. Thessalicas vero illas conchas dixit Lucretius, quia a Thessalis vel condita, vel nominata est ita Phœnicia Melibœa. Thessali enim et Macedones innumeris Syriæ locis patria indidere cognomina. *Creech.*

503. *Secla.* Wak. *pepla* ex Burmanni conject. in contextum admisit; sed Knebelii censor a Forbigero laudatus contendit ejusmodi pepla variis coloribus picta apud Romanos in usu fuisse non posse demonstrari. Broukhus. vero ad Propert. II, 24, 11, nostro etiam in loco de flabellis e cauda pavonis factis cogitari voluit.

504. *Et contemtus odor.* Wakef. e quibusdam libb. corrigit *contemtus sudor;* non male; sed copulam *et* omnes codices tuentur; vulgatæ igitur adhærendum. Ed.

512. *Quæ quoniam non sunt in rebus*, etc. Sic omnes, ut videtur, codd. quos sequi malui, quamquam ita non bene procedat oratio. Lambinus legit, « non sunt in rebus reddita, certa et finis »; Gif. *certaque*, ut sit versus dactylicus; Wak. « non sunt, quin », id est, imo, sed; vel etiam « non sunt in rebus, sed data »; quod mihi magis placet. Velim legi posset *ni* pro *in;* sed durior hinc constructio eruenda foret cum ellipsi : hæc omnia quæ dixi de purpura, de cantibus, de odoribus, non esse vera possunt, nisi, rebus, etc. Quare lectionem MSS amplector, meliora exspectans. Ed.

529. *Quod quoniam doc. nunc suavil.* Quatuor sequentes versus tamquam inidoneos argumento explicando prætermisit Gassendus. Et abesse possunt, si consideremus Lucretium de figuris seminum disputare; si vero particulare, quod sequitur, argumentum spectemus, necessarii videntur : atomorum sub unaquaque figura infinitatem modo

probaverat: objectionem vero imminentem prævidet, quæ ut melius una cum responsione intelligatur, quatuor his versibus lectorem monet, quid exspectare debuit. *Creech.*—*Age.* Wak. ex uno cod. Vind. *ego.*

534. *Fecundamque magis.* Pro *magis* omnium exemplarium tam scriptorum, quam primitus impressorum, suum *minus* per audaciam editores Lucretio obtrusere. *Wak.*

570. *Itaque.* Al. *utique;* quod correctorem sapit. *Wak.*

584. *Natura videtur.* Alii *tenetur,* odiosissimam per repetitionem. *W.*

587. *Et quo quidque magis.* Variant codd. et edd. Alii *quam;* Wak. *quæcumque*, scil. res: parum quidem interest. Alii etiam inverso ordine exhibent *multas vis.* Ed.

588. *Ita plurima.* Sic legendum ex omnibus MSS; sed Lambinus volebat *pluria;* non merito.

602. *Sedibus in curru.* Lambinus reclamantibus, ut ipse ait, omnibus libris, substituit: *Sublimem in curru,* proque eo vehementer pugnat, et quomodo librarii *Sublimem* in *Sedibus* transformare potuerint, rationes comminiscitur. Sed videtur aliquid voluisse Lucretius, quod nescio an aliter facile exprimere potuerit. Id docet Varronis fragmentum apud Augustinum ex lib. XVI Rerum divinarum: « Eamdem dicunt Matrem Magnam: quod tympanum habeat, significari esse orbem: quod turres in capite, oppida: quod sedes fingantur circa eam, quum omnia moveantur, non moveri ». Hinc εὔθρονον appellat Apollonius lib. I, 1092. *Gron.*

626. *Munificat*, etc. Versus plane admirabilis, et scomma acutissimum. Mater enim illa Magna lapis rudis, necdum arte elaboratus, non admodum loquax et garrula, beneficia multa haud dubio contulit, at quæ dedit tacebat ipsa. Interim miselli homines spargebant flores, et stipem erogabant, immemores Antisthenis, qui nummum pro dea poscenti dixit, οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν. *Creech.* — Wak. pro *muta* conj. *multa.*

627. *Iter omne viarum.* Melius quam, *iter, omnia circum. Creech.*

631. *Forte catenas Ludunt.* Lamb. prius reposuerat *terque quaterque;* deinde conjecit *catenas Ducunt.* — *Catenæ* accipi possunt choreæ, allusione facta ad restim, quam olim ductitantes, maxime in rebus divinis, saltitabant (Liv. XXVII, 37). In plerisque tamen veteribus *caterva,* forte optime, ut sit caterva sexti casus, positum pro catervatim, turbatim, etc. Imo *catervatim* fortasse hoc loco legendum, ut versus sit hypermeter. *Gif.* — Haud infelici tamen conjectura Is. Voss. inter alia

protulit: « fronte corusca Ludunt, etc. » ut supra de agnis vs. 320: « Ludunt, blandeque coruscant ». Nam κορύσσειν est « vibrare, jactare caput ». Et Curetas coruscasse galeas, et enses notum est. *Preig.* — Alii scribunt *canentes*. Fayus *forte caterva*, id est, forti, et violenta, quia ludunt gladiis. Wak. *sorte catervis*, catervatim. Qui tamen haud improbaret *catenas*, si ea lectio codicibus niteretur. Ego in tanta varietate vulgatam retinui. Ed.

632. *Sanguine fleti.* Vulgo *læti.* Libri veteres habent *fleti*, unde suspicetur aliquis legendum *pleti*, i. e. repleti, completi. *Fleti* tamen retinent alii, et interpretantur aspersi, madefacti. *Lamb.* — *Sanguine fleti.* Sic Lugd. 1, 2, Poor. Brit. 1, Cant. et in Pii comment. at Bodl. Brit. 3, Brix. *freti.* Bentleius corrigebat « atque exultant sanguinolenti ». Vulgo addunt *et* in fine versus, quod omnes non agnoscunt codices.

656. *Bacchi nomine abuti.* Wak. servat *numine*, quod omnes uno consensu libri tuentur; exponitque « deum abusive inferre ». Vulgatam sequimur, quum levissima sit unius literæ commutatio. Ed.

659. *Dum revera tamen ipse.* Sic omnes MSS. Lambinus autem correxit, « dum re non sit tamen apse ». I. e. dum tamen *re apse* (quod volet *re ipsa*, seu *revera*) non sit. Quod vulgati sequuti sunt. Alii, « dum vera re tamen haud sit ».

661. *Duellica.* In hac voce *u* et *e* in unam syllabam coeunt. Alii dicunt in voce equorum *m* elidi, ut in metiendo versu ita legamus, « et equoru' duellica proles ». Minus placet.

669. *Calor. Color* ausus sum restituere, vel invitis libris, pro vulgato *calor;* nam de *specie* rerum, oculis usurpatarum, Lucretius disputat; et nihil ad rem *calor* facit. *Wak.* — Temere: mihi quidem *calor* non modo non alienum, sed melius etiam cum *humore* conjungi videtur quam *color. Forb.*

673. *Tamen hæc in corpore aluntur.* Alii legunt *hæc in corpora*, ut *in* pro intus, sive ἔνδοθεν accipiatur. *Ex se ea corpora* Lambinus restituit; alii legunt *Ex so*, vel *Ex suo corpore.* — Lectiones, in difficili varietate, dedi operam admittere, quas major probabilitas commendare videatur, et loci scopo consentaneas. In dictionibus *hæc in corpore* nulla librorum est dissensio: pro *aluntur* Voss. vet. et L. B. *traduntur*, quod certe vitiosum est: hinc Vossius nostram scripturam *aluntur* conjectando videtur effecisse. Omnes fere libri *tradunt* exhibent. *Wak.*

679 sqq. *Denique multa vides*, etc. Hi tres versus priores aliter ab aliis leguntur: « Denique multa vides quibus est odor, et sapor una Et tantum cupido contingere dente parato Reddita sunt, quum adolent

in primis pleraque dona ». Ab aliis vero : « Denique multa vides, quibus et color et sapor una, Relligione animum turpi quum tangere parto Reddita sunt, quum adoles inprimis pleraque dona». Ab aliis autem, « et sapor una Reddita sunt cum odore: inprimis pleraque dona Relligione, etc. » Locus mirifice vexatus, cui quodnam aliud solatii afferri queat, quam ut MSS vestigiis insistamus, non video. Scribe itaque : « Denique multa vides, quibus et color et sapor una Reddita sunt, cum odore, inprimis pleraque dona, Relligione animum turpi contingere parato ». Id est, quibus præter *colorem*, quem vides, et sapor cum odore redditus tibi est. *Contingere parato*, q. *conting're parato*, tibi parato, et paranti immolare victimas. Et hoc exemplum potius, quam quodvis aliud adhibuit, qui ridet, et indignatur, vel nulla occasione data, illam quam vocat religionem. *Pr.* — Nos confidimus idoneos judices nihil ad quod offendant, reperturos in constitutione versuum nobis facta, ab optimorum et antiquissimorum exemplarium auctoritate vix latum unguem discedentibus, et ne singularem quidem voculam immutantibus ex arbitrio. *Wak.* — In loco difficillimo et vexatissimo servavi quidem Wak. recensionem, nisi quod vulgarem versuum ordinem cum Eichst. restitui, quem Wak. e plurimis sane libris ita mutavit, ut vs. 681 præcedat versum 680; sed quum *color* plane non hujus loci esse videatur, nescio annon fortasse rectius scribatur : « ... quibus est odor et sapor una. Reddita sunt cum odore inprimis, etc. » ut sensus sit: Multa cum sapore simul etiam odorem conjungunt. Sic v. c. hostiæ (quas sapore præditas esse per se patet), etiam odorem spargentes, diis immolantur. *Forb.*

698. *Feratur*. Sic Wak. e Lugd. 1, 2; vulgo *ferantur*.

703. *Ramos e gigni corpore*. Narrat Gassendus lib. V de vita Peireskii : Pastor Tarraconensis in prunulum incidit, spinaque ad eam partem implantata, sic per biennium radices egit, ut post resectos surculos varios, aliqui tandem prodierint, in quibus flores et fructus visi. Non destitit instare Peireskius, donec Cardinalis Barberinus curavit fidem fieri per illius loci archiepiscopum, et eques Puteanus non literas modo attestantes, sed surculos etiam accepit, et cum illo communicavit. Hæsit vero deinceps minus, quum accepit simile quidpiam contigisse in Thuscia, circa gallinæ cujusdam collum, et Frontiniani in Occitania, circa digitum piscatoris, in quem quum implantata fuisset spinula scorpionis marini, res eo evasit, ut chirurgus inde eduxerit tres pisciculos generis scorpionum; quanquam hæc omnia qui viderit, fidem habere tutiorem potest. *Creech.*

710. *Scilicet id certa*, etc. Octo qui sequuntur versus non tam constituunt diversum argumentum, quam præcedentis rationis posteriorem

partem explicant. Res enim, e certis seminibus ortæ, ideo dum crescunt, genus suum conservant, nec in aliud degenerant, quia natura ex alimento istas tantum seligit particulas quæ sibi aptæ et convenientes sunt, incongruas vero secernit et rejicit. Hinc rami vivo e corpore nunquam gignuntur, quoniam corpus humanum particulas materiæ arboribus alendis aptæ ejicit, nec in alimentum unquam convertit: et idem de reliquis monstris dicendum. *Creech.*

717. *Animari.* Servavi cum Eichst. vulgarem lectionem *animari*, quæ, Lambino ex ingenio restituta, comprobatur codd. Brit. 1, 2. Nam in loco simillimo V, 146, Lucretius verbo *animari* eodem modo utitur. In omnibus reliquis libris *imitari*. Wak. in contextum recepit conj. *initari*, quod explicat, « se initare, se intromittere, ingredi, ita affici ut introeant »; provocans ad Diomed. Gramm. I, p. 836. *Forb.*

719. *Quædam ratio disterminat omnes.* Sic MSS longe plurimi. Lambinus correxit « eadem ratio res terminat omnes »; alii *discriminat*, et *omnia*, ut sit vs. dactylicus. Sed nihil profecto mutandum quoties codicum lectio intelligi potest. Ed.

739. *In quæ corpora, si nullus*, etc. Sensit Lucretius se multis ægre persuasurum fuisse nullos esse in seminibus, et proinde neque in ipsis compositis, colores: præjudiciis enim penitus obedientes, pauci credunt se aliquid corporeum posse concipere, quod non sit coloratum; ideoque semina, quæ mente percipi non possunt, utpote coloris expertia, sibi obtrudi non ferunt. Hisce præjudiciis vss. 9 breviter occurrit. Cæci res percipiunt, quarum tamen colores nunquam viderint; nec omnis rerum perceptio una cum sole occidit; in densissimis tenebris non minus illa, quæ tangimus, percipimus, quam illa quæ medio die et luce clarissima versamus. *Creech.*

742. *Despexere.* Sic MSS fere omnes; quidam *Dispexere.* Vulgo legitur *adspexere.*

765. *Possint* restitui e Lugd. 1, Brit. 1, 2, 3. Wak. ex aliis *possunt*, quod nescio quomodo cum præced. *fuerint* conciliari possit. *Forb.*

779. *Unaque figura.* Ita veteres omnes; recte. Similem syntaxin explicat Macrobius VI, 8. Lambinus post Ant. Muretum, *unæque figuræ*; recte quidem, sed libros sequi malim. Vulgati, *figura est*; male. *Gif.*

785. *Minus omne sit extra.* Ita Lambinus e codd. Alii *minus esset*, vel *insit in illis*, Pio auctore.

788. *Tum porro, quæ ducit et inlicit, ut tribuamus*, etc. Hæc est vera hujus loci scriptura, quam ego quum in codice Bertiniano et Memm.

expressam reperi, tum Adriani Turnebi auctoritate comprobatam illustravi. Vix autem me puto fidem lectori facturum, si enumerem lectionis hujus loci dissimilitudines et differentias. Nam quum usus sim quinque libris manuscriptis, octo impressis et amplius, vix tres reperi qui inter se congruerent: quum alii haberent, « quæ ducit in illitum, ut trib. » alii, « quod dicunt inlicitum trib. » alii, « quæ ducit et ut illicitum hoc, etc. » Hujus igitur veræ et rectæ scripturæ hæc sententia est: Tum porro ea causa, quæ nos ducit et illicit, ut nonnunquam principiis rerum colores tribuamus, nempe hæc, quoniam ex albis non creantur alba, nec nigra ex nigris, sed ex contrariis, aut dissimilia: hæc, inquam, causa occidit, id est, nulla est. Quippe etenim, etc. hic est ordo verborum, quo explicato, etiam sententia explicata et aperta est. *Lamb.* — Qui dicunt unum simplicem colorem ex seminibus alio atque alio colore tinctis effici posse, priorem deserunt opinionem, unicamque suæ sententiæ rationem evertunt: hi enim postulabant colorata semina, ut alba corpora ex albis seminibus, et nigra ex nigris orirentur. Si tamen e principiis diversimode coloratis niger, aut albus color oriretur, tota illa, cui prius fidebant, ratio perit. Deinde subjungit album colorem (et idem de aliis dicendum) citius nasci posse ex seminibus nullo, quam e principiis vel nigro, vel alio quovis colore tinctis. Ita hos versus expono, quos alii interpretes nondum intellexerant. *Creech.* — Res quædam sunt, quibus color certus constantissime contingit; veri ergo simile videtur, primordia etiam earum rerum similiter esse colorata. Hæc *causa* est quæ ducit et illicit, ut colores principiis rerum tribuamus. Huic argumento Lucretius sic respondet: Hoc si verum foret, præter objectiones modo propositas, haud alia insuper se ingereret, ex oculorum testimonio; nempe alba non creantur ex albis; uti videre est, exempli gratia, in spuma candida pelagi, quæ ex cæruleis particulis varie positis et affectis exoriri solet. Sed longe absurdissimum videtur existimare, hunc candorem gigni posse primordiis cæruleis vel nigrantibus ponti; immo potius ex nullo colore quod candidum est exoriri posset, quam ex ejus contrario. Hoc tamen, utcumque absurdum, fieri solet ex opponentium opinionibus, colores corpusculis primis attribuentium. Occidat ergo necesse est hæc sententia, quum sibi ipsa parum constet. *Wak.* — Minime plana mihi videntur hæc omnia: simplicior autem et unice vera, ni fallor, quam in notis præmisi, interpretatio. Ed.

795. *Præterea quon. nequeunt sine luce.* Sic argumentatur: Sine luce colores non cernuntur; corpora prima non cernuntur; ergo corpora prima nullo sunt colore prædita. Syllogismus invalidus quidem est: omnes tamen ejus partes veræ sunt. Nam sine luce colores non cerni etiam Aristoteles docet. *Lamb.* — Iterum vs. 15 concludit Lucretius

semina esse colorum expertia, quia color nil aliud sit quam lux in corpore refracta, vel a superficie opaci corporis reflexa. De luce refracta nihil poeta, at si prisma seu trigonum vitreum vulgare oculis apponas, senties radios lucis geminam refractionem passos varios colores exhibere : observat autem plumas circa columbæ collum, aut in pavonis cauda prout recto aut obliquo radio lucis illustratæ sunt, modo flavum, modo viridem, modo flammeum, etc. colorem diffundere. Et inde arguit in densis tenebris in quas lux nulla penetrat, et ex quibus nulla reflectitur, nullos prorsus colores esse; ac proinde colores qui redeunte luce in rebus cernuntur, procreari ab ipsamet luce, pro dispositionibus quas res habent ad eam recipiendam, reflectendam, refringendam, et referendam ad oculos. Ideoque quoniam semina nunquam in lucem veniunt, aut radios reflectunt, quasi in densissimis tenebris obruta, sunt prorsus excolora. Epicurus in libro adversus Theophrastum secundo; Plutarchus adv. Colotem. *Creech.*

799. *Qui in ipso mutatur.* Ante Wak. contra libros MSS edebatur inverso ordine *qui mutatur in ipso.*

805. *Cæruleum.* Wakef. per conjecturam superfluam ab Eichst. servatam, *curalium*, ut loci sensus sit: «aliquando per se rubrum nitorem cerni, atque aliquando rursus rubrum viridi specie temperatum». Sed hoc artificiosius, nec, quum colores illi nimis diversi sint, rei naturæ conveniens : contra vero quivis, volucrum illarum colores vel semel contemplatus, cæruleum desideraret, qui inter omnes fere maxime prælucet. Puto autem Lucretium, qui simul nominat *pyropum* et *smaragdum*, sub *cæruleo* etiam non simpliciter colorem cæruleum, sed potius pigmentum istud metallicum intellexisse, de quo vid. Plin. N. H. XXXIII, 56 (et 57), quod nescio an *cobaltum* fuerit, quod dicimus, an fortasse *lapis* ille *Lazuli*, ex quo colorem pretiosissimum, *ultramarinum* dictum, comparari constat. Hoc certe contenderim de cæruleo, utpote nomine substantivo materiæ cujusdam, hic non esse dubitandum. *Forbiger.*

814. *Prædita sint.* Sic Eichst. e plurimis libris restituit. Wak. *sunt.*

842. *Sed ne forte.* Tribus utitur argumentis, 1° Si odorem seminibus concedas, turbabis omnia : gratissimi odores seminum graveolentium interventu sordescerent, ut in componendis unguentis, nisi artifex inolens oleum misceat, suavissimi odores ab oleo corrumperentur. Idem etiam de sapore, sono, calore, et frigore dicendum. 2° Semina dividi non possunt, ideoque nec odorem, neque sonum, neque saporem, neque calorem, neque frigus, quæ constant e particulis e corpore emissis, emittere valent. 3° Si mollitiem, lentitudinem, raritatem,

fragilitatem, etc. seminibus apponas, mutabilia insuper efficies, et interitui obnoxia, ideoque res in nihilum recíderent. *Creech.*

848. *Et nardi florem.* Alii libri habent « Et nardi florum »: quæ lectio ferri potest, ut subintelligamus *liquorem.* — Wakef. affirmat Lucretium dedisse *rorem;* coll. Ovid. Epist. XV, 76.

854. *Propterea, eadem,* etc. MSS plures *eundem;* duo *eandem.* — Cf. vs. 842 sqq. cum 854 sqq.; quæ hic adduntur tam mire sunt expressa, ut vix a Lucretio profecta esse possint. Quomodo enim qui antea docuerat, primordia omni odore, sonitu, etc. destituta esse, vs. 854 sqq. dicere potest: « *eundem* odorem suum rebus gignundis non debent adhibere? » unde necessario sequeretur, ipsa utique odore esse prædita, quem tantum rebus procreandis non impertire iis liceat. Quænam autem est causa, cur odorem *suum* rebus concursu suo exortis adhibere non *debeant?* « Quoniam nihil a se mittere possunt. » Num igitur odorem suum, qui tamen antea iis prorsus negatus erat, retinent etiam conjuncta et comprehensa corporibus? Utut ergo sententiam inflectas, semper perversa manet et Lucretii menti contraria. Sed etiam quod similitudinis causa præcedit exemplum unguenti ex oleo et odoribus confecti sic certe, ut hic legitur, non bene ad sensum quadrare videtur. Primum enim non intelligitur, quare auctor de odore modo tam multa verba fecerit, quum cetera attributa primordiis deneganda nomine tantum commemoraverit; deinde vero, quod cocturis unguenta olei genera non olentia adhibenda dicit, ne oleum fœtidum suo odore omne unguentum inficiat ejusque suavitatem perdat, eo comparatio ipsa in alienum sensum avertitur, quæ huic sententiæ illustrandæ facta est: e primordiis odore carentibus corpora odorata oriri posse. Quare et hos versus, licet non omnino Lucretio abjudicare ausim, hic tamen non eo, quo ab auctore posita erant, ordine et connexu legi omnemque locum turbatum et corruptum esse censeo, quod aliquatenus certe comprobat etiam Nonii grammatici auctoritas, c. 2, n. 913, hæc referentis: « Viro etiam pro virtute naturali. Lucret. libro II: Concoctasque suo servare et perdere viro »; quem omnem hunc locum aliter, quam nunc legitur, constitutum ante oculos habuisse fortasse non injuria colligamus. Addo tantum, vss. 847-858 hic omissis, omnia melius, quam nunc se habent, cohærere, nec aliquid desiderari, quod versibus illis deletis ad sensum necessarium contineatur. *Forb.*

860. *Molli lenta,* etc. Res est criseos difficillimæ de lectionum in hoc versu constituendarum ratione fidenter pronunciare. Vulgatis equidem omnino acquiescendum putem. *Wak.* — Sensus est: Ubi calor, tepor, frigus reperiuntur, necesse est corpora esse lenta, id est, cedentia, flexibilia propter mollitiem, fragilia propter putredinem et coctionem,

cava propter raritatem (ἀραιότητα), quæ in principiis si statuas, tum omnia ruant necesse est. *Fab.* — Probatur lectio, sed interpretatio displicet; nam mollities, raritas, et similes qualitates æque ac sapor, odor, sonus, frigus et calor videntur his versibus a seminibus separari. *Creech.*

889. *Nimirum lapides*, etc. Negare non potuit ligna, lapides, terramque commista aliquando insensilia manere, aliter viventes domos, et turres sensiles efficeret. Fatetur igitur res insensiles, nisi certa figura et magnitudine donentur, debito motu agitentur, certoque ordine disponantur, nunquam efficere res sensiles; at debita omnia et requisita adhibeantur, animal nascitur e re maxime insensili. Putrescat enim lignum, aut glebæ imbribus resolvantur, et animalium huc et illuc reptantium agmina subito admirabere. *Creech.*

893. *Sensile et extemplo.* Alii *sensilia extemplo, et.*

896. *Quæ sint.* Liquido jurare possim legendum, *queis sint*, i. e. quibus posituris, etc. ut versu superiori « qua prædita forma ». *Fab.* — Non opus mutatione : *quæ* enim, ut passim, valet qualia, ut in præcedenti *qua* valet quali. *Voss.*

900. *Nova re.* Vett. edd. *novare*, hoc sensu : Conciliantur ita *novare*, ut debent animalia gigni. Sed hæc artificiosa ratio vulgari postponenda.

903. *Sentire suetei. Suetis* videtur legend., ut sit hic Lucretii sensus : Ex sensilibus suetis, i. e. quæ solita sunt, porro, id est, porrotenus, sentire ex aliis, videlicet ex visceribus, nervis, venis, ut diximus : quæ quidem sunt mollia et mortalia. *Lamb.* — Aliud Lucretii argumentum vs. 5 continetur, quia si principia, ex quibus est sensus, sensilia sint, erunt igitur ipsa mollia, quum nulla res dura, solidave, sit capax sensus : quare et erunt corruptibilia, quippe quum, nisi solida sint, distrahi possint, atque idcirco suam naturam amittere : atqui debent rerum principia, ut declaratum superius est, incorrupta perseverare. Ita optime philosophus Gassendus : grammaticum vero Lambinum audiamus. Deinde quum statuant sensile ex sensilibus creari posse; quæ quidem sensilia ex aliis sentire consueverunt, nempe ex venis, visceribus, nervis, et similibus; tum faciunt illa sensilia mollia, et ita mortalia. Hæc grammaticus, dum verba potius quam sensum spectat; quippe vitiosos codices sequutus desipit. Quid enim sibi velint istæ voces, « Ex sensilibus, porro ex aliis sentire suetis », quum illi, Plato et Anaxagoras, contra quos disputat Lucretius, ipsa rerum principia statuerunt sensilia ? Nullis igitur libris adjutus, sed re ipsa admonitus audacter lego : « Denique principiis qui sensile posse creari, etc. » *Creech.*

910. *Necesse est.* Sic omnes haud dubie libri; quo nihil elegantius. Editores de suo *nec esse*, securi interea de sermonis grammatica proprietate. *Wak.*

911. *Namque alios sensus*, etc. Interpretes disputant quo modo legendus sit hic versus, et quo ordine collocari debeat : Lambinus, Gassendus, Faber, « Namque alium sensus membrorum respuit omnes », et vs. 913 subjungunt : quasi dixisset Lucretius : Pars a toto suo separata aliorum membrorum sensus respuit, ergo pars sola, i. e. a toto sejuncta, totius corporis sensum tenere non potest. Displicet hæc interpretatio; sufficit enim (respondeant illi qui statuunt semina sensilia), si pars sejuncta sensum sibi peculiarem, licet non totius corporis sensum retineat. Legendum autem existimo, « Namque alium sensus membrorum res petit omnis » : et vs. 910 subjungendum : i. e. quælibet pars postulat unionem cum aliis membris, ut sensus capax sit, nam sine vitali partium consensu, ut sæpe Lucretius, nullus est omnino sensus. *Creech.* —Versum nos ad membranarum atque omnium veterum exemplarium fidem exhibuimus. *Wak.*

922. *Inter sese*, etc. Post hunc versum alium supposuit Lambinus : « Per veneris res, extra homines, armenta ferasque ». Bonum quidem. Sed ego veteres omnes libros sequor, et ea subintelligo ex præcedentibus. *Gif.*

925. *Id* omittunt plures editi; bene reposuit Wak.

928. *Vermeisque effervere*, *terram*, etc. Velit Wak. post Lambinum, « Vermeisque effervere terram (sive *terra*), Intempestivos quam, etc. »

932 seq. Duos versus ita legit Gifanius : « Posse ea non sensu, sensus mutabilitate Aut aliquo tanquam partu, quod proditur extra ». Nardius, « Posse ex non sensu : sed sensus mobilitate Ante aliqua tangi partum, quam proditur extra ». Hunc locum difficilem et obscurum esse Gassendus, Lambinus, omnes fatentur : Gassendo judice sensus videtur esse : non bene dici rem sensilem ex principio insensili gigni, si intelligamus illud immutari, et variis immutationibus in sensum tandem perfici : simileque esse, ut dum fœtus initio minimus paulatim grandescit, ac paritur magnus. Siquidem, inquit, non unum principium, non singula seorsim sumpta mutationis capacia sunt, sed natura solum concreta ex principiis pluribus, unde et ista varie dispersa possunt sensu destitui, et idonea tamen ratione coeuntia contexi in rem sensilem : nec valet fœtus similitudo, quando is quoque ab initio ex multis constat partibus, pro quarum ratione est magnus, quum singulare principium mutationi nulli subjaceat. Hæc Gassendus. Tres diversas lectiones et interpretationes in Lambino quæras, omnes enim displicent. Legendum autem « Quod si forte aliquis dicet, duntaxat oriri Posse ex non sensu sensus mutabilitate Ante aliqua, totum partum quam proditur extra ». Et pro obscura et difficili plana subito erit et facilis sen-

tentia. Aliquis enim forsan dicat, principia rerum quidem esse insensilia, at vi et virtute rei generantis illa principia mutari in sensilia, et sensu gaudere antequam in animal coalescunt. Huic vs. 13 Lucretius respondet, principia seorsim sumpta mutationis esse prorsus incapacia, nec sensum alicujus animalis produci posse antequam ipsum animal perficiatur; quia sensus postulat eum vitalium motuum consensum, quem in rerum principiis, quæ per aerem, aquam, terram, ignemque (istos philosophos tangit qui omnia e quatuor elementis componi docuerunt) dispersa volitant, frustra requiras. *Creech.* — Omnis tollitur difficultas, si locus eo modo legatur atque distinguatur, prout a nobis editur; nec aliter legi potest. Constructio est: « sed mutabilitate, tanquam aliquo partu, ante quam proditur extra ». Ita omnia plana sunt nulla fere facta immutatione. *Hav.* — Wak. *posse a non sensu*, sed vide vs. 930.

937. *Principiom* rectissime restituit Wak. Libri omnes enim *principio*, quod Junt. et Ald. II sic student concinnare, ut puncto posito post verbum *conciliatu* hoc versu novam sententiam incipiant. Vulgo *primorum* exLamb. conjectura. *Forb.*

940. *Terraque creatis.* Edd. communes *flammaque*; sed, opinor, ne unius quidem codicis auctoritate nixæ. *Wak.*

943. *Animantem* restitui ex plurimis libris. Wak. *animantum* varietatis gratia, cui tamen Lucretius non anxie studet. *Forb.*

954. *Fit quoque, uti sol. minus obl.* Declarat etiam consequenter vs. 9 si ictus fuerit paullo remissior, posse post aliquantulam corpusculorum exturbationem status restitutionem fieri, quasi dispositione ad motus vitales dominante adhuc, neque omnino resoluta : sic sopiti excitantur sensus, ab ipso mortis limine redit, et convalescit animal. Hæc omnia, fateor, voluit Lucretius, sed an hi versus hæc omnia satis exprimant, merito dubium. Tota autem integrior foret sententia, si reducatur vs. 1010 (« Neve putes æterna » lego *interna*) una cum duobus sequentibus (quos in isto, in quo nunc leguntur, loco nihil agere demonstrabo) et versui 959 subjungatur : hic enim positus Lucretii mentem explicabit, et vim objectionis franget, contra quam non satis provisum videtur. Quippe aliquis dicat, si ab ictu vehementi animæ particulæ disjungerentur, nunquam iterum recolligi possint, sed dispersæ avolarent, et animal interiret. Ideoque ictus iste, qui sensum interrumpit, aliquid aliud omnino agit, quam ut particulas animæ discutiat et disjungat. Resp. Lucretius, licet ea semina, quæ in rerum superficie sita sunt, quolibet ictu disjuncta avolent; illa tamen, quæ in intimis corporis venis continentur, non tam facile dissipari. *Creech.*

975. *Auctum est.* Sic libri omnes; bene. Lambinus *de quibu' factum;* alii *aptum.*

986. *Non ex ridentibus auctus.* Ita libri omnes. Lambinus: *factus,* male. Vide vs. 975.

991. *Semine oriundi.* In voce *oriundi*, *i* et *u* unam syllabam efficiunt, seu potius *i* liquescit, quanquam nonnulli libri habent *stirpe oriundi*, quæ scriptura si cui placebit, equidem non repugnabo; verumtamen suspicor esse suppositam. *Lamb.*

1007 sqq. Hic locus paucis modo versibus exceptis, ex aliis Lucretii locis est compositus. Versus enim 1007 quum jam valde similis sit lib. I, vs. 817, sequentes tamen 1008 et 1009 prorsus iidem sunt atque I, 818, 819 (qui aliis etiam in locis, ubi iterantur, an Lucretio ipsi tribuendi sint, valde dubito); vs. 1013, una vocula (*passim* in *refert*) mutata, idem est cum I, 823, sicuti vs. 1015 cum sequenti prorsus respondent I, 820, 821, ita tantum mutati, ut verbo *constituunt* hic *significant* substitutum sit, ad sensum vero ita inflexi, ut, quæ in altero loco de primordiis ipsis dicuntur, in nostro ad literas referantur; porro vs. 1020, si ab eo discesseris, quod ille quarto casu exhibet, quæ hic primo leguntur, eadem verba habet, quæ II, 726 (conf. etiam I, 634), et vs. 1021 ex asse respondet I, 686 (conf. I, 635). Quibus si additur vs. 1014, ex I, 818, et II, 884, ut videtur, compositus, restant tantum vs. 1010-1012, propter alienum sensum et orationem admodum suspecti, et vs. 1017-1019 cum 1022, qui, sive sensum, sive compositionem spectes, ita sunt comparati, ut ab uno quovis homine, qui syllabas componere valeret, additi esse possint, inprimis quum verbum *discrepitare* in eodem versus exitu legatur VI, 1104. Sensum vero quod attinet et finem auctori propositum, hos versus non minus offendere, quisque facile intelligit. Longa enim disputatione de primordiis rerum colore et sensu non præditis (vs. 730-990), quæ omnem de atomis finit disquisitionem, loco illo admodum elegante de omnium rerum in terra conspicuarum ortu e conjunctione ætheris et terræ atomorum (vs. 991-1006) apte clauso et finito, atque ita transitu parato ad sequentem disputationem, præter nostram terram plures alios ejusmodi materiæ concursus declaraturam, mirum quantum languent, quæ inde a vs. 1007 amplius adduntur et nihil aliud continent, nisi quod jam antea locis longe aptioribus dictum est. Nam non solum placitum illud, ex vario ordine, positura et conjunctione atomorum diversarum rerum originem deducendam esse, præter illum locum, ex quo hic repetitum est, in proxime antecedentibus jam adfuit vs. 883 sqq. et 894 sqq., sed etiam comparatio atomorum cum literis, pro vario ordine varia efficientibus verba, Lucretio, utpote rem optime illustrans, valde ada-

mata, præter libri I locum, cujus verbis hicce iterata est, legebatur jam lib. II, vs. 688 sqq. Versus autem 1010-1012, quamvis interpretes in iis explicandis se torserint, mihi plane alieni hic videntur et ab inepto homine conficti. Voluisse ille quidem videtur hoc: Noli putare, atomos posse semper in iisdem corporibus æternum duraturis remanere, siquidem potius perpetuo mutant suum locum et novis corporibus gignendis inserviunt; sed primum hæc sententia importune interpellat eam, quæ per vs. 1002-1009 et porro 1013-1022 decurrit, de varietate rerum pro vario ordine et positu atomorum, unde conflatæ sint; deinde videat mihi aliquis, quomodo auctor horum versuum hanc suam sententiam enuntiaverit! « Non penes æterna resident atomi », i. e. non in æternis corporibus remanent, non in æternum eadem corpora constituunt; quis autem Latinorum unquam sic dixit? tum in verbis « in summis fluitare rebus » (quæ ad exemplum lib. IV, vs. 443 composita videntur), nemo facile agnoscat, quod auctor hic dicere voluit et debuit : ex uno corpore in aliud transire; denique ipsas atomos scripsit subito nasci subitoque perire, quod potius de corporibus valeret ex atomis natis et nasciturus. Quare de his versibus non minus, quam de omni loco mihi videtur dubitandum. *Forb.*

1010. *Neve putes æterna parum.* Libri omnes *æterna penes.* Vide notam proxime præcedentem. — Locus omnino difficilis. Turnebus « penes æterna » sumit pro æternis textis, quod mihi nimis Stoicum, nimis μετέωρον et metaphysicum videtur, quam ut ita sentire Lucretium existimem. Lambinus olim existimavit pro *penes* legendum *minus*, quod mihi in mentem etiam venerat, priusquam ipsius commentarios legissem (ita certe ratio postulat) : sed quia duriusculum ei videtur, corpora prima resident æterna, ideo alio confugit, ut dicat hos tres versus, qui tamen mihi magnopere Lucretiani videntur, tolli posse; vel ita explicandum τὸ residere, ut privationem ab omni motu significet; et « penes æterna » positum fuerit pro « penes æternitatem ». Sed eam quoque sententiam ipsemet Lambinus sibi non satis probari ibidem ostendit; et merito quidem. Lucretius ait, corpora quæ in concretis perire videntur, non perire tamen, neque ideo minus æterna esse. Itaque ut ingenue dicam quod sentio, pro *penes* legendum necessario arbitror *minus* aut *parum*, ut in vulgatis. Vult probare Lucretius mortem ipsam nil prorsum in corporibus primordialibus ad nihilum redigere, sed ab ea situm modo, figuram, et alia id genus mutari: Nec sic interimit mors res, ut materiai corpora conficiat, inquit, i. e. destruat, consumat : sed tantum cœtum dissipat : inde (i. e. ex iis corporibus) aliud aliis conjungit, et efficit, omnes res ut convertant formas suas, et capiant sensus (animentur), et puncto tempore reddant (i. e. moriantur, nam hæc ad animalia præsertim pertinent), ut noscas plurimi referre, etc.

Et ne putes prima corpora ideo minus æterna esse, quod illa in concretis fluctuare videntur, modo nasci, modo interire; qui enim nasci illa et interire putant, falluntur. Nam ex oculis nostris subducuntur per interitum συγκριμάτων, sed non pereunt; quippe ad cetera primordia reducuntur, seu *ad sua sæcla*, ut mox loquitur, *recedunt*, donec motu sibi ingenito in cœtus novos redeant, etc. Quod dixi autem de positura et collocatione, potest id, a simili, ex literarum elementis probari, etc. An itaque nunc, lector, tres illos versus tollendos esse putabis? *Fab.* — Lambinus in omnibus libris invenit scriptum, « Neve putes æterna penes, etc. » Atque hanc scripturam quidam interpretatur: « Neve putes corpora prima posse residere penes profundum immensum » : nulla, aut certe absurda sententia. *Æterna penes*, in ipsis penetralibus, Palmerius. Nescio quis dicit hic nihil sollicitandum, *Penes* i. e. penes nos, et *minus* subintelligitur. In his versibus explicandis multus est Faber, aliorumque sententias rejicit, versibus immeritis nimis favens. Lego autem, « Neve putes interna minus, etc. », et vs. 959 subjungo : placet ista conjectura, et scio alios interpretes nihil melius protulisse. *Creech.* — Neque mihi displicet, multa enim in MSS Lucretii loco suo sæpius mota sunt. *Hav.* — Sed hæc sunt nimis pro imperio. *Residere* autem *manere* vel *esse*, ut III, 399; V, 1424. Et fortassis haud inepte, neque omnino intempestive, dum rerum mutationes et conversiones tractat, monitionem subinde primaria de doctrina Epicureorum istam Lucretius interponit. *Wak.*

1018. *Discrepitant res.* Lego *discrepitant hæc :* non enim loquitur de rebus, sed de elementis et nominibus, quæ ex literis constant. *Lamb.* — Forsan *discrepitantes*, ut mutetur genus; licet modo *omnia* dixerit. *Hav.* — Omnium librorum *res* bene habet.

1029. *Quod non Paullatim*, etc. Sic libri omnes; quare merito Wakefieldo vituperanda videtur editorum temeritas qui nulla auctoritate locum sic refecerunt : « mirabile quidquam Principio, quod non minuant... omnes Paullatim ut cœli ». Ed.

1037. *Nil, ut opinor*, etc. Lambinus versum ita legit, « Nulli ut opinor ita hæc species miranda fuisset Quam tibi ». Sed aliam lectionem sequor, utpote longe potiorem, « Nulli ut opinor ita hæc species miranda fuisset ». Sequentem autem versum ita emendat Faber, « Quom tibi jam nemo fessus, etc. » quasi diceret, « Et tamen (ita assueti sunt oculi huic spectaculo) nemo hodie dignatur suspicere in cœlum ». Illud autem *tibi* (Servii voce utor) vacat : ut *mihi* apud Virg. Georg. I, 45 : « Jam tum mihi taurus aratro ». *Creech.*

1044. *Quærit enim rationem*, etc. Creech. *ratione*. — De quatuor hisce versibus litigant interpretes, dum alii fastidiunt, quos alii amplectuntur. Ego quidem nec absurdos esse video, nec inutiles; explicant enim futuræ disputationis argumentum; idque non inepte, si modo ita ut edidi legantur. Fayus legit « Quærit enim ratio ne animi », i. e. an animus inquirit aut dubitat? et quarto versui notam interrogationis subjungit. Non opus est isto acumine. *Creech.*

1046. *Velit*. Cum Eichst. et Orell. in contextum revocavi omnium librorum lectionem, quam Wak. nimio elegantiæ studio ductus, quia versu sequente iterum *velit* legebat, in *valet* mutavit, quod vel regulis grammaticis adversatur. *Forb.*

1047. *Jactus ... pervolit*. In loco difficillimo, et propter maximam lectionis varietatem valde lubrico tutissimum habui lectionem aliquam efficere quæ librorum vestigiis proxime accederet et sensum certe non absonum præberet. Plures libri *tactus*. Haverc. cum vulg. editt. « quo pervolet ipse »; Pii codd. « sit quo velit ipse », ut Wak. edidit; Eichst. Gifanium sequutus, edidit « quo pervelit ire ». Orellium in scriptura *pervolit* sequutus sum, quum sic variæ lectt. optime conjungi possint. Pronomen vero *ipse* firmius nititur codd. auctoritate quam quod loco movere ausim, inprimis quum *ire* languidius videatur. *Forb.*

1060. *Frustraque coacta*. Sic omnes edd. et ipse Wakefieldus e duobus codd. Voss. dedit *frustraque coacta*, cui tamen lectioni contraria est, quam Pius in antiquis codd. invenit, atque edd. Junt. et Ald. 2 exhibent : *jactataque frustra*. Ceteri libri omnes utramque lectionem, metro etiam violato, in unam conjungere voluisse videntur, quum plerique præbeant *frustraque jacta*, alii vero (ut etiam editt. Brix. et Ald. 1, ab editoribus nondum collatæ) *frustra quoque jacta*. Neutra illarum ita comparata est, ut librariis ansam dare potuerit alteram alteri substituendi, qui omnium minime in loco satis claro et expedito verborum transpositionem sibi indulsissent. Quare diversitatis originem ex alio fonte deducendam puto, dum scilicet alteram scripturam a Lucretio ipso, alteram ab eo, qui serius ejus carmina mutavit, profectam habeo. Quum vero quæritur, utra ipsi Lucretio accepta ferenda sit, equidem hoc de illa, *jactataque frustra* contenderim; hoc enim sumto videor mihi intelligere, cur interpolator, poetam emendaturus, his sua substituerit. Si enim offendit in collocatione verborum : « temere, incassum jactataque frustra », facilis et in promtu erat mutatio, quum in alio Lucretii loco, lib. V, 1000, hæc tria verba *temere*, *incassum*, *frustra* eodem ordine proxime se excipiant; quæ tamen non necessario sequitur propterea nostro etiam in loco plane eodem modo posita fuisse. At vero, qui hunc versum correxit, non cogitavit, inducta hac

mutatione vocis *jactata* in *coacta* ipsam sententiam in alienum sensum detortam esse. Quum enim verborum *coacta* et *conjecta* fere eadem sit in hoc loco significatio, quomodo Lucretius dicere potest : Postquam semina rerum vario modo temere, frustra coacta sunt, tandem ita conjiciuntur, ut res seu corpora exoriantur? quæ verba aperte adversarentur aliis locis, in quibus Lucretius ipso illo verbo *cogendi* utitur de ea actione, qua corpora e primordiis conjunctis oriantur (v. c. II, 935 : « Non fieri partum, nisi concilio ante coacto », ita ut atomi antea quidem temere per inane vagari vel jactari, nullo modo autem frustra et sine effectu cogi possint. Quare mihi certe altera lectio *jactataque* huic loco multo magis convenire videtur, inprimis quum hoc verbum de motu atomorum Lucretio satis usitatum sit. (Conf. II, 88, 121, 549.) *Forbiger.*

1079. *Quin aliquoju' siet.* Hic versus cum sequenti Lucretianus non est. *Faber.* — Libros sequitur Gifanius; retinet, licet non approbet. Corrupti forsan; at mutilus sine illis locus; ideo omissis aliorum conjecturis, hoc modo corrigendos censeo, « Unica quæ gignatur, et unica solaque crescat Cujuscumque siet secli; permultaque eodem Sunt genere : in primis animalibus injice mentem, Invenies sic montivagum, etc. » *Injice mentem* a Lipsio accepi; et ex his vocibus commoda et digna Lucretio sententia effingi potest. *Creech.*

1090. *Quæ bene cognita*, etc. Hactenus de innumerali mundorum numero Lucretius. Porro non unus Lucretius aut Epicurus infinitos mundos esse censuit. Namque, ut taceam Plutarchum, qui plures esse voluit Plac. I, 51, Heraclitum, qui cum Stoicis innumeros successive, ut aiunt, fore voluit mundos, quasi alios ex aliis refectos; Heraclidem cum Pythagoreis, qui quot cœli stellas, quæ nobis infinitæ illucent, totidem esse mundos reputavit; ut hos, inquam, taceam, constat ex testimonio Stobæi Eclog. Phys. lib. IX, Anaximandrum, Anaximenem, Archelaum, Xenophanem, Diogenem, Leucippum, et Democritum, infinitos admisisse mundos. Addit et Anaxarchum Plutarchus, qui illo edisserente infinitos esse mundos Alexandrum magnum illacrymasse ait. Fuit et in hac sententia Metrodorus, qui tam absurdum esse dixit unicum esse mundum in infinito universo, quam unam spicam nasci in immenso campo. Sed quam inepta sit hæc sententia nemo non videt : immo sacris codicibus omnino repugnat, in quibus, quum de rerum origine, de providentia, de humana conditione, deque aliis rebus agitur, unius et singularis mundi mentio fit. Hanc rite explodit etiam Plinius II, 1. *F.* — Hos autem versus a 1090 ad 1105 nostras *Lagrange* loco movit et in finem libri rejecit, quippe hic ordinem turbant. Sed

quis ferat editorem pro arbitrio sic omnia digerere, vel potius disturbare? Ed.

1099. *Omnibus inve locis.* Sic optimi et plures libri. Vulgo *inque.*

1105. *Multaque, post mundi,* etc. His 69 vss. ultimis aliud jam docet Poeta; quippe quia visus est sibi nimium supra tribuisse et fortunæ et temerario casui, dum immensas myriades atomorum in nullius rei usum congregatas per inane magnum asseruit. Itaque hoc in posterum studet, ut quæ atomi superfluæ viderentur, rerum genitarum generationi atque augmento præficiat. Qua ex occasione docet interim cur et qua ratione fiat in rebus augmentum, status certus, et decrementum. Ubi enim, inquit, rebus accedunt novæ atomi, res ipsæ crescunt: ubi rebus tot accedunt, quot decedunt atomi, res consistunt, hoc est, neque crescunt, neque minuuntur: ubi vero rebus non tot accedunt atomi, quot detrahuntur, res decrescunt, senescunt, et tandem intereunt. Quod et infinitis mundis, quos astruxit, contingere voluit; quos nempe crescere, consistere, et tandem decrescere censet, instar animalium, et rerum ceterarum; quasi in mundo, sicut in plantis, et animalibus, adolescentia, vigor et senium inessent. Voluit igitur Epicurus mundum primum crevisse: deinde constitisse: jam vero senescere: idque varias ob causas: 1° quia mundus natus est et ortum habuit in tempore, ut ait Cic. Nat. Deor. I; 2° quia mundum animalibus similem esse censuit; 3° quia singulæ quæque mundi hujus partes nativo constant corpore, et intereunt; 4° quia inter mundi partes cunctas pugna est continua, ex qua mundus aliquando cadat necesse sit; 5° quia nihil ingenitum, incorruptibile et æternum in mundo esse voluit, præter hæc tria, atomos, inane, et τὸ πᾶν, omne, seu universum. — Non defuerunt etiam SS. PP. qui huic opinioni assenserint. Sed inprimis S. Cyprianus ad Demetrian. his verbis: « Scire debes jam mundum non illis viribus stare, quibus prius steterat: nec vigore ac robore eo esse, quo ante prævalebat. Hoc etiam nobis tacentibus, et nulla de Scripturis sanctis prædicationibusque divinis documenta præbentibus, mundus ipse jam loquitur, et occasum sui rerum labentium probatione testatur. Non hieme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est: non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est: nec sic verna temperie sata læta sunt: nec adeo arboreis fetibus autumno fecunda sunt. Minus de effossis et fatigatis fontibus eruuntur marmorum crustæ: minus auri, et argenti opes suggerunt: exhausta jam metalla, et pauperes venæ breviantur in dies singulos. Decrescit in arvis agricola: in mari nauta: miles in castris: innocentia in foro: justitia in judicio: in amicitiis concordia: in artibus peritia: in moribus disciplina. Minuatur necesse est, quidque fine jam proximo

in occidua et in extrema devergit, etc. » Sic eadem fere Lucretius hic. *Fayus.*

1137. *Nec satis est pro quam.* Lambinus legit « Nec sitis est quæ per largos, etc. » totumque versum tanquam adulterinum rejicit. Faber ita legit, « Nec satis est præquam largos exæstuat auctus ». Nulla est utriusque interpretis conjectura : iniquus ille, qui rejicit hunc versum, nec æquior ille qui emendat. Quis enim nescit corpora animalium tantum effluviorum copiam quotidie emittere, ut alimentum, nisi copiose subministratum, illis reparandis non sufficiat? Jure igitur legitur, « Nec satis est ». Quis etiam ignorat effluvia ista in modum aquæ e fistulis expressæ erumpere? Quænam igitur vox significantior ista voce *æstus? Creech.*

1138. *Queant.* Alii *queat*, quod etiam defendi posset, hoc modo : « Nec satis est, unde *queat tantum* subministrari, quantum ea res largo æstu amittit ».

1148. *Et fulcire cibus.* Creech. in nota ad vers. 1146 : « Huic versui nonnulli subjungunt prorsus ineptum *Et fulcire cibis, et omnia sustentare.* Hic enim delendus est ; immo, si libri permitterent, tres alios rejicerem ». — Immerito versum *Et fulcire*, etc. expungi volunt, ob depravatam passim lectionem, quæ ex codd. Lugd. Bat. clara et perspicue vera a nobis est reposita. *Hav.*

1163. *Conficimus.* Alii sic legunt : « agricolarum. Conficimus ferrum, etc. » Alii : « conficimus ; ferrum ... suppeditarit », subint. ita ut.

1169. *Tristis item vetulæ*, etc. In hoc loco constituendo Orellium sequutus sum, qui longam de eo instituit disputationem. Quum enim codd. omnes priorem versum sic exhibeant : « Tristis item vet. vit. sator *atque* (Ald. 1, Bon. *æqua*) *fatigat* » ; posterior vero non nisi in Lugd. 1, 2, Vind. fragm. Vind. Ald. 1, et Bon. ita appareat : « temporis incusat *nomen seclumque* fatigat », manifestum est librarium ex uno in alterum versum aberrasse ; ideoque exitum prioris, ut videtur, conjecturis modo prorsus arbitrariis sanari posse. Lamb. Gif. Hav. rem brevius expedientes, hos versus, ut additicios, e contextu rejecerunt. Wakef. edidit : « *acta peragrans* temporis, incusat numen, *cœlumque* fatigat » ; in quibus certe *cœlum* pro *seclum* felicissima est emendatio. *Forb.* — Sed quomodo in voce notissima *cœlum* errare potuerint librarii, equidem non video ; magis itaque placet Pii conjectura *seclumque fatiscens :* forsan igitur ita fere legendum : « ... sator *astra* fatigat, temporis incusans *numen* (vel *momen*), seclumque *fatiscens* ». Ed.

1175. *Ad capulum.* Vulgo legitur *ad scopulum.* — Translatum a navi, quæ infligitur scopulo. *Lamb.*—Per *scopulum* intelligit exitium, labem, ruinam. *Fab.* — Salmasius autem asserit *scopulum* esse metam, seu parvum scopum: sic Suetonius in Domitiano cap. 19: «Nonnunquam pueri procul stantis, præbentisque pro scopulo dispansam dextræ manus palmam, etc.» *Creech.* — Quoniam in MS optimo L. B. legitur *ad copulum*, a manu antiqua puto scriptum olim fuisse ad *capulum*, i. e. ad locum funeris et interitum. Navibus enim quæ scopulo alliduntur, illud in medio cursu accidit, non sensim; metæ quoque scopulus, ut diminutivum, quæsitum in Suetonio, hic locum habere vix potest; neque *ire*, sed *currere* vel simile quid tunc dixisset. At quum de terra ut *effeta* agat, quam modo *tabescere* dixit, nihil videtur convenientius, quam *ad capulum*, quod ætati vetustæ convenit. *Hav.*

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER III.

ARGUMENTUM.

Hactenus, duobus nempe superioribus libris, naturam et affectiones, quas dicimus, atomorum rite explicasse sibi visus est Poeta. Nunc quatuor reliquis libris ea, quæ ex atomis istis fiunt, attentius speculatur: atque, uti par fuit, primas detulit partes animæ et animo, de quibus hoc toto libro jam disputat. Hunc autem auspicatur librum ab Epicuri laudibus, quem a vs. 1 ad vs. 94 prædicat primum docuisse, non a Deo, sed ex fortuito atomorum concursu, mundum hunc, et omnia facta; atque inde hominum mentes a Deorum, mortis et pœnarum post mortem metu liberasse: hoc autem unus Epicurus feliciter perfecit, quod alii philosophi frustra conati sunt.—Pauca hæc de Epicuro præfatus, docet a vs. 94 ad vs. 137 animum et animam partem esse hominis, æque ac pedes, manus, brachia, caput, et reliqua membra, et non habitum vitalem totius corporis, seu omnium partium corporis congruentiam concentumque, qualem quidam veteres philosophi harmoniam dixerunt.—Ne vero minus distincte disputare videatur, dum vocibus *animus* et *anima* promiscue utitur, a vs. 137 ad vs. 162 docet, animum et animam unam quidem rem esse, animum vero præcipuam esse partem, et in corde residere, quippe ibi metus, gaudium, et reliquæ passiones, quæ animum sequuntur, sese ostentant; dum anima, in qua locomotiva facultas unice sita est, per totum corpus sparsa, ad nutum animi movetur;—inde a vs. 162 ad vs. 178 demonstrare conatur, animi naturam esse corpoream: animus enim tangit animam, quam mo-

vet; anima autem, corpus; nullus vero, nisi inter corpora, contactus est. — A vs. 178 ad vs. 324 docet, corporeum hunc animum componi e seminibus minutissimis quidem, tenuissimis, et maxime rotundis : et, si rem ipsam spectemus, e calore, vento, seu vapore, et aere; et alia insuper re, quæ, ex tenuissimis, minutissimis, et maxime mobilibus seminibus constans, est sensus principium, et origo : quo modo tamen calor, ventus, aer, et quarta illa res innominata misceantur, explicare se non posse liquido fatetur. — A vs. 324 ad vs. 351 asserit, animam et corpus ita conjuncta esse, ut sine utriusque pernicie separari non possint; — deinde, a vs. 351 ad vs. 371. non solum animum, sed etiam corpus, sentire affirmat, seu potius totum animal, rem e corpore et anima compositam; — post hæc a vs. 371 ad vs. 418 refutat opinionem Democriti, qui singulas animæ partes singulis corporis partibus appositas et conjunctas esse docuit : et, ut olim affirmavit, animum esse potiorem totius compositi partem, sic ab animo potius, quam ab anima, vitam dependere, et salutem animalis conservari, asserit. — Deinde a vs. 418 ad vs. 842 animos et animas nasci et interire cum corporibus, viginti octo argumentis demonstrare conatur, et transmigrationem Pythagoræ obiter deridet.—Demum, a vs. 842 ad vs. 883, mortem nihil esse docet, quum post mortem nihil est mortali animæ timendum; immo, si anima immortalis (ut Platoni visum est) concedatur, mortem tamen nihil esse, quum anima separata non meminerit, se unquam antea exstitisse.—Proinde, ad vs. 907 ridet hominum vanam de sepultura sollicitudinem; —deinde demonstrat, mortem non esse malum, quia mortui non indigent istis bonis, quibus vivi gaudent, neque istis doloribus afficiuntur, qui miseros mortales cruciant, usque ad vs. 944. — Vitam etiam ipsam non esse desiderabilem, quippe quæ nihil novi afferat, sed easdem semper voluptates usque ad nauseam subministret, ad vs. 991. — Ne vero istæ fabulæ, quas poetæ narrant, de Inferis et pœnis post mortem, terreant mortales, inde ad vs. 1037 omnes illas commoda interpretatione elevat. — Unde, usque ad finem hujus libri, monet, plerosque mortalium inepte et absurde de morte queri; quum sapientissimi hominum, et potentissimi ducum et imperatorum, vim diræ necessitatis senserint : ac docet, ideo mortales vitam sollicitam et inquietam agere, quod hanc mortis contemplationem refugiant, et inepte votis omnibus eam vitam

expetant, quam aliquando amissuri sunt, quæ nullam novam voluptatem afferat, innumeris vero doloribus et periculis obnoxia reddatur; præsertim, quum vivendo nihil detrahant de tempore mortis, quæ manet omnes in æternum.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ,
Te sequor, o Graiæ gentis decus! inque tuis nunc
Ficta pedum pono pressis vestigia signis;
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod te imitari aveo. Quid enim contendat hirundo
Cycneis? aut quidnam tremulis facere artubus hædei
Consimile in cursu possint, et fortis equi vis?
Tu, Pater, es rerum inventor; tu patria nobis
Suppeditas præcepta; tuisque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,

1. *E tenebris tantis.* Epicurum fingit Lucretius, mortalibus in tenebricoso rerum humanarum mari fluctuantibus, de specula sapientiæ φρυκτωροῦντα: vel de magistro, quasi de *sole*, loquitur. *W.*— Vide infra in Disquis. variis.

2. *Primus.* At præiverat Democritus; sed magistrum suum Noster omni laude extollere conatur; vide Creech. ad vs. 1, infra in Disq. var. Ed. — *Illustrans*, demonstrans hoc ipso lumine.

3. *Graiæ gentis decus.* Epicurus enim Atheniensis fuit.

4. *Ficta pedum.* Id est, pono sola pedum, *ficta*, se fingentia, effigiata *in tuis signis* vel signis tuorum pedum. *W.* —Immo *ficta* participium est verbi *figere* apud veteres. Voss. Anal. III, 27.

6. *Contendat hirundo Cycnis.* Nempe cantando: conf. Theocrit. Idyll. I, 136; Virgil. Ecl. VIII, 55; IX, 36. Aliam vero interpretationem proponit Wak. ut hic de *volatu* hirundinis et cycni diversissimo intelligatur; coll. Virg. Georg. I, 377, et Ecl. IX, 29. Simplicior tamen, et magis plana mihi videtur altera interpretatio. Ed.

7. *Tremulis artubus.* Sic *infirmis* I, 261.

8. *Et fortis.* Sic plures MSS. Alii male *consimile... ac.* Sensus est et constructio: quid enim consimile in cursu possint facere hædus *et* equus. *Wak.* — *Fortis*, robusta, quod convenienter *tremulis*, infirmis opponitur. *Wak.*— *Vis*, vs. 763; V, 28.

9. *Patria*, paterna, ut pater natis suis.

11. *Floriferis ut apes.* Præclara altera comparatio. Lucretius autumat se instar apum flores decerpere, dum præcipua sapientis Epicuri documenta colligit, et persequitur. *F.* — *Limant*, deterunt, attenuant, avide pascuntur. Hæc est, ut videtur, codicum omnium lectio, quæ defendi potest ut notetur ipsa poetæ aviditas amatam Epicuri doctrinam arripientis. Vulgo editi *libant*, eleganter, ut apud Virg. G. IV, 54. Ed.

Aurea, perpetua semper dignissima vita.
Nam simul ac ratio tua cœpit vociferari
Naturam rerum, divina mente coortam,
Diffugiunt animi terrores; mœnia mundi
Discedunt; totum video per inane geri res;
Apparet Divom numen, sedesque quietæ:
Quas neque concutiunt ventei, nec nubila nimbis
Adspergunt; neque nix, acri concreta pruina,
Cana cadens violat; semperque innubilus æther
Integit, et large diffuso lumine ridet.
Omnia suppeditat porro natura, neque ulla
Res animi pacem delibat tempore in ullo.
At contra nusquam apparent Acherusia templa;
Nec tellus obstat, quin omnia despiciantur,

13. *Aurea*, dulcissima repetitione; vide sup. II, 955. *Wak.*

14. *Vociferari*. Cf. I, 733.

15. *Naturam rerum*. Nam simul ac *tua ratio*, tuæ mentis sagacitas cœpit *vociferari*, alte hominibus inclamare et pronuntiare *naturam rerum*, id est, philosophiam tuam in opere *De natura rerum* declaratam, qui est fetus ingenii tui cœlestis, etc. Sic optime Wak. hunc locum exposuit, ceteris male intellectum, qui non viderant *naturam rerum* hic de Epicuri systemate intelligendam, ideoque *haud* ante *divina* intruserant. Ed.

16. *Diffugiunt*, diversi fugiunt; quasi terrores ipsi forent summopere conterriti. *Wak.*

17. *Discedunt*, dividuntur, aperturam lucentem ostendentia, qua viam perrupit Epicurus, et ea longe post se reliquit, omne immensum peragrans, I, 74, 75. *Wak.* — *Totum per inane*, per omne immensum. Ita ut oculis rationis meæ nihil abscondatur, sed vel penitissimi naturæ secessus (et ipsa Deorum sedes) retegantur. *Wak.*

19. *Quas neque*, etc. Hos quatuor versus sumpsit ex Homero Odyss. VI, 42. — *Nec nubila*, quas nubila non perfundunt imbribus.

21. *Innubilus*. Hom. ἀνέφελος.

22. *Ridet*, id est, splendet; sic I, 8.

23. *Omnia suppeditat*, etc. Sc. Diis. Sic I, 61: « Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri, » etc.

24. *Delibat*. Nulla res, ne de primori quidem felicitatis suæ superficie, degustat aliquid et decerpit. Male igitur editores conjecturam Lambini *delibrat* in textum admiserunt. *Delibrat* suo loco bonum (inf. 1101), sed addicentibus membranis. *Wak.*

25. *At contra nusquam apparent*, etc. Hæc opponuntur τοῖς *apparet Divum numen* vs. 18. Innuit ergo poeta sibi plane ex Epicuri doctrina compertum, si quidem Dii sint, nullos profecto esse Inferos, neque obstare tellurem, subter quam *Acherusia templa*, I, 121, finguntur patere, quin rationis face instructus omnia ista deorsum aspiciat quæ infra sub pedibus nostris in spatio inani aguntur vel exsistunt. Male quidam interpretes tres hos versus intelligunt de deorum

Sub pedibus quæquomque infra per inane geruntur.
His ibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit atque horror; quod sic natura, tua vi
Tam manifesta patens, ex omni parte retecta est.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint, et quam variis distantia formis
Sponte sua volitent, æterno percita motu;
Quoque modo possint res ex his quæque creari:
Hasce secundum res animi natura videtur
Atque animæ claranda meis jam versibus esse;
Et metus ille foras præceps Acheruntis agundus,
Funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore; neque ullam

tranquillitate qui inferos non videant; tanquam inferos agnoscat divinæ providentiæ negator Lucretius! Adde quod v. 27 omnino congruit cum 17. Ed.

28. *His ibi me rebus*, etc. His 13 vss. præmisso procemio jam duplicem reddit rationem, cur de animæ et animi natura disputaturus sit: 1° quia mira capitur voluptate in hisce rebus tractandis; 2° quia explicavit hactenus naturam et qualitates, quas dicimus, atomorum, ex quibus res cunctæ fiunt. Quia vero anima præcipua res est, rite ab animæ natura explicanda auspicaturus est. *F.* — *Ibi*. Græcorum more dictum, qui ἔνθα pariter pro *tum* usurpant. Libri omnes *ubi*. Vulgo *tibi*. — *Voluptas atque horror*. Nimirum *voluptas* ob *inventa*, tam utilia et præclara; *horror* ob *inventorem*, ne in principiis rerum ruinas faciat, et excidat magnis ausis. *Wak.* — Alii post Lamb. τὸ *horror* exponunt: « ingens admiratio »; quod malim; nam ipse poeta causam statim addit *quod sic*, etc. et *horrere* sæpius apud poetas dicuntur, qui Deos aut magnum aliquid vident. Ed.

30. *Patens*. Vulgo contra libros *patet ... retecta*, vel *retorta*. — *Retecta*, velamento nempe tua manu detracto, quod erat arcanis naturæ obductum. *W.*

31. *Et quoniam docui*, etc. Hi versus repetuntur inf. IV, 26 sqq.

33. *Sponte sua*, naturaliter, ex se ipsis. — *Æterno*. Sic IV, 28; male igitur hic libri fere omnes *alterno*. Cf. II, 1055.

35. *Secundum*, post, his rebus proxime. Plaut. Stich. III, 1, 45. *Wak.* — *Animi atque animæ*. Vide inf. vs. 137.

36. *Claranda*, declaranda, illustranda, manifestanda. Sic IV, 780.

37. *Metus Acheruntis*. Huc respexisse videtur Virgil. G. II, 491. — *Præceps agundus*. Prior vox rariore exemplo ponitur adverbialiter quodammodo; quasi *in præceps*, in præcipitium. *W.*

38. *Funditus ab imo*. Hæc erant consocianda: vulgo distinguitur post *funditus*, ut referatur illa vox ad *agundus foras*; perperam. *Wak.*

39. *Omnia suffundens*. Wakef. correxit *subfuscans*; male, opinor, quum ipse notaverit hic pulcherrimam translationem, a fonte lutulato ductam. Optime igitur ad rem *suffundens*, aspergens et inficiens; VI, 479. Ed.

Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.
Nam, quod sæpe homines morbos magis esse timendos
Infamemque ferunt vitam, quam Tartara leti;
Et se scire animæ naturam, sanguinis esse,
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
Nec prorsum quidquam nostræ rationis egere;
Hinc licet advortas animum, magis omnia laudis
Jactari causa, quam quod res ipsa probetur:
Extorres îdem patria, longeque fugatei
Conspectu ex hominum, fedatei crimine turpi,
Omnibus ærumnis affectei denique, vivunt;
Et quoquomque tamen miserei venere, parentant,

41. *Nam, quod sæpe homines*, etc. His 14 vss. nonnullorum objectioni fācit satis, qui, quia putabant animas in sanguine esse et cum corpore mortales, jactabant se nihil opus habere doctrina Epicuri et Lucretii ad hoc, ut et Acheruntis terrorem et Deorum metum procul abigerent. Respondet Lucretius nihilominus tales homines egere nova sua doctrina. *F.*

42. *Tartara leti*, Inferos, vel ipsam mortem. Sic Virg. Georg. IV, 481 : « intima leti Tartara ».

43. *Animæ*. Vulgo *animi*, quod e conjectura et ad sensum propius mutavit Wak. — *Sanguinis esse*. Veteres quidam Ethnici censuerunt animam esse in sanguine, vel sanguinem, quæ cum corpore moreretur. Ita censuit Empedocles; ita Critias, testibus Cic. Tusc. I, 9 et Aristot. De anim. I, c. 2, et Macrob. in Somn. Scipion. et Tertull. De anim. c. 5. Cf. Virg. Æn. X, 908. *F.*

44. *Aut etiam venti*. Vide Disq. var. — Animam meras esse auras, aut vitalem *ventum*, indoctissimus sit necesse est, qui non exploratum habeat. Conf. vss. 123, 127, 129, 576.

45. *Nec prorsum quidquam*, etc. Id est, animam rationibus philosophiæ et gubernationi mentis non subjici; ideoque eos de re, cum sanguine evomenda, vel cum spiritu efflanda, minime cruciari, nec omnino cogitatione mortis perterreri. *Wak.* — Vel supple *se*, id est, jactant se nullatenus indigere ope philosophiæ nostræ.

46. *Hinc*. Ex illo scilicet quod dicturus sum, vss. 48-55, quatenus iidem gloriosi, quoties ab illorum conspectu quibus viri fortes videri volunt, absint longissime et infortuniis premantur, antiquas religiones studio acerrimo solent exercere. — *Licet advortas*, possis cognoscere.

47. *Jactari causa*. Wak. e pluribus, ut vidētur, libris, *causam*, id est, ut causam, vel prætextum. Vulgatam tamen retinent Eichst. et Forb. explicatu faciliorem; quos ideo sequi malui. Ed.

48. *Extorres*, exsules. Sall. Jug. 11.

50. *Ærumnis*. Per hanc vocem vidētur velle eas animi ægritudines, quæ superstitiosis terroribus generantur. *Wak.* —Vel, omnes miserias quæ tædium vitæ possint afferre.— *Vivunt*, vitam amant : vivere cupiunt, ac mortem metuunt.

51. *Tamen*. Quamvis glorientur se nihil curare mortem; vel, quamvis ob has miserias minore cultu erant numina

Et nigras mactant pecudes, et Manibu' Diveis
Inferias mittunt; multoque in rebus acerbis
Acrius advortunt animos ad religionem.
Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit, advorsisque in rebus noscere, quid sit:
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur; et eripitur persona, manet res.
Denique avarities et honorum cæca cupido,
Quæ miseros homines cogunt transcendere fineis
Juris; et interdum, socios scelerum atque ministros,
Nocteis atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes: hæc volnera vitæ
Non minumam partem mortis formidine aluntur.
Turpis enim ferme contemtus, et acris egestas,
Semota ab dulci vita stabilique videntur;
Et quasi jam leti portas conctarier ante.

illis deveneranda. *Wak.* — ***Parentant***, justa mortuis persolvunt. Igitur credunt animas post mortem pœnis affici apud inferos. *F.*

52. ***Nigras mactant pecudes.*** Sic Virg. Æn. V, 736, et VI, 243; Georg. IV, 547.

55. ***Quo magis***, etc. His 4 vss. concludit ex dictis supra, in rebus adversis potissimum homines esse agnoscendos. Tunc enim veras emittunt voces, remota omni calliditate. *F.*

56. ***Quid sit.*** Ita Pii quidam codices; quos, utpote elegantiorem lectionem exhibentes, viri docti sequuti sunt. Alii, « homines... qui sint ».

58. ***Eliciuntur.*** Livius XL, 23: « arcana ejus *elicuit* ». Male quidam, contra codices, *ejiciuntur*. — ***Persona***, tota externa species hominis, vel larva. Sic nostras *J. B. Rousseau* ad verbum, Od. II, 6: « Le masque tombe, l'homme reste ». Ed.

59. ***Denique avarities***, etc. His 28 vss. varia enumerat scelera, in quæ timor mortis miseros homines impellit. *F.*

62. ***Nocteis atque dies***, etc. Hic vs. positus fuit jam II, 12.

63. ***Volnera.*** Elegans translatio, quasi avaritia et honoris cupido vulnere corda feriat.

64. ***Minumam partem***, minima ex parte; confer VI, 1248.

65. ***Ferme.*** Ita passim loqui solent, quoties rem tantum non universalem diffidentius velint affirmare. Juven. XIII, 236. *W.* — Vulgo *fama et*, vel *famæ*. — Sed respondent optime locutiones ***turpis contemtus***, et forma simili ***acris egestas***. ***Acris*** autem pro ***acerbus***, ***asper***, ***tristis***, adeoque ***gravis*** passim usurpatur. *Wak.*

67. ***Conctarier***, cunctari, h. e. morari, stare. — Innuit egestatem, et vitam obscuram atque ignobilem morti proximas vulgo videri, quia jam a vitæ opibus et deliciis alienæ sunt. Dicit igitur eas ad letum vergere, et quasi in ultimo vitæ gradu sitas, ***primis in faucibus orci***

Unde homines, dum se, falso terrore coactei,
Effugisse volunt longe, longeque remosse,
Sanguine civili rem conflant, divitiasque
Conduplicant avidei, cædem cæde accumulantes:
Crudeles gaudent in tristi funere fratris,
Et consanguineum mensas odere timentque.
Consimili ratione, ab eodem sæpe timore
Macerat invidia : ante oculos ollum esse potentem,
Ollum adspectari, claro qui incedit honore;
Ipsei se in tenebris volvi cœnoque queruntur.
Intereunt partim statuarum et nominis ergo;
Et sæpe usque adeo, mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium, lucisque videndæ,
Ut sibi consciscant mœrenti pectore letum;
Oblitei fontem curarum hunc esse timorem;
Hunc vexare pudorem; hunc vincula amicitiai
Rumpere; et in summa pietatem evortere suadet:

(vide Virg. Æn. VI, 273, 276). Sic equidem locum intelligerem; Wak. autem vult hic describi hominem « manentem in dubio, an fortiter, nec ne, limen mortis semel irrumpat, et se proripiat e vita ». Quod minus placet. Ed.

68. *Unde homines*, etc. Quo fit ut, dum homines utramque hanc cupiditatem divitiarum et honorum satiare student, pars sanguine civium rem faciunt, opes parant, pars cæde parentum ad honores transcendunt. *F.*

72. *Gaudent.* Cf. Virg. G. II, 510.

73. *Consanguineum*, consanguineorum, eorum quibuscum sunt juncti sanguine epulas vitant, metu veneni.

75. *Macerat*, macrum facit. Ad rem conf. Horat. Epist. I, 2, 57.—*Invidia : ante*, etc. Supple: scilicet; invidia ex eo quod alius sit potens, et per ora hominum magnifice incedat, ut ait Sallust. Jug. 31; vel potius junge cum *queruntur*. Ed.

76. *Claro honore*, vestis purpureæ splendore. Hinc *regius honos* Virg. Æn. VII, fin. *W.*

77. *In tenebris*, in obscuritate, quæ ignobilium est conditio; Virg. Æn. II, 92. — *Volvi cœno*, in infima conditione, et quasi in luto.

78. *Ergo*, causa. Sic ap. Virg. Æn. VI, 670.

79. *Et sæpe*, etc. Hanc sententiam Lucretii multum illustrabunt, invicem collati, Ovid. Epist. X, 82; Claudian. in Ruf. II, 140; Plin. Epist. VI, 20, 14; Cæsar Bell. Gall. VII, 77; Dio Cass. fragm. 136, 4. *W.*

80. *Percipit*, capit; Plaut. Truc. II, 5, 14; Terent. Eun. V, 6, 2. — *Humanos*. Dictum pro *homines*.

82. *Hunc timorem*, mortis metum.

83. *Vexare*, violare. Id est, facere ut homines violent pudorem, etc.

84. *In summa*. Ut omnia *summatim*,

Nam jam sæpe homines patriam, carosque parenteis
Prodiderunt, vitare Acherusia templa petentes.
Nam veluti puerei trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt; sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ puerei in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque, necesse est,
Non radiei solis, neque lucida tela diei
Discutiant; sed Naturæ species, Ratioque.

Primum animum dico, mentem quem sæpe vocamus,
In quo consilium vitæ regimenque locatum est,
Esse hominis partem nihilo minus, ac manus et pes
Atque oculei partes animantis totius exstant.

Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt
Sensum animi certa non esse in parte locatum;
Verum habitum quemdam vitalem corporis esse,

et uno quasi verbo complectar. *W.* — *Evertere suadet.* Supple *hic timor,* mutata constructione; quo nihil optimis scriptoribus usitatius esse invenitur. *W.*

86. *Acherusia templa,* I, 121.

87. *Nam veluti puerei,* etc. Hi 7 vss. jam positi sunt II, 54, et iterum repetuntur VI, 35. Confirmat igitur vanum esse metum, quem de Diis, de Inferis, et de pœnis post mortem habent homines; præclaraque utitur comparatione. Quasi hunc animi terrorem hominibus incusserit rerum ignoratio. *F.* — Equidem, ut verum fatear, vix intelligo quomodo verba *nam veluti,* etc. cum præcedentibus apte cohæreant, et parum ad rem facere hanc comparationem arbitror. Quamobrem si quis codex addiceret, ut alieno loco positam, facile ablegarem. Ed.

94. *Primum animum,* etc. Disputaturus hoc toto libro de animi et animæ naturæ, his 43 vss. primum refutat veterum philosophorum opinionem, qui crediderunt animum nihil aliud esse, quam harmoniam; sive « ipsius corporis intentionem quamdam, velut in cantu et fidibus, quæ harmonia dicitur; sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri, tamquam in cantu sonos ». Cic. Tusc. I, 10. Noluit igitur Lucretius ex Epicuri doctrina animum esse harmoniam : sed ait æque totius animati partem esse, ac pes, manus, et oculi pars certa sunt corporis. Idque probat primum his 19 vss. infirmando comparationem, quam illi instituebant de animo cum valetudine. *F.*

96. *Nihilominus, ac manus et pes,* etc. Sentiebat Lucretius cum Epicuro animam corpoream esse; ac proinde partem hominis esse voluit. Vide ipsum Epicurum apud Diog. Laert. X, 63.

97. *Exstant.* Pro simplici *sunt.*

99. *Sensum animi,* animum. — *In parte* corporis humani.

Ἁρμονίαν Graiei quam dicunt; quod faciat nos
Vivere cum sensu, nulla quom in parte siet mens:
Ut bona sæpe valetudo quom dicitur esse
Corporis, et non est tamen hæc pars ulla valentis;
Sic animi sensum non certa parte reponunt:
Magnopere in quo mi divorsei errare videntur.
Sæpe itaque in promtu corpus, quod cernitur, ægrum;
Quom tamen ex alia lætamur parte latenti:
Et retro fit, ubi contra sit sæpe vicissim,
Quom miser ex animo lætatur corpore toto:
Non alio pacto, quam si, pes quom dolet ægri,
In nullo caput interea sit forte dolore.
Præterea, molli quom somno dedita membra,
Effusumque jacet sine sensu corpus onustum,
Est aliud tamen in nobis, quod tempore in ollo
Multimodis agitatur, et omneis accipit in se

101. Ἁρμονίαν. Hanc opinionem Nemesius De nat. hom. lib. II, late subtiliterque persequutus est, et acriter oppugnavit. *W.* — Vide Disq. var. — *Quod faciat*, quia, quoniam. Wak. ex uno Musæi Brit. codice legit *qui*, nempe habitus vitalis; reliqui omnes vulgatam tuentur; quos sequi tutius censeo. Ed.

102. *Vivere cum sensu.* Id est, vivere et sentire.

104. *Valentis.* Valetudo non est pars aliqua corporis valentis, sed ejus tantum habitus.

106. *Divorsei*, se divertentes, aliis aliorsum tendentibus; ad mediæ vocis Græcorum efficaciam. *W.*

107. *In promtu*, in aperto, manifesto, exteriori. Sic II, 148.—*Ægrum.* Omittitur verbum substantivum.

108. *Latenti*, ex alia parte, quæ latet: scil. animo. — Hoc autem fieri non potuit, si animus esset mera corporis harmonia: aliter enim eadem res doleret ac lætaretur uno atque eodem tempore; quod absurdum. *W.*

109. *Fit, ubi.* Est illud tempus in quo, vice versa, contrarium frequenter fiat. Sic Wakef. e multis codd. et edd. Forbiger autem, quum varietas fere nulla sit, retinuit Lamb. lect. *uti*, quæ formula Lucretio usitatissima est. Ed.

113. *Præterea, molli*, etc. Alterum argumentum probat ab exemplo animum non esse harmoniam; toto enim corpore sopito, quum nulla est membrorum intentio, nullus viscerum concentus, est aliquid in nobis, quod lætitiæ et curæ capax sit: illud autem nihil aliud esse potest, quam animus: igitur animus non est harmonia totius hominis, sed pars quædam illius. *F.*

114. *Onustum.* Suppl. vel cibo et potu; vel cura et labore; vel somno gravatum.

115. *Aliud*, ideoque non illud *corpus* quod somno degravatum jacet, et sensus expers. *W.*

Lætitiæ motus ac curas cordis inaneis.
Nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis
Esse, neque harmoniam corpus retinere solere;
Principio fit uti, detracto corpore multo,
Sæpe tamen nobis in membris vita moretur;
Atque eadem rursum, quom corpora pauca caloris
Diffugere, forasque per os est editus aer,
Deserit extemplo venas, atque ossa relinquit;
Noscere ut hinc possis, non æquas omnia parteis
Corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem:
Sed magis hæc, venti quæ sunt calidique vaporis
Semina, curare in membris ut vita moretur.
Est igitur calor ac ventus vitalis in ipso
Corpore, qui nobis moribundos deserit artus.
Quapropter, quoniam est animi natura reperta

118. *Nunc animam quoque*, etc. His 13 vss. probat animum non esse harmoniam. — Interpretes demiror qui opinati sint adhuc Lucretium de *animo* loqui. *Anima* est principium vitale, tam illud quo spiramus et movemur, quam illud quo cogitamus et gubernamur. Jam probavit *animum* non esse corporis harmoniam, pergit idem de *anima* probare. *W.*

119. *Harmoniam.* Wakef. legit *harmonia*, ut sensus sit: Non esse harmoniam istam, quam commenti sunt, per quam anima solet retinere corpus in vita. Et quidem nonnulli libri habent *harmonia corpus interire*, mendose; unde Wak. conjicit quoque *sentire*. Quidni vulgatam lect. retineamus? Ed.

120. *Principio fit uti*, etc. Detractis etiam non paucis corporis membris, anima restat in corpore: nec secedit extra corpus, nisi quum pauca semina seu paucæ atomi caloris et spiritus, quibus vita in corpore tota servatur, extra corpus per os, aut per aliam corporis viam diffugerunt. *F.*—Restat igitur, ut *anima* sit particula quædam auræ, vel vaporis, a membris ipsis prorsus aliena, et diversæ conformationis ac naturæ, alicubi corpore comprehensa. *W.*

122. *Eadem.* Suppl. vita, vs. 121.—*Corpora*, semina, particulæ.

125. *Non æquas omnia parteis*, etc. Non æquales animæ partes obtinere, inquit Lambinus; sed melius Fayus, quem sequuti sunt Creech. et Wak., intelligit omnes materiæ particulas, quæ per artus distribuuntur, non iisdem fungi muneribus aut vitam æqualiter sustinere. Ed.

129. *Calor ac ventus*, ignis et aer, quæ partes sunt ex quibus animam constare docet infra vs. 232 sqq.

130. *Qui deserit.* Rectum fuerat, *quod deserit.* Anima, quæ moribundos artus deserit, nihil est aliud quam *calor ac ventus*, id est, ventus calidus. *W.*

131. *Quapropter*, etc. His 6 vss. concludit hanc opinionem de harmonia procul esse removendam; docetque hoc vocabulum usurpatum ab illis veteribus philosophis, propter inopiam veræ vocis. *F.*

Atque animæ, quasi pars hominis; redde harmoniai
Nomen ab organico saltu delatum Heliconis;
Sive aliunde ipsei porro traxere, et in ollam
Transtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat:
Quidquid id est, habeant; tu cetera percipe dicta.
Nunc animum atque animam dico conjuncta teneri
Inter se, atque unam naturam conficere ex se;
Sed caput esse quasi, et dominari in corpore toto,
Consilium, quod nos animum mentemque vocamus:
Idque situm media regione in pectoris hæret.
Hic exsultat enim pavor ac metus; hæc loca circum

132. *Quasi pars.* Quoniam invenimus animum esse partem quamdam hominis, non vero ipsius corporis intentionem. Ed. —*Redde,* rejice, ablega (absoluto ferme sensu, ut *sanguinem reddere;* Plin. Ep. V, 19, 5), istud *harmoniæ* nomen, quod Philosophi ex *organico Heliconis saltu*, id est, ex arte musica, in Heliconis saltibus per Musas exculta, detulere. Vid. Disq. var. Ed.

134. *Aliunde,* ex alio loco, ex alio fonte. — *Ipsi.* Philosophi scil. et Græci potissimum quod fortasse indicat, præter ipsum *harmoniæ* nomen, facta hic Heliconis mentio. Ed. — *In ollam quæ res* Pro « in illam rem, quæ, etc. »

135. *Transtulerunt.* Penultima syllaba correpta; quod familiare est Lucretio. — *Nomine egebat.* Miratur hoc Faber, quia ante *harmoniam* usitata erant nomina θυμὸς, ψυχὴ, νοῦς. Sed recte notat Creech. hæc omnia esse scommatum plena, quod plane confirmat seq. versus. Ed.

136. *Quidquid id est, habeant.* Unde istam vocem transtulerunt, parvi est; recipiant iterum et fruantur. *Cr.* — *Cetera,* quæ dicturus sum.

137. *Nunc animum atque,* etc. His 25 vss. jam tria docet Lucretius, 1° animum et animam ita inter se esse conjuncta, ut unam per se naturam efficiant; 2° animum esse tamen quasi ducem, et dominum, ad cujus numen ipsa moveatur anima; 3° animum situm esse in una pectoris regione, hoc est, in corde: animam vero diffusam esse per totum corpus. *F.*

138. *Conficere.* Unam naturam animi atque animæ simul efficere, quasi junctis viribus. *Wak.*

139. *Caput,* partem principem.

140. *Consilium,* nostri pars rationalis, τὸ λογικόν.

141. *Regione in pectoris,* etc. Non unus Lucretius cum Epicuro sedem animi posuit in corde; posuerunt enim ibidem Empedocles, Parmenides, et Democritus. Aristoteles autem, Plato, Pythagoras, et Hippocrates eam animi partem, quæ rationalis est, in cerebro sitam esse voluerunt: quæ vero irascibilis pars est, eam quoque in corde positam esse censuerunt. *F.*

142. *Hic exsultat,* etc. His 2 vss. probat animi sedem esse in pectore, quia ibi motus lætitiæ et pavoris versantur et exsultant. — *Pavor.* Est trepidatio quædam; inter metum et lætitiam medium aliquid, et utrique affectui commune. Conf. Virgil. Georg. lib. III, 105. *Wak.*

Lætitiæ mulcent : hic ergo mens animusque est.
Cetera pars animæ, per totum dissita corpus,
Paret; et ad numen mentis momenque movetur.
Idque sibi solum per se sapit, et sibi gaudet,
Quom neque res animam, neque corpus commovet una.
Et, quasi quom caput aut oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, non omni concruciamur
Corpore; sic animus nonnunquam læditur ipse,
Lætitiaque viget, quom cetera pars animai
Per membra atque artus nulla novitate cietur.
Verum, ubi vehementi magis est commota metu mens,
Consentire animam totam per membra videmus
Sudoresque ita palloremque exsistere toto
Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri,

143. *Lætitiæ mulcent.* Scil. *nos*, vel *homines* circa pectus. Male igitur, si quid tamen aliud voluit, Creech. « eadem etiam regio gaudio mulcetur.» Cf. Plaut. Pseud. II, 4, 14. Ed.

144. *Cetera pars animæ.* Anima; sic vs. 151. His itaque 2 vss. ait animam ipsam per totum corpus esse diffusam, et ad nutum animi moveri. *F.*

145. *Numen.* Id est, nutum. — *Momen*, motum; II, 1170.

146. *Idque.* Suppl. consilium, v. 140. — *Et sibi gaudet.* Sola etiam mens per se gaudium percipit. — His autem 16 vss. reliquis docet animum et animam simul esse conjuncta, ita tamen ut animus lætitia metuve afficiatur aliquando, intacta et quieta anima : remque comparatione illustrat. Verum ubi metus animi ac lætitia major est, tunc et ipsa anima, metu pariter percutitur, aut lætitia exsultat. Cujus rei indicium sunt sudor et pallor, qui per totum corpus eunt; linguæ ac vocis debilitas; oculorum caligatio; tinnitus aurium, et cetera ejusmodi, quibus totum frangitur corpus, quod ab ipsa sic tangitur anima, quæ prius ab ipso pariter animo percussa fuit. Hinc animum et animam conjuncta simul esse contendit. *F.*

147. *Una*, simul, vel eodem tempore. Vulgo *ulla*, libris omnibus uno ore reclamantibus. *Wak.* — Forsan etiam, sed nolim contendere, intelligi possit *neque una res*, eodem sensu quo *ulla*; ne una quidem res. Gaudere per se potest animus, quum nihil omnino vel animam, vel corpus commovet. Ed.

148. *Quasi*, sicuti, quemadmodum. — *Tentante.* Cf. V, 347.

151. *Lætitiaque viget.* Vegetam vel validam et ingentem sentit lætitiam. *W.* — *Cetera pars*; vs. 144.

152. *Nulla novitate.* Nullo novo affectu, suppl. doloris aut lætitiæ, agitatur.

153. *Vehementi.* Alii legunt *vementi*; cf. II, 1024.

154. *Consentire*, pariter affici; simul pati.

156. *Infringi linguam.* Ita ut *integros* sonos expromere nequeat, sed tremulos *fractos*que. Cf. V, 231. *Wak.* —

Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus.
Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines : facile ut quivis hinc noscere possit,
Esse animam cum animo conjunctam; quæ, quom animi vi
Percussa est, exin corpus propellit et icit.

Hæc eadem ratio naturam animi atque animai
Corpoream docet esse : ubi enim propellere membra,
Corripere ex somno corpus, mutareque voltum,
Atque hominem totum regere ac vorsare videtur;
Quorum nil fieri sine tactu posse videmus,
Nec tactum porro sine corpore; nonne fatendum est,
Corporea natura animum constare animamque?

Præterea pariter fungi cum corpore, et una
Consentire animum nobis in corpore cernis.
Si minus offendit vitam vis horrida teli,
Ossibus ac nervis disclusis, intus adacta;

Aboriri. Ita affici ut *ortum* et egressum suum non expediat, sed oriens intercidat. Vox adhibita de imperfecto mulierum partu. *Wak.* — Varro L. L. IV, 10.

157. *Sonere.* Nonius, X, 4, amplam segetem exemplorum dabit, si hanc formam vocabuli confirmatam velis. *Wak.* — Quædam hic videntur hausta ex nobili illa Sapphus ode, quam Longinus servavit, et Catullus imitatus est.

158. *Concidere.* In terram prosterni terrore perculsos.

161. *Percussa.* Apud Nonium *perculsa;* non probo. Nempe animus *percutit* animam, et anima vicissim corpus percutit. *Wak.*

162. *Hæc eadem ratio*, etc. His 7 vss. docet ex superioribus dictis ac probatis animum et animam corporea constare natura; quia uterque percutiunt corpus, mutant vultum, e somno excitant corpus, regunt et versant totum hominem. Quod quidem fieri sine tactu non posse arguit : tactum vero sine corpore fieri non posse docuit I, 305. *F.*

163. *Corpoream.* Vide Epicurea apud Diog. Laert. X, 67; et cf. Plut. Plac. Phil. IV, 3. *Wak.*

165. *Videtur.* Hæc natura; id est, quum animus atque anima evidenter propellunt, etc. Ed.

166. *Videmus.* Respicit ea, quæ dudum disputavit ad I, 302 sqq.

169. *Præterea pariter*, etc. His 9 vss. alterum subjungit argumentum, quod animus et anima patiantur cum ipso corpore. Læso quippe corpore, ita ut mors non subsequatur, dolent animus pariter et anima. — *Fungi*, pati. Sic I, 444.

170. *Consentire;* vs. 154.

171. *Si minus offendit*, etc. Si telum impetu aliquo intus adactum discerpat nervos, et disjungat ossa, non vero ipsam vitam tollat. *Creech.* — *Offendit*, attingit, vel lædit.

172. *Disclusis;* via in corpus ita

At tamen insequitur languor, terræque petitus
Suavis, et in terra mentis qui gignitur æstus;
Interdumque quasi exsurgendi incerta voluntas.
Ergo corpoream naturam animi esse, necesse est;
Corporeis quoniam telis ictuque laborat.

Is tibi nunc animus quali sit corpore, et unde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.
Principio esse aio persubtilem, atque minutis
Perquam corporibus factum constare: id ita esse,
Hinc, licet advortas animum, ut pernoscere possis.

patefacta et ampliata, ut disrumpantur ossa cum nervis. *Wak.* — Alii negationem *minus* ad hæc quoque referri volunt, ut nervi non disrumpantur; sed male. Ed.

173. *Terræque petitus*, in terram casus; conf. I, 93. Et molli dictione usus est poeta, quia de leniore tantummodo sensuum stupore ac caligine loquitur ab ictu non admodum violento; qualis hominem potius confundat quam graviter lædat: ita stupefaciens animum ut solet vini vis. *Wak.*

174. *Suavis.* Verbis curiose lectis atque pensitatis poeta conatur ad vivum describere eam capitis vertiginem ex ictu leviore, haud prorsus insuavem sane, unde omnia circum videntur natare nobis, nec cum dolore tamen. *Wak.* — *Et in terra*, etc. Et fluctuatio illa mentis quæ oritur dum *in terra* jacemus. Ergo tres status in hac animi conturbatione Noster videtur distinguere, tres quasi deliquii gradus statuuntur; primo animi quædam debilitas et non injucunda terræ appetitio, antequam cadat corpus; dein quum jacet in terra, mentis abalienatæ tumultuosa fluctuatio; denique paulatim resipiscentis animi voluntas quasi incerta surgendi e terra. Optime igitur, nisi fallor, habet vulgata lectio *in terra;* quam frustra sollicitant. Vide Disq. var. ad vs. 171. Ed.

176. *Incerta;* quia nondum plane ad sese homo rediit.

177. *Corporeis*, quoniam languescit, et deliquium patitur ictu telorum, quæ sane corpora sunt.

178. *Is tibi nunc animus*, etc. His 54 vss. seqq. docet Poeta quibus et qualibus ex atomis natura animi atque animæ constet. Vult autem constare ex lævibus, tenuibus, et rotundis. Cujus rei rationem primam reddit his 31 vss. prioribus. Quippe quia animus mira mobilitate viget. Quæ vero mobilia sunt, ea constant ex atomis rotundis, tenuibus, ac lævibus. Sic v. g. aqua facile fluit, quia volubilibus constat atomis: contra vero, mel non nisi lente defluit, quia tardioribus et constantioribus fit ex atomis. Sic levis ventus ingentem granorum papaveris acervum facile disjicit, quia ejusmodi grana constant ex atomis lævibus et rotundis: contra vero lapidum acervus aut telorum vento disjici non potest, quia lapides et tela constant ex atomis ponderosis et asperis. *F.*

179. *Constiterit*, e quibus principiis componatur.

181. *Perquam*, maxime. Sic vss. 188, 205, et alibi passim. — *Corporibus*, atomis.

182. *Hinc, licet*, etc. Licet advertas animum ut possis hinc pernoscere id

Nil adeo fieri celeri ratione videtur,
Quam si mens fieri proponit, et inchoat ipsa.
Ocius ergo animus, quam res se perciet ulla,
Ante oculos quorum in promtu natura videtur.
At, quod mobile tantopere est, constare rotundis
Perquam seminibus debet, perquamque minutis;
Momine uti parvo possint impulsa moveri.
Namque movetur aqua, et tantillo momine flutat;
Quippe volubilibus parvisque creata figuris.
At contra mellis constantior est natura,
Et pigrei latices magis, et conctantior actus:
Hæret enim inter se magis omnis materiai
Copia; nimirum quia non tam lævibus exstat
Corporibus, neque tam subtilibus atque rotundis:

ita esse. Editt. aliæ non distingunt post *hinc;* male. *Wak.*

183. *Nil adeo*, etc. Nihil videmus alias tam celeriter fieri, quam fit id ipsum si mens ipsa faciendum præ se fert, et suscipit; id est, cogitando complectitur, et peragit. Sic, opinor, hujus loci ratio potest reddi. Quare minus probo Wakef. audaciam, contra omnes libros rescribentis *quam sibi*, hoc sensu: « nihil fit ope corporis tam celeriter quam mens *sibi* proponit faciendum ». Ed. — De animi *celeritate* locus Homeri insignis est, Odyss. H, 36; et Clarkius in hanc rem videndus. *Wak.*

185. *Ocius ergo animus*, etc. Non solus Lucretius cum Epicuro voluit animum esse mobilissimum et a se moveri: docuit enim id etiam Plato: docuerunt et Pythagorei, qui definiebant animum, « numerum seipsum moventem ». Aristoteles vero lib. I de Anim. negat animam ullatenus moveri, sed immobilem esse causam, cur corpus moveatur. *F.* — *Perciet*, movet, permovet.

186. *Quorum*. Sic plurimi codices, et vere, opinor. Redit nempe ad communem loquendi formam, habita præcedentis nominis *res* nulla ratione. *W.*— Ergo supplendum: Quam res ulla *inter omnia*, quorum natura in aperto est.

187. *Rotundis*. Epicurus apud Diog. Laert. X, 66, de mente ait, ἐξ ἀτόμων αὐτὴν συγκεῖσθαι λειοτάτων καὶ στρογγυλωτάτων.

189. *Momine;* II, 1170. Sic Ter. And. I, 6, 31 (vs. 266): « animus *paullo momento* huc vel illuc *impellitur* ». *W.*

190. *Tantillo momine flutat*, levi impulsu agitata fluctuat. Alii legunt *fluctat*, ut IV, 75; alii *fluitat*, quod perinde est.

191. *Figuris*, atomis. Sic II, 385, et alibi passim.

192. *Est natura*. Attende solertiam poetæ, dum mellis stabilitatem pondere numerorum spondæorum pingit. *Wak.*

193. *Latices*, mellis liquores; quos Virg. appellat *mella tenacia*, Georg. IV, 57.—*Conctantior*, tardior.—*Actus*, motus, fluxus. Metaphora ab iis quæ aguntur, et tarde eunt.

Namque papaveris, aura potest suspensa levisque
Cogere, ut ab summo tibi diffluat altus acervus;
At contra lapidum conjectum spicarumque
Nenu potest : igitur parvissima corpora pro quam
Et lævissima sunt, ita mobilitate fruuntur.
At contra, quæquomque magis cum pondere magno
Asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
Nunc igitur, quoniam est animi natura reperta
Mobilis egregie, perquam constare necesse est
Corporibus parvis, et lævibus atque rotundis :
Quæ tibi cognita res in multis, o bone ! rebus
Utilis invenietur, et opportuna cluebit.
Hæc quoque res etiam naturam dedicat ejus,
Quam tenui constet textura; quamque loco se
Contineat parvo, si possit conglomerari :

197. *Papaveris.* Alii *papaverum*, non elisa litera *m* ante vocalem sequentem. — *Aura suspensa.* Ventus leniter flans, et quasi per medium aera tantum spirans, facere potest ut altus papaveris seminum acervus corruat et disjiciatur.

198. *Ab summo*, ab imo, a fundo, usque ad fundum, funditus. *F.* — Vel *ab summo diffluat* dictum est ut apud Virg. Æn. II, 290 : « ruit *alto a* culmine Troja ». Ed.

199. *Conjectum*, congeriem, cumulum. — *Spicarumque.* Haud dubie vetus est verbi usus pro *hastarum* ; et altera lectio, *spiculorum* nempe vel *spiclorum*, pro interpretamento nostræ haberi debet. *Spicula* scilicet merum est diminutivum τοῦ *spica.* Vide Isid. XVII, 3 ; et XVIII, 8. Consule Gratii Cyneg. vs. 118 ; nec non Virgil. G. I, 292. *W.*

200. *Nenu.* Antiqua vox pro *non.* Sic IV, 714. — *Potest.* Suppl. cogere, ut diffluat. — *Pro quam*, prout ; quo magis lævia sunt. Alii legunt *perquam ;* alii *quarque ;* alii *quanto.* Cf. II, 1137.

203. *Eo*, ideo ; et sic forsan melius quam si jungas *eo magis ;* quod tamen ipsum ferri potest. Ed.

205. *Mobilis*, etc. Quoniam constat animum esse maxime mobilem, necesse est ut componatur e corporibus perquam parvis, etc. — *Egregie ;* I, 736.

207. *O bone.* Suppl. Memmi. — Sic Horat. Sat. II, 6, 51.

208. *Cluebit*, erit ; I, 120, 450, etc.

209. *Hæc quoque res etiam*, etc. His 23 vss. continetur alterum argumentum, quo probat Lucretius animum atque animam constare ex lævibus, tenuibus, ac rotundis atomis. Nimirum quia, quum e corpore egressa est anima, nihil tamen ponderis aut molis videtur deperiisse corpori : nihil corpus vitiari post mortem observamus quoad speciem ; vixque, nisi solo sensu, cadaver a corpore vivente distinguitur. Rem illustrat a simili. *F.* — *Dedicat.* Sic I, 368, 423.

210. *Tenui textura*, tenuissimarum atomorum contextu. *F.*

211. *Si possit conglomerari*, cogi in

Quod simul atque hominem leti secura quies est
Indepta, atque animi natura animæque recessit,
Nil ibi libatum de toto corpore cernas
Ad speciem, nihil ad pondus; mors omnia præstat,
Vitalem præter sensum, calidumque vaporem.
Ergo animam totam perparvis esse necesse est
Seminibus, nexam per venas, viscera, nervos:
Quatenus, omnis ubi e toto jam corpore cessit,
Extima membrorum circumcæsura tamen se
Incolumem præstat; nec defit ponderis hilum:
Quod genus est, Bacchi quom flos evanuit, aut quom
Spiritus unguenti suavis diffugit in auras;
Aut aliquo quom jam sucus de corpore cessit:
Nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quidquam.
Nimirum quia multa minutaque semina sucos

unam molem. — Loquutus est dubitanter, eo quod per omnes artus *anima* dispergitur, quamvis ea portio quæ melius vocatur *animus* in loco quodam sibi proprio dominetur. Vide vss. 137-144. *W.*

212. *Quod*, quoniam. Junge cum præcedd.

213. *Indepta*, assequuta, adepta.

214. *Libatum*, detractum, decerptum. Lamb. *limatum;* minus eleganter.

215. *Ad speciem*, ad formam exteriorem, ad superficiem. — *Præstat*, relinquit integra, exhibet, ostendit.

216. *Vitalem sensum.* Sic omnes libri; neque sollicitanda lectio est. Wak. tamen ex emendatione *ventum;* quod forsan melius congruit cum vss. 127, 129, 233, 234, 248. Quidni autem Noster dictionem variaverit? Ed.

218. *Nexam*, retentam, implexam, junctam.

219. *Quatenus*, quoniam, quippe.

220. *Extima circumcæsura.* Græce περιχοπή, extremitas, quasi summus cortex, circumtextura. Sic IV, 649; Plinius XVI, 79, 5. *F.* — Translatio videtur a figuris in cortice, instrumento quovis acuto *sectis. W.*

221. *Hilum.* I. e. minimum quid. Lucill. lib. XXX: « Quodque tuas laudes culpes, non proficis hilum ». *F.*—Infra vs. 513.

222. *Quod genus est*, cujus generis est, quale est, vs. 267, et alibi passim. *F.* — *Bacchi flos*, odor vini. Sic Plautus Cist. I, 2, 8, vocat vinum optimum « florem Liberi »; et in Casin. III, 5, 16. Sic Lucret. II, 848, « florem nardi », pro nardo suavissimo, dixit. *F.*

224. *Sucus;* II, 683.

225. *Res ipsa.* A qua flos iste, aut spiritus aut succus recessit.

227. *Quia multa.* Nisi vox ista *multa* sileat, vereor ne poeta sibi parum constare videatur: sint enim minuta semina, at *multa* detrahas, et moles et pondus

Efficiunt, et odorem in toto corpore rerum.
Quare etiam atque etiam mentis naturam animæque
Scire licet perquam pauxillis esse creatam
Seminibus; quoniam fugiens nil ponderis aufert.
Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est:
Tenuis enim quædam moribundos deserit aura,
Mixta vapore; vapos porro trahit aera secum:
Nec calor est quisquam, quoi non sit mixtus et aer.
Rara quod ejus enim constat natura, necesse est
Aeris inter eum primordia multa moveri.
Jam triplex animi est igitur natura reperta:
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum;
Nil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus, quædam quei mente volutant.
Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est

diminuetur: vide etiam vs. 279. *Creech.*

229. *Quare etiam atque etiam.* Jam maxime; jam certissime.

231. *Fugiens*, e corpore recedens, scil. animus et anima.

232. *Nec tamen hæc simplex*, etc. His 21 vss. seqq. docet non simplicem tamen esse naturam animi atque animæ, quantumvis tenuissimis constet atomis: sed quia moribundi postremo exspirant auram quamdam calore mixtam; calor vero comitem secum ducit aera; hinc animi atque animæ naturam constare voluit ex his tribus, vento, aere, et calore seu igne, atque ex quarta alia natura, quæ nominis expers sit. Scilicet, quia moribundi aut mortui potius nihil jam sentiunt, voluit etiam animam constare ex principio sentiendi, cum tribus illis, vento, aere, calore. *F.*

233. *Tenuis aura.* Cf. Virg. Æn. VI, 747 sqq. ubi ille *aurai simplicis ignem* memorat.

234. *Vapos*, calor. Alii *vapor*; minus bene, si vis auribus consuli.—Ceterum hoc Epicureorum dogma de animæ constitutione Plutarch. exhibuit in tractatu adv. Colotem; et Plac. Phil. IV, 3. *W.*

235. *Nec calor est quisquam*, nullus est vapor, seu calor, cui aer non immisceatur. *Creech.*

236. *Ejus*, caloris.

237. *Inter eum*, inter ejus partes. — *Moveri*, versari; pro simplici *esse*. Turnebus e conjectura *cieri*, contra omnes libros.

238. *Triplex*, e tribus rebus composita, ex aura, calore, et aere; nondum tamen vim sentiendi aut cogitandi sortitur. *Creech.*

240. *Recipit mens*, ratio nostra admittit.

241. *Quei mente volutant.* Admitti nequit hæc tria posse gignere motus sensiferos, qui consistunt in quibusdam volutandis per mentem. *W.* — Si vero legas *volutent*, sensus erit: Qui queant cogitare aliquid, ac mente volutare. Vide Disq. var.

242. *Quarta quoque ... nominis ex-*

Attribuatur : ea est omnino nominis expers :
Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius exstat,
Nec magis est parvis et lævibus ex elementis;
Sensiferos motus quæ didit prima per artus :
Prima cietur enim, parvis perfecta figuris;
Inde calor motus, et venti cæca potestas,
Accipit; inde aer : inde omnia mobilitantur :
Concutitur sanguis, tum viscera persentiscunt
Omnia; postremeis datur ossibus atque medulleis,
Sive voluptas est, sive est contrarius ardor.
Nec temere huc dolor usque potest penetrare, neque acre
Permanare malum, quin omnia perturbentur;
Usque adeo vitæ defit locus, atque animai
Diffugiunt partes per caulas corporis omneis!

pers. Sic Plutarch. Plac. IV, 3, testatur Epicurum docuisse, animum esse κρᾶμα ἐκ τεσσάρων, ... ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου, ὃ ἦν αὐτῷ αἰσθητικόν.

246. *Didit*, dividit, distribuit, differt, in omnes partes dispensat. Sic II, 1135, et inf. vs. 708; Virg. Æneid. VII, 144.

247. *Prima cietur.* Nam e minutis seminibus constans, prima movetur. *Cr.*

248. *Inde*, nempe ab ipsa hac quarta natura, motus suos accipiunt calor, aura et aer. — *Venti cæca potestas*, ventus, qui sub oculos non cadit. Sic I, 278, 296, et alibi passim. — *Venti*, nuper *auræ* dicti; ut aliquoties in hac doctrina enarranda pro *aere* invenimus *ventum;* nec mirum est scriptores fuisse in vocabulorum usu inconstantiores, qui notiones minime dilucidas ipsis impressas mentibus habuerint. Id quod hi veteres *auram* vocitabant, hodierni *æthera* nominarent. *Wak.*

249. *Mobilitantur.* Verbum non alibi invenio nisi apud Cæcilii Progamum in Nonio IV, 300. *W.*

250. *Persentiscunt*, sensum omnino accipiunt.

251. *Postremis.* Sic MSS. fere omnes elegantiore lectione; quam Wakef. in contextum revocavit, probante Forbigero. Vulgati autem dant *postremo*, e glossa.

252. *Ardor*, impetus, vel agitatio : jam vero contraria *voluptati* agitatio, necesse est *dolor* sit. Virg. Æn. IX, 66: « duris *dolor* ossibus *ardet* ». *W.*

253. *Nec temere huc dolor*, etc. His 6 vss. interim docet modum, quo dolorem sequitur mors, si medullitus penetret : secus vero salus, si desinat in summo corpore, nec intus permanet. *F.* — *Huc usque*, ad ossa et medullas. — *Temere.* Facile, vel fere semper, vulgo, (*en général*). Sic enim apud Plin. Nat. Hist. IX, 24, 3; XVI, 30, 2. Quintil. Inst. Or. I, 3, 3 : « Illud ingeniorum velut præcox genus *non temere* unquam pervenit ad frugem ». Ed.

256. *Per caulas corporis*, per poros, per meatus corporis. Sic II, 951, et passim.

Sed plerumque fit in summo quasi corpore finis
Motibus : hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc, ea quo pacto inter sese mixta, quibusque
Comta modis vigeant, rationem reddere aventem
Abstrahit invitum patrii sermonis egestas :
Sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam.
Inter enim cursant primordia principiorum
Motibus inter se, nihil ut secernier unum
Possit, nec spatio fieri divisa potestas;
Sed quasi multæ vis unius corporis exstant.
Quod genus, in quo vis animantum visere volgo,

258. *Motibus.* Suppl. doloris.

259. *Nunc, ea quo pacto,* etc. Hactenus de natura animi et animæ. Jam his 30 vss. seqq. explicaturus est modum, quo quatuor hæ naturæ coalescant in unam animam. Quanquam ait propter Latinæ linguæ egestatem modum hunc esse inexplicabilem : sed rem simili confirmat. Sicut enim, inquit, in uno et eodem corpore sapor, odor, et calor reperiuntur, sed qua ratione misceantur, non innotescit; ita ex aere, vento, calore, et vi sentiendi coalescit animi atque animæ natura : verum, quo pacto inter se misceantur, nos latet. Scilicet anima constat ex atomis adeo tenuibus, ut ejus natura non minus sensus nostros fugiat, quam vis ejusdem nos latet. *F.*

260. *Comta,* composita, perfecta, instructa, et adornata; I, 88, 949; IV, 31.

261. *Invitum,* cupientem ea brevitate atque perspicuitate ὀνοματοπεῖν, qua Græciæ ubertas pollet. *W.*—*Patrii sermonis,* Latinæ linguæ. Cf. I, 140.

263. *Inter enim cursant,* intercursant enim. Porro his 4 vss. rationem reddit hanc, cur modus, quo quatuor illæ naturæ in unam coalescunt animam, percipi non possit; nimirum, quia atomi, ex quibus quatuor illæ naturæ constant, adeo mobilitate vigent, ut præ jugi motu cunctæ confundantur, nec vis illarum secreta spatio aut tempore distingui possit. *F.* — *Primordia principiorum Motibus.* H. e. atomi mutuis motibus; seu aliæ aliarum motibus. *F.* — Vide in Disq. var.

265. *Fieri divisa.* Ordo est : Nec potestas eorum, per quam agunt scilicet, possit *fieri divisa* spatio, id est, separari, ita ut seorsim res proprias agant. *Wak.*

266. *Sed quasi,* etc. Ut sint quasi unum tantummodo corpus, multis potestatibus præditum ; ita conglobatim agunt atque socialiter ! *Wak.* — *Multæ vis.* Plurali numero; sic II, 587.

267. *Quod genus,* quale est, cujusmodi est, vs. 222; IV, 737. — *Visere.* Alii *viscere,* inepte. Alii *est visere,* cernere licet. Wak. verissimam structuram esse ait : « quod genus odor est in vulgo animantum, *quo vis* visere, id est, quemcumque animantem velis intueri ». Quæ structura mihi sane non satis expedita videtur; neque tamen habeo quod difficultatem solvat, nisi malis τὰ *visere vulgo* per parenthesim legere, addito vel subint. *est;* eam enim vocem quia statim iterabatur aut ipse auctor, aut librarii omittere potuerunt; sic saltem locus fo-

Est odor et quidam calor et sapor; et tamen ex his
Omnibus est unum perfectum corporis augmen.
Sic calor atque aer et venti cæca potestas
Mixta creant unam naturam, et mobilis olla
Vis, initum motus ab se quæ dividit olleis;
Sensifer unde oritur primum per viscera motus.
Nam penitus prorsum latet hæc natura, subestque;
Nec magis hac infra quidquam est in corpore nostro;
Atque anima est animæ proporro totius ipsa:
Quod genus, in nostris membris et corpore toto
Mixta latens animi vis est animæque potestas;
Corporibus quia de parvis paucisque creata est.
Sic tibi nominis hæc expers vis, facta minutis
Corporibus, latet; atque animæ quasi totius ipsa
Proporro est anima, et dominatur corpore toto.
Consimili ratione necesse est, ventus et aer
Et calor inter se vigeant commixta per artus;

ret planissimus: « quod genus est odor, et calor in quovis animantum, ut vulgo visere licet ». Videant docti. ED.

268. *Calor.* Alii *color*, probante Wak.

270. *Venti cæca potestas*; vs. 248.

271. *Mobilis olla vis.* Quarta illa natura nominis expers, quæ dat motus et sentiendi principium in animantibus. *F.*

272. *Initum*, initium; lib. I, 13, 384.

274. *Hæc natura.* Hæc quarta natura nominis expers. — *Subest*, inest latenter, nam non apparet, ut ait Servius ad Virg. Georg. II, 49.

275. *Magis infra*, magis absconditum, interius, magis latens, minus cognitum. *F.*

276. *Anima est animæ.* Nempe quasi exquisitior anima quædam atque penetralior : totius animæ essentia et flos. *W.* — *Proporro*, longe, prorsus, omnino; II, 979. — Vide Disq. var.

277. *Quod genus* (vs. 267), etc. Ut anima ipsa in toto prorsus latet, quamvis per omne corpus diffundatur, et ex effectibus ejus solummodo cognoscitur ac sentitur; *sic* nihil mirum, si subtilis animæ pars subtilissima penitus abscondatur. *Wak.*

278. *Mixta latens*, etc. Anima et animus intime collocantur et discerni nequeunt. *Creech.*

281. *Atque animæ quasi totius.* Recurre ad vs. 276.

283. *Consimili ratione*, etc. His 6 vss. posterioribus rationem reddit cur tres illæ priores naturæ, ventus, aer, et calor, subesse debeant quartæ naturæ, quæ nominis expers est; scilicet, ne calor, aut aer, aut ventus seorsum vigeat, officiatque sensibus, ac penitus eos interimat. Quarta quippe illa natura dominari debet, illisque tribus ex se dare motus sensiferos, ut dixit vs. 245 sqq. *F.*

Atque alicis aliud subsit magis, emineatque;
Ut quiddam fieri videatur ab omnibus unum:
Ne calor ac ventus seorsum, seorsumque potestas
Aeris interimant sensum, diductaque solvant.
Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira,
Quom fervescit; et ex oculis micat acribus ardor.
Est et frigida multa, comes formidinis, aura;
Qua ciet horrorem membris, et concitat artus.
Est etiam quoque pacati status aeris ille,
Pectore tranquillo fit qui voltuque sereno.
Sed calidi plus est ollis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facile effervescit in ira:
Quo genere in primis vis est violenta leonum,
Pectora quei fremitu rumpunt plerumque gementes;

285. *Subsit magis*, etc. Necesse est ex his aliud magis subsidat et infra sit, aliud vero dominetur, ita ut una quædam substantia ex iis omnibus creari videatur.

289. *Est etiam calor*, etc. His 35 vss. totus in id incumbit Lucretius, ut hæc tria, ventum, aerem, et calorem concurrere ad animæ concretionem evincat. Rem autem probat ex variis animantium passionibus, seu motibus, quibus in hunc vel in illum affectum procliviora videntur. Alia enim animalia prona sunt ad iram, quia calor in iis effervescit, quales sunt leones. Alia timida sunt, quia friget ac riget in iis aura seu ventus; quales sunt cervi. Alia placida sunt, quia tepet in iis aer; quales sunt boves. Sic par ratio contingere hominibus docet, ut alii effervescant in iram, quibus inest plus caloris: alii formidine teneantur, quibus inest plus venti: alii pacati sint, quibus inest plus aeris. Addit vero varios hominum mores, ac studia diversa, affectusve, oriri ex varia trium istarum naturarum contextura: quam tamen explicare non valet, quia latent ipsum tot nomina principiorum, quibus fiat. Verum hos proclives mores, hosque affectus perversos posse doctrina et sapientia minui quidem, ac levari, non autem penitus exstirpari ac tolli, censet. *Fayus.*

290. *Acribus.* Forbiger librorum lectionem *acrius* restituit; sed vulgatam, utpote magis elegantem, servare malui, quæ Virgilii auctoritate nititur, Æneid. XII, 102. Ed.

292. *Qua ciet*, per quam formido ciet; alii legunt *quæ ciet.* — *Concitat.* Sic omnes libri, quorum spreta auctoritate Wak. *concutit.* Sed bene ad sensum facit *concitat*, id est, simul movet, agitat. Sic apud Ovidium Epist. VII, 42: « concitat Eurus aquas »; Valer. Flacc. VI, 264: « concitat alas avis ». Ed.

293. *Etiam quoque.* Conf. V, 154. Plaut. Amph. prol. 30; Terent. Hec. IV, 1, 28 (vs. 543), al. *W.*

294. *Pectore tranquillo fit qui*, etc. Dictum videtur pro simplici: status ille quo fit pectus tranquillum, serenusque vultus. Ed.

298. *Pectora quei fremitu rumpunt.* Translate et poetice dictum.—Significat

Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
At ventosa magis cervorum frigida mens est,
Et gelidas citius per viscera concitat auras;
Quæ tremulum faciunt membris exsistere motum.
At natura boum placido magis aere vivit;
Nec minus irai fax nunquam subdita percit
Fumida, suffundens cæcæ caliginis umbram;
Nec gelidis torpet telis perfixa pavoris:
Inter utrasque sita est, cervos sævosque leones.
Sic hominum genus est; quamvis doctrina politos
Constituat pariter quosdam, tamen olla relinquit
Natura quojusque animi vestigia prima:
Nec radicitus evelli mala posse putandum est,

gemitus utique, vi furoris cogente, sponte erumpi subinde pectoribus leonum, se non amplius valentium continere. Conf. Virg. Æn. XII, 527. *Wak.*

299. *Irarum fluctus.* Sic Virg. Æn. IV, 532 : « magnoque irarum fluctuat æstu ».

300. *Ventosa*, ideoque fugax et rapida, ut *ventus*. *W.* — Virg. Æn. XI, 390 : « *ventosa* in lingua, pedibusque *fugacibus* istis ».

301. *Concitat auras.* Ventum frigidum, qui magis in ea abundat, per membra citius movet et suscitat. Quare non audiendus Wakef., quum edicit legendum, vel libris reclamantibus, *concipit*, id est, sumit; cf. v. 292. Ed.

303. *Aere vivit.* Boum animus plus tranquilli aeris continet.

304. *Percit*, concitat, excitat, accendit. Sic *perciet* vs. 185.

306. *Torpet perfixa.* Scilicet natura boum, quæ *sita est*, etc. — *Telis pavoris.* Wak. edidit *vaporis*, qui fumus est tenuissimus corporibus exhalatus; aitque Nostrum, ut in II, 844, habet *calidi vaporis*, hoc loco dixisse *gelidi vaporis*, et sic optime variare locutionem vs. 301. Mihi vero secus videtur; nam præter insolitam verborum junctura *gelidus vapor*, nusquam alias forsan occurrentem, voluit profecto poeta inter se opponere *iræ facem*, et *pavoris tela*: hinc *ira* accendit animum, illique fumum et caliginem offundit; inde *pavor* gelidis illum torpentem spiculis defigit. Quæ loci venustas isto *vapore* marcescit. Ed.

307. *Utrasque.* Scil. naturas; vel quia dixit *vis leonum* (vs. 297) et *mens cervorum* (300) ideo nunc dicit *utrasque*. Vulgo tamen, nec male, *utrosque*. Ed.

308. *Sic hominum genus*, etc. His 16 vss. posterioribus significat naturæ vitia in hominibus non posse quidem doctrina funditus exstirpari : ita tamen studio, doctrina, et diligentia minui ac levari posse, ut nihil vetet quominus homo sapiat, beate vivat, ac inter homines quasi quidam Deus esse videatur. *Lamb.*

310. *Natura.* Supple *in*, ut ap. Virg. Æn. IX, 390 : « qua te *regione* reliqui? » Sic omnes libri; editores tamen ex arbitrio *naturæ* reposuere. *Wak.* — *Vestigia prima.* Nempe hora natali impressa unicuique. *W.*

311. *Nec radicitus evelli mala.* Ne-

Quin proclivius hic iras decurrat ad acreis;
Ille metu citius paullo tentetur; at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo:
Inque aliis rebus multis differre necesse est
Naturas hominum varias moresque sequaceis;
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere causas,
Nec reperire figurarum tot nomina, quot sunt
Principieis, unde hæc oritur variantia rerum.
Illud in his rebus videor firmare potesse;
Usque adeo naturarum vestigia linqui
Parvola, quæ nequeat ratio depellere dictis;
Ut nihil impediat dignam Diis degere vitam.
Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni:

que credendum est vitia, quæ ex ipsis animi principiis oriuntur, ita radicitus exstirpari posse, ut jam non alius sit ad iram proclivior, alius ad pavorem, etc.

313. *Tentetur*, laboret, ut morbo. Vide sup. 148.

314. *Clementius æquo*, mitior et lenior quam par est.

315. *In aliis rebus*. H. e. in aliis studiis et affectibus.

316. *Sequaceis*, qui sequuntur cujusque naturam.

317. *Cæcas*, obscuras, non cognitas.

318. *Nec reperire*, etc. Nec invenire tot voces, quibus exprimam istas figuras, quot sunt diversæ seminum figuræ, e quibus oritur hæc morum diversitas. *Cr.* — *Figurarum*, atomorum, vs. 191.

319. *Variantia*, varietas, diversitas, differentia: I, 654.

320. *Firmare*. Illud affirmare et probare possum, scilicet, etc. Conf. Tacit. Ann. VI, 6. — Wak. e pluribus et castioribus, ut ait, exemplaribus recepit *formare*, « Id est, exprimere, et *figurare* nominibus ipsas figuras et naturas rerum; vs. 318. *Formare* valet hoc loco *expressum habere*, et per generalem veritatem, quæ sequitur, *signare* atque *effingere* ». Quæ mihi locutio dura et cum toto loco minus apte congruens videtur; quare vulgatam cum Forb. retinui. Ed.

321. *Naturarum*. Nempe caloris, aeris, et venti, ex quibus anima constat.

322. *Parvola*. Tam parva et tantillæ efficaciæ vestigia, quæ philosophia et humaniores literæ *dictis*, præceptis suis delere non possunt, relinqui, ut nihil obstet, etc. *Creech*.

323. *Dignam Diis*, beatam. Quippe quæ in animi tranquillitate potissimum consistat.

324. *Hæc igitur natura*, etc. His 14 vss. docet ex Epicuri mente corpus et animam inter se conjuncta esse, ut alterum ab altero sejunctum nec vivere, nec esse, nec sentire possit. Idque probat a simili, ut aiunt. Sicut enim, inquit, odor separari nequit a glebis seu granis turis, quin natura turis pereat: ita separari nequit anima a corpore, quin et corpus et anima simul intereant. *F.* — *Natura*. Animi scilicet, vel animæ, talibus principiis constantis. *W.* — *Tenetur corpore ab omni*. Quod sine corporis organis non valeat operari. Porro Epicurei volue-

Ipsaque corporis est custos, et causa salutis :
Nam communibus inter se radicibus hærent,
Nec sine pernicie divelli posse videntur.
Quod genus, e turis glebis evellere odorem
Haud facile est, quin intereat natura quoque ejus :
Sic animi atque animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile est, quin omnia dissoluantur;
Implexis ita principiis ab origine prima
Inter se fiunt consorti prædita vita :
Nec sibi quæque, sine alterius vi, posse videtur
Corporis atque animi, seorsum sentire potestas :
Sed communibus inter eos conflatur utrimque
Motibus accensus nobis per viscera sensus.
Præterea corpus per se nec gignitur unquam,
Nec crescit, neque post mortem durare videtur.
Non enim, ut humor aquæ, dimittit sæpe vaporem
Qui datus est, neque ea causa convellitur ipse,
Sed manet incolumis : non, inquam, sic animai

runt animas a corporibus teneri, eodem fere modo, quo aquam a vase. Vas enim, quia crassius, continet aquam, quæ tenuior est. Ita animam tenuioribus atomis, corpus vero crassioribus constare voluerunt. Vide infra vs. 441. *F.*

325. *Causa salutis*, facit ut vivat et vigeat.

328. *Quod genus;* v. 267. Exemplum velis? en turis glebam : odorem ab isto ture separa, et nec odor, neque tus integrum manebit : idem de animo et corpore sentiendum. *Crecch.*—Disseruit de hoc loco Beckmann. in libro : *Vorrath kleiner Anmerkungen*, etc. P. III, p. 569. *Forb.*

331. *Omnia.* Nempe et anima et animus et corpus : totum animal, totus homo.

332. *Implexis ita principiis.* Usque adeo, anima et corpus implicatis inter se atomis, communi vita, et eisdem quoque vicibus subjecta donantur! — *Ab origine prima*, a primo suo cœtu et conjunctione. *F.*

334. *Alterius;* corporis, aut animæ.

336. *Inter eos.* Locutionem mutat; modo enim præcessit *prædita*; I, 191.

337. *Accensus... sensus.* Sic II, 943.

338. *Præterea corpus*, etc. Neutram, corporis et animæ, naturam seorsum per se solam vitæ munera exercere posse demonstraturus Poeta exorditur ab ipso corpore; hisque 13 vss. declarat non posse corpus secretum ab anima, neque gigni, neque crescere, neque etiam post separationem animæ ab ipso diutius superstes esse, quin statim computrescat et resolvatur. *F.*

340. *Vaporem*, calorem, vs. 216. Calor addi potest aquæ, et auferri sine ipsius aquæ interitu; non item anima corpori adjungitur.

Discidium possunt artus perferre relictei;
Sed penitus pereunt convolsei, conque putrescunt.
Ex ineunte ævo sic corporis atque animai
Mutua vitaleis discunt contagia motus,
Maternis etiam membris, alvoque reposta;
Discidium ut nequeat fieri sine peste maloque:
Ut videas, quoniam conjuncta est causa salutis,
Conjunctam quoque naturam consistere eorum.
Quod superest, si quis corpus sentire refutat,
Atque animam credit, permixtam corpore toto,
Suscipere hunc motum, quem sensum nominitamus;
Vel manifestas res contra verasque repugnat.
Quid sit enim corpus sentire, quis afferet unquam,

343. *Relictei.* Suppl. ab anima.

344. *Convolsei*, separati ab ipsa anima. — *Conque putrescunt*, computrescuntque. Tmesis est.

346. *Discunt contagia.* Sensus est, ex contactu atque conjunctione similes affectus nancisci, ac motibus vitalibus corpus et animam similiter una fungi; ita ut indiscreti comites evadant, nec sint sine mutuo interitu dissolubiles. *W.*

347. *Alvoque reposta.* Lectionem hanc doctam minus quam *reposto* Wak. pronuntiat; sed rationem non affert. Intelligit igitur fetum, *qui repositus est* in alvo. At, ni fallor, τοῖς *alvo reposto* non multum etiam elegantiæ per se inest; quidni autem *contagia corporis et animæ reposta* poetice et docte dicantur pro: corpus et anima mutuo conjuncta, dum adhuc matris in utero reconduntur? Vide etiam in Disq. var. Ed.

349. *Ut videas*, etc. Ita ut, quum jam manifestum sit ea sine hominis interitu disjungi non posse, inde agnoscas eorum naturam non dissimilem esse. Ed.

351. *Quod superest*, etc. Nunc eorum opinionem impugnat qui corpori sensum negant, ejusque capacem tantummodo animam, per totum corpus diffusam, contendunt. Hoc autem argumentum in prioribus his 9 versibus proponit, pluribus mox stabiliendum. Vide autem quæ infra in Disq. var. de hoc loco disputantur. Ed. — *Refutat.* Contraria affirmando repugnat, vel contradicit. Alii *renutat*, quamvis universa librorum auctoritas constantissime prohibeat. *Wak.* — *Refutat*, non admittit, negat. Conf. Val. Flacc. VI, 123; Cic. pro Rab. 16. Nullibi tamen cum verbo adhibitum invenio. Ed.

353. *Suscipere*, in se recipere exercendum ac defungendum, ut « *munus suscipere* ». *Wak.*

355. *Quid sit enim*, etc. Quis enim nobis proferet, vel ostendet, quidnam aliud sit τὸ corpus sentire (vel sensus corporeus) præter illud quod nobis exhibet experientia? *Wak.* — Vult hic non opus esse argumentis ad rem demonstrandam; itaque sic interpretor: Quis unquam *afferet quid sit*, manifestum faciet, et explicatum dabit τὸ corpus sentire, si non illud *attulere*, manifestum fecere quæ nos experientia quotidie docet. Hanc veritatem non tam philosopho-

Si non ipsa palam quod res dedit, ac docuit nos?
At, dimissa anima, corpus caret undique sensu;
Perdit enim, quod non proprium fuit ejus in ævo;
Multaque præterea perdit, quom expellitur ævo.
Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,
Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
Difficile est, contra quom sensus ducat eorum;
Sensus enim trahit, atque acies detrudit ad ipsas:

rum ratio, quam ipsa res, ipse sensus demonstrant. Ed.

356. *Si non ipsa palam*, etc. Revocat nos poeta ad rem manifestam, qui sensus est ipse, quo nihil certius esse possit, ut ait I, 700. *F.*

357. *At, dimissa anima.* At, inquies, postquam anima e corpore abiit, statim corpus omnis sensus expers jacet. Ergo sola sensum recipit anima.

358. *Perdit enim.* Respondet poeta corpus quidem amittere cum vita sensum omnem; sed sensum non esse quid corpori proprium; verum corpori et animæ communem esse ait. *F.* — *In ævo*, in vita, dum vixit.

359. *Multaque præterea.* Neque ita afficitur tantummodo, quum mors obveniat, sed *multa perdit*, gradatim sentiendi vim amittit, dum anima *senectute* expellitur, vel ipsum corpus *senio* expugnatur. Sic vulgo interpretantur; sed malim: « quum *e vita* expellitur »; qui sensus melius cum præcedenti versu congruat, ut *in ævo*, et expellitur *ævo* inter se opponantur. Vide autem infra in Disq. var. Ed.

360. *Dicere porro oculos*, etc. His 11 vss. seqq. refutat sententiam eorum, qui non animam et corpus, sed animam solam sentire, videre, audire, etc. voluerunt. Epicharmi illud notum est: νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει, mens videt, mens audit. Sic apud Cic. Tusc. I. Poeta hanc opinionem refellit, 1° quia si oculi v. g. nobis essent in corpore solum ut fores perforatæ, per quas anima videret, sane splendor lucis non iis noceret; 2° quia si per oculos, tanquam per fenestras, mens videret, sane, demtis oculis, mens facilius et clarius cerneret res ipsas. Quod falsum esse vult Lucretius, quasi anima e corpore egressa nulla jam sit. *F.*

362. *Difficile est.* Res hæc est cujus probatio multum habet in se difficultatis, quamvis tam celebres philosophi hoc affirment. Editores tamen licet sensus adeo probabilis facilisque hinc exsurgat, de suo *desipere est* Lucretio obtrusere. *Wak.* — *Contra... ducat.* Id est, in contraria nos ducat; in diversam opinionem propellat ipse oculorum sensus. Lamb., libris omnibus reclamantibus, *contra dicat;* quem sequuti sunt editores, a Wakef. merito reprehensi. Possis etiam *ducat* per seq. versum ita interpretari, ut oculi non sint *fores*, sed contra ipsi *ducant animum*, quia cogunt se advertere et ad judicium *trahunt*. Sic autem vs. 363, quem omnes fere interpretes, invitis MSS, rejectum volunt, bene habebit. Ed.

363. *Detrudit* ideo dixit, quod ad ultimas extremitates corporis oculi jaceant. Sic interpretor: « Sensus quem habent oculi, rebus externis percussi, evocat animum ad eorum acies, ita ut consociatis animi et oculi viribus videndi facultas exoriatur ». *Wak.* — Nostras *La grange* vult hic Lucretium loqui de

Fulgida præsertim quom cernere sæpe nequimus,
Lumina luminibus quia nobis præpediuntur;
Quod foribus non fit: neque enim, qua cernimus ipsei,
Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.
Præterea, si pro foribus sunt lumina nostra,
Jam magis exemtis oculis debere videtur
Cernere res animus, sublatis postibus ipsis.
Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
Corporis atque animi primordia singula, priveis
Apposita, alternis variare ac nectere membra.
Nam quom multo sunt animai elementa minora,
Quam quibus et corpus nobis et viscera constant,
Tum numero quoque concedunt, et rara per artus

simulacris rerum, quæ sensus ipse haurit, et in oculi intima recondit. Ed.

364. *Præsertim.* Hinc inprimis liquet, oculos in exsequendo visu non agere nihil; nempe quod, etc. Cf. IV, vs. 325.

365. *Lumina.* Suppl. oculorum: i. e. oculi. Sic vs. 368. — *Luminibus*, luce, splendore nimio.

366. *Qua*, per quæ ostia.

367. *Laborem*, incommoditatem, dolorem; vide mox ad vs. 461. *Wak.*

368. *Si pro foribus*, etc. Contra has Lucretii rationes malignius insurgit animosa eloquentia Lactantii, in libro De opif. Dei c. 8. W.

370. *Sublatis postibus.* Quia tum *postes*, id est, ipsæ fores auferuntur. Quum autem Lactant. loco cit. Lucretii verba refutans dixerit *evulsas cum postibus fores*, Wakef. putat forsan construendum « foribus *sublatis* cum *postibus* ». Equidem dicto non paream. Ed.

371. *Illud in his rebus*, etc. His 26 vss. refutat pariter in his rebus Democriti sententiam. Voluit quippe hic singulas animæ atomos singulis totidem corporis atomis esse appositas: sicque animam et corpus alternatim per se mutuo sentire. Negat autem hunc nexum animæ et corporis Lucretius; quia, quum animæ rarior sit natura, quam corporis, tot in anima nequeunt inesse atomi, quot in corpore. Varias res in exemplum adducit, quibus singulas atomos animæ, singulis atomis corporis non nexas esse ostendit. *F.*

372. *Sancta viri.* Sententia Democriti, sancti viri. Exquisitior formula, Lucretio adamata; sic V, 621; conf. I, 120.

373. *Priveis.* Propriis quæque suis apposita. Sic post Bentl. et Preig. edidit Wak. Vulgo *primis*, nullo sensu. Ed.

374. *Nectere.* Ita sociare, ut communes motus habeant, et inter se conspirent. *Wak.*

376. *Quam quibus et.* Vulgo, *quam quibus e*, quam ea elementa ex quibus, etc. Sic correxerat Lambinus contra omnes libros; sine causa idonea.

377. *Concedunt*, pro simpl. *cedunt.*

Dissita sunt, dumtaxat ut hoc promittere possis,
Quantula prima queant, nobis injecta, ciere
Corpora sensiferos motus in corpore, tanta
Intervalla tenere exordia prima animai.
Nam neque pulveris interdum sentimus adhæsum
Corpore, nec membris incussam sidere cretam;
Nec nebulam noctu, neque aranei tenuia fila
Obvia sentimus, quando obretimur euntes;
Nec supera caput ejusdem cecidisse vietam
Vestem, nec plumas avium papposque volanteis,
Quei nimia levitate cadunt plerumque gravatim:
Nec repentis itum quojusvisquomque animantis
Sentimus; nec priva pedum vestigia quæque,

378. *Dumtaxat ut hoc.* Ut hoc tantummodo affirmare possis, esse scilicet quoddam intervallum inter animæ elementa, et externos motus corporis; non autem hoc alternum, et invicem cessans officium, quale Democritus animæ et corpori commentus est. Redi ad II, 931. *Wak.*

379. *Prima nobis injecta corpora.* Atomi ita se injicientes nobis et impingentes, ut motus sensiferos efficiant; animæ vi scilicet ad officium suum resuscitanda. *W.*

382. *Nam neque,* etc. Hinc probat quoddam temporis intervallum ante fieri post atomorum injectionem et impulsionem, quam mens cietur; quod aliquoties hæc vis atomorum tam levis sit, ut animam non valeat pertingere, sed inexcitam relinquat. *Wak.* — *Adhæsum*, adhæsionem.

383. *Cretam*, sordes alba, quæ cuti adhæret. Fucum intell. *Lagrange,* coll. Horat. Epod. XII, 10.

384. *Nebulam*, pruinam, aut rorem de nocte decidentem. — *Aranei.* Veteres grammatici: « *Araneum*, quod textum est; *aranea*, quæ texit ». Malim tamen per *aranei* etiam ipsum vermem intelligere. Servius ad Virg. Georg. IV, 246. *Wak.*

386. *Supera.* Sic antiqui sæpius protulere pro *supra.* — *Vietam*, languidam; putri mollitia præditam; caducam.

387. *Vestem*, vel pellem, quam præ vetustate induit interdum aranea; vel telam ejusdem, quæ cadit e laquearibus; vel potius corpusculum ejus arefactum. — *Pappos*, flores carduorum maturos, quos per aera volitantes fert aura. — Vide quanta orationis gravitate, ne dicam majestate rem vel levissimam, ac nihili prorsus describere doctus sit Lucretius noster. *Preig.*

388. *Nimia*, permagna. — *Cadunt gravatim*, ægre, difficulter; quasi motibus inepti.

389. *Itum*, incessum. Ammian. Marc. XXIII, 3: « *itum* felicem, reditumque gloriosum exoptans ».

390. *Priva;* vs. 373. Forbiger e quibusdam codd. recepit *prima*, vulgatam damnans, quod « culices et alia animalia polypoda non *singulis* pedibus ingredi soleant ». Quæ quidem ratio nihil ad rem facit; nam poeta dixit *priva*

Corpore quæ in nostro culices, et cetera ponunt.
Usque adeo prius est in nobis multa ciendum,
Quam primordia sentiscant concussa animai,
Semina, corporibus nostreis immixta per artus;
Et quam intervallis tantis tuditantia, possint
Concursare, coire, et dissultare vicissim.

Et magis est animus vitai claustra coercens,
Et dominantior ad vitam, quam vis animai.
Nam sine mente animoque nequit residere per artus
Temporis exiguam partem pars ulla animai;
Sed comes insequitur facul, et discedit in auras,
Et gelidos artus in leti frigore linquit.

quæque, id est, singula quæque vestigia pedum, quotcumque sint, unamquamque pedum impressionem. Planior sane est hæc lectio quam *prima*, ut explicat Wakefieldus: « non vi impressa, sed leviter solummodo in superficie posita ». Ed.

391. *Et cetera.* Suppl. ejusmodi animalia.

392. *Multa ciendum semina.* Multa primordia, e quibus membra corporum nostrorum componuntur, movenda esse. — Dicit necesse esse quoddam tempus prius elabi, quam semina in variis membrorum penetralibus dissita, possint coire, atque ad evocationem animæ moveri. *Wak.* — De constructione I, 111.

394. *Semina.* Hunc versum ante præeuntem, ex arbitrio, contra libros, editores audacissimi posuerunt. *Wak.*

395. *Tuditantia*, percutientia, tundentia; II, 1143.

397. *Et magis est animus*, etc. His 21 vss. asserit ex occasione Lucretius animo præcipuas in vita conservanda partes. Quamvis enim animi tenuiores atomos, quam animæ docuerit esse; tamen uni animo custodiam vitæ committere placuit. Scilicet quia docuit supra sedem animi in medio esse pectore, animam vero per totum corpus esse diffusam: hinc ab animo, quasi a fonte, vitam derivari voluit. Rem autem probat experientia, qua constat homines, quibus membra fere cæsa sunt ac truncata, vitam adhuc retinere, quum tamen pars animæ illorum resecta sit per laceros artus. *F.* — Vide in Disq. var. — *Vitai claustra.* Nexus dixit vs. 218, et nodos, II, 950. — *Est coercens*, coercet, tuetur.

398. *Dominantior.* Conf. vs. 139. — *Vis animai*, anima.

399. *Nam sine mente*, etc. Hæc ratio falsa est. Namque dementes et furiosi vivunt sine mente atque animo. *F.* — Ergo putandum est hic Lucretium non loqui de intelligendi facultate, aut *consilio* (vs. 140), quod in capite vulgo ponitur; sed potius de ipso agendi aut vivide sentiendi principio quod *media regione in pectoris* (vs. 141) residet. Ed.

400. *Exiguam partem.* Sic vs. 64.

401. *Facul.* Nos, favente diva Critice, archaismum recuperavimus. Festus: « *Facul* antiqui dicebant et *faculter* pro *facile* ». Vulgo *facile* editur. *Wak.* — *Discedit in auras.* Quippe etenim anima ex parte ventus est: vs. 233. *F.*

402. *Gelidos artus*, etc. Quia pariter anima ex parte calor est. *F.*

At manet in vita, quoi mens animusque remansit,
Quamvis est curtum cæsis lacer undique membris:
Truncus, ademta anima, circum, membrisque remotus,
Vivit et ætherias vitaleis suscipit auras;
Si non omnimodis, at magna parte, animai
Privatus, tamen in vita conctatur et hæret.
Ut lacerato oculo circum, si pupula mansit
Incolumis, stat cernundi vivata potestas;
Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem,
Et circumcidas aciem, solamque relinquas;
Id quoque enim sine pernicie non fiet eorum:
At si tantula pars oculi media illa peresa est,
Occidit extemplo lumen, tenebræque sequuntur:

404. *Curtum cæsis*, curte cæsis, vel decurtatis. Vulgo *circum cæsis*, sed meliorum librorum scriptura depravata sic nobis refingenda videbatur. *Wak.*

405. *Truncus*. Hicce versus est præcedentis epexegesis et amplificatio. Cf. Virgil. Æn. VI, 494. *Wak.* — *Ademta anima*. Quæ scilicet per omnes artus nunc truncatos diffundebatur, atque una cum illis excisa est. — *Remotus*. Vulgo *remotis*, ad vulgarem sermonis prosaici colorem. *Wak.*

409. *Ut lacerato oculo*. Rem exemplo illustrat. — *Pupula*. Pupilla, pars est oculi crystallina, quam sequitur vitreus humor introrsum: extrorsum vero aqueus. *Lamb.*

410. *Vivata*, vivida, vivax, acris, acuta: vs. 557.

411. *Dummodo ne totum*, etc. Locus obscurior; de quo plura interpretes, varie manuscriptorum lectionem sollicitantes. Wak. autem eam tuetur; sed interpretatione non satisfacit. Sic ille: « *Corrumpas* hic proprie *una rumpas*, dum rumpitur pupilla scilicet. — *Et*: repetita nimirum phrasi *dummodo*, et omissa negatione præcedentis versus. — *Id enim*, corruptio pupulæ, *quoque*, cum reliquo etiam oculo, *non fiet sine pernicie eorum*, amborum utique, tam pupulæ quam oculi ». Hæc vero mihi obscura quoque videntur, et minime Lambini objectionibus responsare (quas vide in Disq. var. ad vs. 413). Illud autem primo animadvertendum, τὰ *At si*, etc. vs. 414, opponi τοῖς *si pupula mansit incolumis*: deinde, tres versus interjectos *Dummodo ..... eorum*, nihil aliud quam explicare τὰ *lacerato oculo circum*. Quamobrem quasi per parenthesim legendi sunt; sed quo sensu? Forsan isto: « Dummodo laceratus quidem ille oculus, non *totus* tamen corrumpatur, *et non* ita circumcidatur ut omni humore oculi exhausto, sola et pæne abstracta pupilla relinquatur; nam sic *quoque* ea, licet incolumis, munus suum implere non posset. Ed.

414. *At si tantula pars*. At si media illa pars oculi, quæ tantula est.—*Peresa*, per abusionem pro *corrupta*, v. 411; vel *consumpta est* quovis demum casu. *Wak.*

415. *Tenebræque sequuntur*, etc. Hæ locutiones solem cadentem pulcherrime

Incolumis quamvis alioqui splendidus orbis.
Hoc anima atque animus junctei sunt fœdere semper.
Nunc age, nativos animantibus et mortaleis
Esse animos, animasque leveis, ut noscere possis;
Conquisita diu, dulcique reperta labore,
Digna tua pergam disponere carmina vita.
Tu face utrumque uno subjungas nomine eorum;
Atque animam, verbi causa, quom dicere pergam,
Mortalem esse docens, animum quoque dicere credas;
Qua tenus est unum inter se, conjunctaque res est.
Principio, quoniam tenuem constare minutis

respiciunt, quando rerum facies caligine involvitur. *Wak.*

416. *Orbis*, oculus, ob rotunditatem.

417. *Junctei*. Alii *vincti*. Sed *juncti* relinquendum esse in contextu censuimus, ob hanc scilicet causam quod Virgilius phrasin *jungo fœdere* persæpe adhibuerit, *fœdere* contra *vincio*, ne semel quidem. *Wak.*

418. *Nunc age*, etc. Ab hoc versu ad finem usque libri hujus, animæ humanæ mortalitatem pro viribus Memmio suo insinuaturus, Poeta præmonet his 8 vss. prioribus se nunc agere causam animæ et animi, atque ob eam rem indiscriminatim unius sub nomine alterum subintelligi debere toto disputationis excursu. Itaque et animum et animam nativos et mortales esse asserit. *F.* — *Nativos esse*. I. e. generari. Sic I, 755.

419. *Animasque leveis*. Animas, quæ facile dissolvi et interimi possint, quia constant ex levibus atomis. *F.*

420. *Dulcique reperta labore*. Sic II, 730.

421. *Tua vita*, moribus tuis, ac virtutibus, quem musa rebus omnibus ornatum in omni tempore voluit excellere. *Wak.* — *Disponere*, curiosa cum solertia studioque pensitato ponere; sic I, 47; ut poeta noster tam dispositione argumentorum, quam verborum numerorumque concinnitate se jactare intelligatur. *Wak.*

422. *Face;* II, 485. — *Nomine*. Alii legunt *nomen;* parum interest. — Tu rem utramque, *animum* et *animam*, sub uno nomine complectaris. *W.*

423. *Verbi causa*. Si phrasim interius attendas, est « ob vocis commoditatem ». *Wak.*

425. *Qua tenus*. Id est, qua via tenus, usque ad quam rem, mortalitatem scilicet, nihil discrepant animus et anima. Alii *qualinus*. Ea vocalis literæ mutatio ex solemni ortum habuit in compositis, postquam per pravam consuetudinem duo vocabula coaluissent. *W.*

426. *Principio, quoniam*, etc. His 20 vss. continetur primum argumentum, quo probat animam nativam esse et mortalem; illudque deducit ex eo, quod anima corporea sit corporeisque constans ex atomis, quæ quidem tenuiores sunt ac mobiliores, quam illæ, ex quibus constant aqua, fumus, et nebula; quum anima per somnum percellatur simulacris et imaginibus harum rerum, hoc est, aquæ, fumi, et nebulæ, quarum imaginum appulsus facit, ut res illas, quarum sunt imagines, per somnum cogitemus. Hinc arguit animam facilius

Corporibus docui, multoque minoribus esse
Principiis factam, quam liquidus humor aquai,
Aut nebula, aut fumus : nam longe mobilitate
Præstat, et a tenui causa magis icta movetur;
Quippe ubi imaginibus fumi nebulæque moventur :
Quod genus, in somnis sopitei, ubi cernimus alta
Exhalare vapore altaria, ferreque fumum :
Nam procul hæc dubio nobis simulacra genuntur :
Nunc igitur, quoniam, quassatis undique vasis,
Diffluere humorem, et laticem discedere cernis;
Et nebula ac fumus quoniam discedit in auras;
Crede animam quoque diffundi, multoque perire
Ocius, ac citius dissolvi in corpora prima,

dissolvi ac interire posse, quam fumum, aquam, aut nebulam, quasi res ea, quæ percutitur, facilius resolvi debeat, quam quæ percutit. *F.* — De orationis constructione vide not. ad 435, et confer quæ diximus ad I, 1082. Forsan e præcedentibus supplendum est : Principio dico *mortalem esse animum*, vel simile quidquam. Ed.

427. *Docui.* Supra vs. 162 sqq.

428. *Quam liquidus.* Supplendum *est;* quod vulgatæ edd. ad finem versus inserunt, contra libros.

429. *Nam longe*, etc. Hæc conclusio de tenuibus animi primordiis, *potestatem* potius argumentorum præcedentium a vs. 178 ad 231, quam *verba* respicit. *Wak.*

430. *Tenui causa.* Quippe quæ anima moveatur simulacris seu imaginibus aquæ, fumi, et nebulæ, dum has res cogitat mens per somnum. Ejusmodi enim rerum imagines tenuiores sunt, quam res ipsæ. *F.*

431. *Quippe ubi*, quippe quia, quoniam. — *Imaginibus*, simulacris. Epicurus enim neque quidquam cerni, neque etiam cogitari, aut somniari posse voluit sine imaginibus. Cic. I De finib. *F.* — *Moventur.* Sic Wak. edidit, sequente Forbigero, ut poeta lectionem variet, ne lector interea obliviscatur eum de *animo* et *anima* verba facere : vix tanti est. Ed.

432. *Quod genus.* Vide ad vs. 328.

433. *Exhalare vapore.* Ita scilicet intransitivis gaudet Lucretius; I, 398, 787, 1090. Conf. Virg. Georg. IV, 109; Æn. I, 417. *W.*

434. *Genuntur*, h. e. gignuntur. Alii *geruntur;* male. — Ut locus dilucidior fiat, Bentl. pro *hæc* legit *hinc*, ex imaginibus. Sed *hæc simulacra* intelligi potest : *hæc* rerum phantasmata in nobis excitantur, utpote *simulacra*, quatenus simulacra sunt. Ed.

435. *Nunc igitur*, etc. Superius illud *Principio quoniam*, vs. 426, non habet ἀνταπόδοσιν, et quia multa sunt interposita, sumit hic alterum orationis principium. *Lamb.* — *Quassatis*, disruptis; sed sensu secundario et consequente : « ita concussis ut diffringantur ». *W.*

437. *Et nebula*, etc. Et quoniam nebula, *discedit*, diverse fugit. Cf. Virg. Georg. IV, 499.

439. *Dissolvi in corpora;* I, 216.

Quom semel ex hominis membris ablata recessit.
Quippe etenim corpus, quod vas quasi constitit ejus,
Quam cohibere nequit, conquassatum ex aliqua re
Ac rarefactum, detracto sanguine veneis,
Aere quî credas posse hanc cohiberier ullo?
Corpore qui nostro rarus magis incohibessit?

Præterea gigni pariter cum corpore, et una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo puerei teneroque vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis:
Inde, ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoque majus, et auctior est animi vis:
Post, ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus;

441. *Vas.* Vide ad vs. 324 notam extr. VI, 17.

442. *Quam cohibere.* Ordo est: « Qui credas hanc *animam*, quam corpus conquassatum nequit cohibere, aere *tenuissimo* posse cohiberi? » Quæ constructio planior est atque expeditior. *W.*—Vulgo legitur *quum*, hoc sensu: Quippe, quum corpus ... aliquo impetu aut ictu labefactatum eam retinere ac cohibere non possit, quomodo putandum est eam cohiberi ac retineri posse, etc.

443. *Rarefactum.* Vult ideo animam e corpore diffluere, quia, quum venis detrahitur sanguis, jam minus densum fit corpus, et, ut rimosum vas, meatum elabenti præbet. Ed.

445. *Incohibessit.* Alii *hanc cohibescit;* alii *am cohibessit.* Quasi vox *am* antique pro *eam* dicta fuerit. — *Incohibessit.* Antiquarium pro *incohibeat*, in se cohibeat, vel contineat. — Quomodo aer corpore nostro rarior illam cohiberet?

446. *Præterea gigni*, etc. His 14 vss. continetur secundum argumentum adversus animæ immortalitatem. Nempe, quia vult Lucretius, ex Epicuri doctrina, sicut corpus in homine, ita animam generari, crescere, vigere, senescere, ac mori; quippe quia animus sequitur diversas hominis ætates. Verum, ut recte arguit Lactantius De div. præm. VII, 12, par non est utriusque ratio. *F.* — *Et una.* Wak. ex editione Veronensi *ut* correxit, quia concludere vult poeta ex notis ad ignotum; non male. Sed vulgata ferri potest; immo eam confirmat vs. 458; nam ibi dixit poeta *gigni videmus*, ut hic *sentimus*, et illud pro indubitato videtur habere atque in argumenti vicem ad probandam mortalitatem adhibere. Ed.

448. *Nam velut*, etc. Versus undequaque præcellentes; luculentissimis verbis, et numeris facillimis feliciter elaborati! *Wak.*

449. *Animi sententia*, vis ingenii, consilium. Conf. ad rem Terent. Hec. III, 1, 32 (vs. 312).

450. *Adolevit ætas.* Cf. locum Virgilii G. II, 362 sqq.

452. *Quassatum.* Cf. vs. 442.

453. *Ceciderunt*, a recto statu suo in terram declinantes. Sed venia poetarum usus, dictionem fortiorem posuit. *W.*

Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque:
Omnia deficiunt atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aeris auras:
Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Crescere, et, ut docui, simul ævo fessa fatisci.
Huc accedit, uti videamus, corpus ut ipsum
Suscipere immaneis morbos durumque laborem;
Sic animum curas acreis luctumque metumque:
Quare participem leti quoque convenit esse.
Quin etiam morbis in corporis avius errat
Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur:
Interdumque gravi lethargo fertur in altum
Æternumque soporem, oculis nutuque cadenti:

454. *Claudicat ingenium*, etc. Metaphoræ sunt speciosissimæ, a senili corpore desumptæ; cujus *vacillat* pes et gressus a recto tramite deflectit. *W.* — *Delirat lingua*. I. e. stulta et delira loquitur. Nonius Marc. I, 62 : « Delirare est de recto decedere; *lira* autem est fossa recta quæ contra agros tuendos ducitur ».

455. *Omnia*. Tum corporis, tum animi omnes facultates.

457. *Ceu fumus*. Supple *dissolvitur;* alii legendum censent *ceu fumum,* littera *m* in fine verbi non elisa; prius equidem malo, coll. vs. 428. Ed.

459. *Ut docui*, hoc ipso loco, vs. 446 sqq. — *Ævo fessa fatisci*, vi temporis, viribus exhausta, et labefactata, quasi rimas agere. Nam *fatiscere*, vel *fatisci*, valet in fissuras solvi. Editores *fatiscit*, rationem structuræ nescientes : *fessa* scilicet est quartus casus pluralis numeri, utramque vocem conjuncte respiciens, animam ac corpus. *Wak.*

460. *Huc accedit, uti*, etc. His 4 vss. continuatur alterum argumentum, ex eo quod sicut corpus, ita mens seu animus suis laboret morbis, nempe curis, luctu, metu, angoribus, etc. quæ omnia sunt æque causa mortis ac morbi corporis; conf. mox vs. 473. Quo pariter argumento usus est Panætius apud Cic. Tusc. I, 32; sed quod Cicero, ib. c. 33, refutat. *F.* — *Ut ipsum*. Alii *et;* alii *id:* quam varietatem peperit ignorata constructio verborum : « huc accedit, uti videamus animum suscipere curas sic, ut *videmus* corpus ipsum morbos ». *Wak.*

461. *Laborem*. Virg. Æn. VIII, 380.

464. *Quin etiam morbis*, etc. His 11 vss. continetur tertium argumentum, deductum pariter ex eo, quod non modo suis laboret morbis animus, sed et morbis corporis attingatur ac frangatur. *F.* — *Avius errat*, errat a via. Cic. Tusc. III, 3 : « animusque æger, ut ait Ennius, semper errat ».

466. *Lethargo*. Lethargus, morbus est, quem Celsus III, 20 vocat torporem et inexpugnabilem pæne somni necessitatem cum alienatione mentis. *F.*— *Altum soporem*. Cf. Virg. Æn. VIII, 27.

467. *Nutuque cadenti*, clausis oculis, et capite nutante. Val. Flaccus VI, 382.

Unde neque exaudit voces, nec noscere voltus
Ollorum potis est, ad vitam quei revocantes
Circumstant, lacrumis rorantes ora genasque.
Quare animum quoque dissolvi fateare, necesse est;
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.
Nam dolor ac morbus, leti fabricator uterque est;
Multorum exitio perdoctei quod sumus ante.
Denique, cor hominum quom vini vis penetravit
Acris, et in venas discessit diditus ardor;
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculei; clamor, singultus, jurgia gliscunt;
Et jam cetera de genere hoc, quæquomque sequuntur:

— *Nutu cadenti* dixit, ut I, 826, *sonitu sonanti*. Junt. habet *vultu* ex interpretamento.

469. *Ad vitam revocantes*. Clamore quippe et tactu revocari debent ad vitam, qui lethargo tenentur, ne sempiterno sopore obruantur. Alludit et ad veterum morem, qui moribundos aqua calida et clamoribus ad vitam revocare conabantur. Hinc apud Terent. in Eunuch. II, 3, 54 : « conclamatum est »; i. e. jam nihil vitæ corpus habet; mortuus est. *Lamb.* et *Fay.*

473. *Nam dolor*, etc. Eadem experientia, per quam discimus, animum non minus tentari atque affligi doloribus, quam morbis corpus, ostendit insuper ex his causis corpus interire: ideo consequitur animum æque interire, sua ægritudine pariter confectum. *Wak.*

475. *Denique cor hominum*, etc. His 11 vss. continetur quartum argumentum. — Ebrium in scenam producit, delirantem, clamantem, cœlum denique cum terra miscentem; cujus, ut neque manus neque pes, ita nec aures nec oculi, neque mens ipsa officium suum faciunt. Unde vero hæc omnia, nisi quod spiritus vini agiles et impetuosi per corpus omne diffusi turbant, agitant, et distrahunt animum? At quidquid imbelli vi turbari disjicique possit, idem vehementiori impetu corrumperetur. *Creech.* — *Vini vis penetravit*. Cf. Homer. Od. IX, 362. *W.*

476. *Diditus*, divisus, dispersus, vs. 246.

477. *Gravitas*. Quasi pondus illis accesserit, quo tardatur motus. Cf. Ovid. Met. II, 821.

478. *Crura vacillanti*. Duorum codicum scriptores ita puncta loci disposuerunt, *crura : vacillanti tardescit*, etc. Non illepide, nam lexicographi ex Digest. XXII, 5 proferunt *vacillans testis* pro *blæso*. Pulchram igitur hac lege societatem verba *tardescit* et *vacillanti* iniverint, significantia non *tarde* tantum, sed *singultim* etiam loquentem. Nolui tamen planiorem viam linquere. *Wak.*— Cf. etiam ad vs. 454.—*Madet mens*. Et non *corpus* tantum. *W.*

479. *Nant oculei*. Præ caligine ita trepidant et instabiles sunt, ut omnia nare videantur; quo modo fit quoque morientibus. Virgil. G. IV, 496; Æn. V, 856.

Quur ea sunt, nisi quod vehemens violentia viri
Conturbare animam consuevit corpore in ipso?
At quæquomque queunt conturbari inque pediri,
Significant, paullo si durior insinuarit
Causa, fore ut pereant, ævo privata futuro.
Quin etiam subito, vi morbi sæpe coactus,
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,
Concidit, et spumas agit; ingemit, et tremit artus;
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat
Inconstanter, et in jactando membra fatigat.
Nimirum, quia vis morbi, distracta per artus,
Turbat agens animam, spumanti ut in æquore salso
Ventorum validis fervescunt viribus undæ.
Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore

481. *Viri.* Conf. II, 476. — Sic Pius solus; reliqui omnes *vini*. Sed non erat scribarum tam feliciter aberrare; conf. insuper vs. 500. *W.* — Forbig. tamen retinuit vulgatam.

483. *Inque pediri*, impedirique. — Similiter disputat Arnob. I, p. 11. *W.*

484. *Insinuarit.* Suppl. se : i. e. intraverit, subierit. Virg. Æn. II, 229.

486. *Quin etiam subito, vi*, etc. His 23 vss. continetur quintum argumentum. Nimirum quia in morbo comitiali ac epileptico, sicut corpus vi morbi distractum torquetur, ac laborat, ita animus turbatus desipit ac jactatur. *F.*

488. *Concidit*, etc. Plura ex hoc loco in usum suum vertit Virg. ad G. III, 84 et 516 sqq.

490. *Desipit*, delirat. — *Extentat*, valde tendit. — *Anhelat inconstanter.* Non uno tenore, sed identidem et post interjectum temporis anhelat. *Wak.* — Vide Disq. var. — Loco lucem injiciet Celsus, Med. III, 23.

491. *Nimirum quia*, etc. Wak. legit *qua*, id est, « qua via morbus utique se diversimode propaget, nunc hic, nunc illic sæviens ». Vulgatam lectionem cum Forb. sequimur, quæ videtur planior; sic vs. 498. Ed.

492. *Spumanti ut*, etc. Locum varia lectione corruptum (vide Disq. var.) aliter constituit Wak. legens *spumantis in*, hoc sensu : « *fervescunt* qui comitiali morbo sunt correpti, *in æquore salso*, in superficie, *undæ spumantis validis*, etc. » omisso *ut* vel *quasi*, ad morem animosorum scriptorum, translationem subitaneam similitudini dispositæ præferentium. Sic ille; cui vix in hac tantum ultima explicationis parte assentior : sed cætera si admittas, nescio quid duri et contorti habent verba. Melius forsan post *spumantis* transferretur distinctio, ut sit sensus : « Etenim, quia vis morbi agitat et conturbat hominis hujus *spumantis animam*, ideo *tempestas* fervescit? » Vel potius *undæ*, furores et conturbatio, hominis *spumantis* fervescunt *in æquore*, id est, velut aliæ undarum spumæ in ipso mari validis ventorum viribus excitantur. Nodum contrahit varietas lectionum τοῦ *spumantis*. Nostra autem lectio plana est. Ed.

Afficiuntur, et omnino quod semina vocis
Eliciuntur, et ore foras glomerata feruntur,
Qua quasi consuerunt, et sunt munita viai.
Desipientia fit, quia vis animi atque animai
Conturbatur, et, ut docui, divisa seorsum
Disjectatur, eodem ollo distracta veneno.
Inde, ubi jam morbi reflexit causa, reditque
In latebras acer corrupti corporis humor;
Tum, quasi vacillans, primum consurgit, et omneis
Paullatim redit in sensus, animamque receptat.
Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipso
Jactentur, miserisque modis distracta laborent;
Quur eadem credis, sine corpore, in aere aperto,
Cum validis ventis ætatem degere posse?
Et quoniam mentem sanari, corpus ut ægrum,

495. *Semina vocis*, atomi, quibus vox efficitur.

496. *Eliciuntur*. Conf. vs. 58.—*Glomerata*, agmine condensato, violenter et confertim : cui contraria nempe forent, articulatim et distincte. *Wak.*

497. *Qua quasi*, etc. Indicat rationem, ac viam, qua vox emittitur, et qua solent illa vocis semina exire. *F.* — Ita locum capias : Eliciuntur *quasi*, non aliter ac, *qua consuerunt*, ubi vulgo egredi solent et ubi sunt *munita viai*, id est, labia. Nam *munita viai* (I, 87, 316) Homeri ἔρκος ὀδόντων esse recte viderunt interpretes. *Forb.*—Vide Disq. var.

498. *Quia*. Sic vulgo. Wak. *qua;* sed ea vox jam in præcedente versu occurrit, et Lucretio admodum placent argumentationis verba, *quia*, *quoniam*, etc. Ed.

499. *Ut docui;* vs. 491.

500. *Veneno*, vi morbi subita, vs. 486, vel atro corporis corrupti humore, vs. 520. — Cf. etiam vs. 481.

501. *Reflexit*, e venis recessit. His intransitivis nemo libentius Nostro usus est. Haud aliter Virgil. Æn. IX, 372. Alii *se flexit*, contra vetusta exemplaria.

502. *In latebras*, in propria sua vasa redit maligna materia, in qua situs est hic morbus. *Creech.*

503. *Quasi vacillans*. Prima verbi syllaba producitur; quo more sæpius Noster, quasi per duplicationem *vaccillans*, vel potius poetica licentia; cf. I, 454, 715, etc. Ed. — Nonius in I, 148: « *vacillare* est trepidare, vel cum lassitudine niti ». — *Consurgit*. Dictio est tardis motibus passim dicata. Virg. Æn. VIII, 457. *Wak.*

504. *Redit in sensus*. Poetica conversione, pro *sensus in illum redit*. Ovid. Met. III, 631. W.

505. *Hæc igitur*, nempe animus et anima (vs. 498).

507. *Sine corpore, in aere aperto*. Qui fieri possit ut anima, jam non corporis munimine defensa, pergat vivere in aere aperto, et duret, vi procellarum assidue quassata? Ed.

509. *Et quoniam mentem*, etc. His

Cernimus, et flecti medicina posse videmus;
Id quoque præsagit mortalem vivere mentem.
Addere enim parteis, aut ordine trajicere, æquum est,
Aut aliquid prorsum de summa detrahere hilum,
Commutare animum quiquomque adoritur, et infit;
Aut aliam quamvis naturam flectere quærit.
At neque transferri sibi parteis, nec tribui volt,
Immortale quod est, quidquam; neque defluere hilum.
Nam quodquomque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Ergo animus, sive ægrescit, mortalia signa
Mittit, ut edocui; seu flectitur a medicina:
Usque adeo falsæ rationis vera videtur
Res occurrere, et effugium præcludere eunti;
Ancipitique refutatu convincere falsum.

16 vss. continetur sextum argumentum. Nimirum, quia mens æque ac corpus ægrum curari potest ac medicina flecti, ideo mortalem illam esse vult. *F.*

510. *Flecti medicina*, curari remediis (ut puta helleboro), sanari, restaurari, mutari. Sic vss. 515, 521. *F.*

511. *Præsagit*, præsignificat, prænotat.

512. *Ordine trajicere æquum est.* Ideo fit aliqua in animo mutatio; ergo adduntur novæ partes, detrahuntur aliquæ, aut alio ordine particulæ animi collocantur. *Cr.*

513. *Aliquid hilum.* Sic vetusta exemplaria; et hic merito in editores invehitur Wak. qui scribant, *aliud ... hilum.* Conf. vs. 517. — *Hilum*, breve quoddam, ait Nonius, II, 402. Festus: « *hilum* putant esse quod grano fabæ adhæret; ex quo *nihil*, et *nihilum*. W.

514. *Adoritur, et infit*, aggreditur et incipit. Sic V, 1207. — Vel per hendyadyn pro *incipit adoriri*. In hoc significatu sæpius apud Virgil. et alios.

515. *Naturam*, rem.—*Flectere*, mutare, restaurare, sanare: vs. 510.

517. *Defluere*, decedere, detrahi. Alii *diffluere*; minus proprie.—*Hilum*. Vide ad vs. 513.

518. *Nam quodquomque*, etc. Hi vss. positi sunt I, 671, 792.

520. *Mortalia signa*, mortalitatis suæ indicia.

521. *Ut edocui*. A vs. 418. Alii legunt *uti docui*.

522. *Falsæ*. Suppl. rationi illorum, qui credunt animas esse immortales. — *Rationis*. Sic omnes ad unum libri; vulgatum *rationi* correctoribus attribuendum. *Rationis vera res* formula est, Lucretio passim frequentata, pro *res veræ rationis*, vide ad I, 475. Certe, structura vulgatorum tritior; sed colores orationis Lucretianæ proprii fuco adventitio neutiquam obducendi sunt. *Wak.*

523. *Effugium præcludere*, effugiendi viam intercludere. Sic I, 974.

524. *Ancipitique refutatu*, refutatione duplici, h. e. quæ in utramque partem

Denique sæpe hominem paullatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere sensum.
In pedibus primum digitos livescere et ungueis;
Inde pedes et crura mori: post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia leti.
Scinditur atque animo hæc quoniam natura, nec uno
Tempore sincera exsistit, mortalis habenda est.
Quod si forte putas ipsam se posse per artus
Introrsum trahere, et parteis conducere in unum,
Atque ideo cunctis sensum deducere membris;
At locus ille tamen, quo copia tanta animai
Cogitur, in sensu debet majore videri:

valeat, sive hoc, sive illud dicas. Tralatio ducta ab ense ancipiti. *Lamb.*

525. *Denique, sæpe hominem*, etc. His 22 vss. continetur septimum argumentum; scilicet, quia homo membratim mori videtur; primum enim pedes, deinde crura frigescunt, ac livescunt, postea reliquæ corporis partes sensum omnem vitæ amittere vulgo videntur: igitur et ipsa anima particulatim etiam mori debet divulsa per singulos artus. Neque enim introrsum sese recipere ac contrahere credibile est. Alias in ea parte, in quam glomeraretur, major appareret vitæ sensus; quod tamen vulgo fieri non videmus. *F.* — *Ire*, abire, mori. II, 962.

526. *Membratim.* Sic vs. 593. — Et lector animadvertat solertiam atque artificium poetæ, ope numerorum, articulatim incisorum, ipsam rem felicissime designantis. *Wak.*

527. *Livescere.* Hæc vocis forma in sensu proprio minime protrita est. Martial. VIII, 51, 3. *Wak.*

528. *Post inde.* Prior vox ad successionem temporis referri debet; posterior ad progressionem serpentis mali. *Wak.* — Compares sup. 293, *etiam quoque*, et similia. *F.*

529. *Tractim*, lente, *sese trahendo* per omnes quæ interponuntur partes; vel, ut notat glossarium vetus, jugiter, continuatim. *Wak.* — Recte; confer lib. VI, vs. 118. *Forb.*

530. *Scinditur atque.* Editi ex arbitrio, *atqui;* multi quoque legunt *animæ natura.* Si quidquam mutandum foret, ego malim *scinditur æque*, hoc sensu: « quoniam *hæc natura*, hæ partes vitæ, simul et *æque* cum corporis natura *animo* paullatim et membratim detrahitur, neque *uno tempore*, uno temporis momento, vel illo ipso et eodem tempore, integra et incolumis remanet, etc. » Nihil autem muto, nam *atque* idem fere valet, hunc vs. cum præcedentibus conferens. Facile etiam omitterem τὸ *hæc*, quod multi codd. ignorant. Ed.

531. *Sincera.* Cf. vs. 717. Val. Max. II, 6, 8: « cum summa animi et corporis sinceritate ». *Wak.*

533. *Trahere*, se retrahere, et *partes* suas per omne corpus distentas in unum locum contrahere.

534. *Ideo.* Alii *adeo.*

535. *Copia animai*, cœtus atomorum ipsius animæ.

536. *In sensu majore*, majori sensu præditus.

Qui quoniam nusquam est, nimirum, ut diximus ante,
Dilaniata foras dispergitur. Interit ergo.
Quin etiam, si jam lubeat concedere falsum,
Et dare, posse animam glomerari in corpore eorum,
Lumina quei linquunt moribundei particulatim;
Mortalem tamen esse animam fateare necesse est:
Nec refert, utrum pereat dispersa per auras,
An contracta suis e partibus obbrutescat;
Quando hominem totum magis ac magis undique sensus
Deficit; et vitæ minus et minus undique restat.
Et quoniam mens est hominis pars una, locoque
Fixa manet certo; velut aures atque oculei sunt,
Atque aliei sensus, quei vitam quomque gubernant:
Et veluti manus atque oculus naresve seorsum,
Secreta ab nobis, nequeunt sentire, neque esse;
Sed tamen in parvo linquuntur tempore tabi:

537. *Qui*, talis nempe locus. — *Ut diximus ante.* Vs. 530.

539. *Lubeat.* Vulgo *libeat;* sed nos antiquos sequimur. *Wak.* — *Falsum.* Si quod falsum est tanquam verum admittamus. *Creech.*

541. *Lumina quei linquunt,* qui moriuntur; V, 987. — *Particulatim.* Cf. vs. 525 sqq.

544. *Suis e partibus*, quas utique proprias dispersa dudum occupabat. *W.* — *Obbrutescat.* Festus: « *obbrutuit*, obstupuit : a *bruto*, quod antiqui pro gravi, interdum pro stupido dixerunt ». Hic dictum pro : torpescat, sensum omnem amittat, ideoque exsistere desinat.

545. *Magis ac magis*, et in vs. seq. *minus et minus.* Hæ formulæ suavissimam rei ipsius evidentiam præ se ferunt. *W.*

547. *Et quoniam mens est*, etc. His 10 vs. continetur octavum argumentum, nimirum, quia mens est æque pars hominis ac pedes, manus, brachia, caput, etc. ideo, sicut pedes, manus, brachia privantur omni sensu vitæ, dum a toto corpore resecantur, ita anima debet privari omni vitali sensu, dum a corpore divellitur. *F.*

548. *Fixa manet certo*, nimirum in pectore, ut docuit vs. 141.

549. *Quei vitam quomque*, quicumque regunt et tuentur animal.

551. *Secreta ab nobis.* Neutrum genus, diversi generis substantiva complectens; sic vs. 505, et I, 867. *W.*

552. *Sed tamen*, etc. De hoc versu vide Disq. varias. Libros omnes sequutus sum, nisi quod ex emendatione Vossiana *tabi* pro *tali* recepi, non ausus ultra procedere. Verborum igitur, utut se habent, interpretationem sic constituere posse videor : « Sed tandem in parvo tempore (V, 107) *linquuntur tabi*, corruptioni dantur absumenda ». *Tamen* pro *tandem* volunt dici Propertio II, 4, 10; Ovid. Met. II, 337; Val. Flacc. VI,

Sic animus per se non quit sine corpore et ipso
Esse homine, illius quasi quod vas esse videtur,
Sive aliud quid vis potius connexius ei
Fingere; quandoquidem connexu corpus adhæret.
Denique corporis atque animi vivata potestas,
Inter se conjuncta, valent, vitaque fruuntur:
Nec sine corpore enim vitaleis edere motus
Sola potest animi per se natura; nec autem
Cassum anima corpus durare, et sensibus uti.
Scilicet, avolsus radicibus ut nequit ullam
Dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto,
Sic anima atque animus per se nil posse videtur:

385; vide Nonium IV, 454, qui etiam *tamen* pro *statim* sumi asserit. Insuper cf. Catull. Carm. LXIV, 59, « *linquens* promissa *procellæ* ». Ed.

553. *Sine corpore et ipso homine.* Per hendyadyn poni videtur pro *corpore ipsius hominis*, quod est quasi vas. Aliter structura non procedit. *W.*

554. *Vas esse videtur.* Sic vs. 441. Sic Cic. Tusc. I, 22 : « Nosce animum tuum ; nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum ». *F.*

555. *Quid vis potius.* Aut si quid aliud vis fingere illi magis conjunctum. Male igitur critici legunt *potis es*, contra codices plerosque ; nec melius dant *conjunctius* pro *connexius ;* quam lectionem tuetur repetitio *connexu.* Ed.

556. *Connexu corpus adhæret*, scil. animo : Durius enim construuntur : animus hæret ad corpus, eique connectitur. Alii legunt *connexus corpori adhæret*, sine libris. Cf. autem quæ Noster sup. vs. 218 sqq.

557. *Denique corporis*, etc. His 22 vss. continetur nonum argumentum, scilicet, quia corpus et anima ita inter se conjuncta tenentur, ut alterum sine altero motus vitales exercere nequeat, ut demonstratum est supra vs. 324 sqq. Sicut enim corpus ab anima separatum nullos vitæ sensus ciet, ita nec anima a corpore secreta sensiferos ullos motus reddere potest. Alias aer, in quem se recipere-ret, corpus esset animatum ab ea; quo quid absurdius? *F.* — *Vivata*, vivida. Sic vs. 410.

558. *Conjuncta valent.* Hæ *duæ* potestates, potestas animi, et potestas corporis : quæ formula regiminis rarissima est. *Conjuncta* autem in neutro genere, quamvis substantiva feminina sint, ad morem nostro poetæ familiarissimum : vide ad vs. 551. *Wak.*

560. *Nec autem*, οὐδ' αὖτε, rursum, vel vicissim, πάλιν. *Wak.*

561. *Cassum*, vacans, privatum. Sic Virg. Æn. II, 85, *cassum lumine*, et XI, 104, *æthere cassis.* — *Durare*, diutius exsistere.

562. *Avolsus.* Alii *avulsis*, minus bene. — *Radicibus.* Alii *radicitus*, contra libros. *W.*

563. *Seorsum corpore.* Vide infra 631, ubi *seorsum* pariter cum sexto casu construitur (vide tamen quæ nos ibi notabimus. Ed.); et conf. Ruddim. Inst. Gr. II, p. 333, 5, uberius disserens de ejusmodi adverbiis præpositionum loco usurpatis. *Forb.*

Nimirum quia per venas et viscera mixtim,
Per nervos atque ossa, tenentur corpore ab omni,
Nec magnis intervallis primordia possunt
Libera dissultare; ideo conclusa moventur
Sensiferos motus; quos extra corpus in auras
Aeris haud possunt post mortem ejecta movere:
Propterea quia non simili ratione tenentur.
Corpus enim atque animam serit aer, si cohibere
Sese anima, atque in eos poterit concludere motus,
Quos ante in nervis et in ipso corpore agebat.
Quare etiam atque etiam resoluto corporis omni
Tegmine, et ejectis extra vitalibus auris,
Dissolvi sensus animi fateare, necesse est,

566. *Tenentur corpore ab omni.* Sic vs. 324. Wakef. qui supra vs. 564 dedit *videtur*, hic tamen *tenentur* ad *animam* et *animum* refert; Fayus autem ad *primordia;* quod mihi magis arridet. Hic enim est totius orationis ordo: « sicut oculus videre, nisi corpori connectatur; item vitales motus edere anima non potest, nisi corpori conjuncta. Etenim ideo motus sensiferos edunt animæ primordia, quia tenentur, etc. » Quæ si aliter disponas, minus bene cohærent rationes. Ed.

567. *Primordia*, atomi, quibus animus et anima constat.

568. *Libera dissultare.* Non possunt, ut primordia a nullo solido corpore cohibita, per inane spatium concurrere.— *Moventur motus.* Exemplum hujusce regiminis vide ad Horat. Od. III, 6, 21, et præsertim Epist. II, 2, 125, *Cyclopa movetur*, id est, se movet secundum Cyclopa. *Wak.*

570. *Movere.* Editores, libris repugnantibus, dederunt *moveri;* inscitissime. Hoc genus verba, vel active, vel cum potestate vocis mediæ, passim probatissimis scriptoribus indifferenter adhiberi solent. *Wak.* — Cf. I, 398, 787, 1090; et conjunge *ejecta in auras.*

572. *Corpus enim atque animam serit aer.* Aer est qui *serit*, gignit, *corpus et animam*, animantem ex utroque compositum, si anima vel spiritus, quum efflatur, et auris immiscetur, se cohibere poterit, indivulsa nec dispertita; atque etiam se in eos motus colligere (id est, moveri conglobatim) quos dudum in corpore consummabat. *Wak.* — Hæc est constantior codicum scriptura; quidam tamen discrepant. Quare mihi maxime arridere fateor Lambini emendationem *corpus enim atque animans erit;* scilicet, aer fiet corpus animatum, si anima, sic ejecta, in eo se possit cohibere et concludere ad obeundas eas functiones, quas, etc. Quum autem hanc Lamb. divinationem Wak. et Forbiger rejiciant, quia « nomen *animans* nusquam stat in toto Cari carmine pro *anima* », nullam amplius rationem video, si *corpus et animans*, pro *corpus animatum* intelligas. Ed.

575. *Corporis tegmine*, corpore, quo tegitur anima. — *Vitalibus auris*, aere, qui pars est vitæ in homine, ut demonstravit supra vs. 232 sqq. *F.*

Atque animam; quoniam conjuncta est causa duobus.
Denique, quom corpus nequeat perferre animai
Discidium, quin in tetro tabescat odore;
Quid dubitas, quin ex imo penitusque coorta
Emanarit, uti fumus, diffusa animæ vis?
Atque ideo tanta mutatum putre ruina
Conciderit corpus penitus, quia mota loco sunt
Fundamenta; foras anima emanante per artus,
Perque viarum omneis flexus, in corpore quei sunt,
Atque foramina? multimodis ut noscere possis
Dispertitam animæ naturam exisse per artus;
Et prius esse sibi distractam corpore in ipso,
Quam, prolapsa foras, enaret in aeris auras?

578. *Atque animam.* Alii *atque animæ;* suppl. sensus. — *Duobus,* animo et animæ; quippe quæ inter se conjuncta sint, ut docuit vs. 137 sqq. *F.*

577. *Denique, quom corpus,* etc. Decimum argumentum vss. 12 inclusum est. Subducta anima, quæ in partibus intimis sita est veluti totius animalis fundamentum, corpus collabascens putrescit, et in pulverem abit. Unde vero ista tanta corporis ruina, nisi quod anima quæ membra omnia fulcire et continere videbatur, per poros et meatus corporis emanarit? quæ vero sic minutim divisa fuit in ipso sui egressu, comparata ad dispersionem videtur. *Creech.*

580. *In tetro.* Id est, *cum;* I, 994. Alii legunt *id.* — *Tabescat,* liquescat, diffluat, et solvatur in tellurem. *W.*

581. *Ex imo.* I. e. ex intimis et abditis visceribus ac partibus corporis excita. — *Penitusque.* Ita ut vel minutissimas partes et abditissimos recessus corporis penetraverit anima, impleverit, atque roboraverit. *Wak.*

582. *Diffusa,* dispersa sicut fumus; vel, quæ antea per omnes partes diffundebatur. Ed.

583. *Atque ideo,* etc. Atque ideo putre corpus, utpote mutatum tanta ruina, clade, penitus conciderit; vel *ruina* ad verbum *conciderit* refer. Hoc si vellet poeta, reponendum putem, *mutatum in putre. W.*—Vel junge *putre conciderit,* id est, putrefactum.

585. *Foras anima emanante.* Sic ex ingenio Wakef. quem sequimur, in sanando loci corrupti ulcere morem viro doctissimo gerentes. Vide Disq. var. Ed. — Ad nostras lectiones, nomen *fundamenta* respicit molem ac nexus *corporis,* quam incolit, quibus cohibetur. *W.* — Quidni respiciat *animam* quæ animati corporis fundamentum est? Creech. : « Semina animæ intime sita ».

586. *Flexus,* caulas vocat, vs. 702, et II, 951.

589. *Prius distractam.* Dicit poeta multis ex argumentis colligi posse et concludi, animam etiam prius divulsam esse et dispersam, quam de corpore novissime decedat in æternum. Hoc autem potissimum patet ex homine sensim et membratim moriente, 525-532; et ex cadavere putrescente, 579-587. *W.*

590. *Enaret,* enataret, nando evola-

Quin etiam, fineis dum vitæ vortitur intra,
Sæpe aliqua tamen e causa labefacta videtur
Ire anima, ac toto membratim corpore solvi;
Et quasi supremo languescere tempore voltus,
Molliaque exsangui cadere omnia corpore membra.
Quod genus est, animo male factum quom perhibetur,
Aut animam liquisse; ubi jam trepidatur, et omnes
Extremum cupiunt vitæ reprehendere vinclum.
Conquassatur enim tum mens animæque potestas
Omnis; et hæc ipso cum corpore collabefiunt:
Ut gravior paullo possit dissolvere causa.
Quid dubitas tandem, quin extra prodita corpus

ret. Metaphora ducta ab aqua ad aera. Virg. Æn. VI, 16.

591. *Quin etiàm, fineis dum,* etc. His 11 vss. continetur undecimum argumentum. Humanam animam mortalem esse rursus probare conatur ex animi atque animæ defectu; quod morbi genus vulgo dicitur symptoma, vel animi deliquium. *F.* — Quum vero ita labefactari possit animus dum corpus illum tegit et tuetur, quis credat tenuem istam substantiam, suo tegmine exutam, procellarum et aliarum rerum jugiter incurrentium impetus perferre posse? *Creech.*

593. *Ire,* abire, interire, mori: vs. 525. — *Membratim.* Vide Disq. var.

594. *Et quasi supremo,* etc. Hunc versum et sequentem multi delendos censent. Verum uterque non alienus est a re: namque animi deliquii signa sunt livor in vultu, frigus in toto corpore, ac pallor. *F.* — *Supremo tempore.* Quum vita scilicet versari in periculo videtur et mors instare. Conf. Catull. LXIV, 151. *Wak.*

596. *Quod genus,* quale est; vs. 432. — *Male factum,* mali aliquid accidisse. Plaut. Mil. Glor. IV, 8, 21: « Animo male factum est huic repente miseræ ». — *Perhibetur.* Nempe ita scriptores loqui solent, quoties phrasin popularem et crassiorem velint propria magis et accurata secernere. Nimirum hoc loco τὸ *animo male factum* vulgi est locutio; τὸ *animam liquisse* autem, vel λειποψυχῆσαι, liberaliter doctorum. *Wak.*

597. *Ubi jam trepidatur.* Cum quodam metu ac sollicitudine festinatur et discurritur. *Wak.* — Et unice verus mihi videtur hic sensus contra Creechii interpretationem: « ubi jam vita *in dubio* est, et id agunt *omnes* animalis *vires* ut ultimum vitæ nexum integrum retineant ». Legit autem *vires* pro *vitæ* in vs. seq. sed hanc etiam lectionem Fayus melius exponit: « *omnes* adstantes, amici, exoptant ultimum vitæ nexum resumere vires suas ». Præstat vero quorumdam codicum lectio *vitæ;* qua plana fiunt omnia. Preig. recte cum hoc loco confert sup. vs. 469 sq. Ed.

600. *Hæc,* mens et anima. — *Collabefiunt,* collabefactantur, deficiunt. Hoc verbo usus est Cæs. B. C. II, 6.

601. *Ut gravior paullo,* ita ut, si causa paullo vehementior accedat, animam cum corpore possit dissolvere.

602. *Quid dubitas tandem,* etc. His

Imbecilla foras, in aperto, tegmine demto,
Non modo non omnem possit durare per ævom,
Sed minumum quodvis nequeat consistere tempus?
Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
Ire foras animam incolumem de corpore toto;
Nec prius ad jugulum et superas succedere fauces;
Verum deficere in certa regione locatam,
Ut sensus alios in parti quemque sua scit
Dissolvi : quod si immortalis nostra foret mens,
Non tam se moriens dissolvi conquereretur;
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
[Gauderet, prælonga senex aut cornua cervus.]
Denique quur animi nunquam mens consiliumque

13 vss. continetur duodecimum argumentum : quia anima separata a corpore ne vel minimum temporis momentum durare potest, ac vivere. Alias enim moriens sentiret animam suam salvam et incolumem exire per fauces, ac prius ad primas gutturis partes, deinde ad os pervenire. Quod contra fit : namque moriens sentit animam in certis partibus, in quibus sita est, deficere, æque ac reliquos sensus. Unde moriens conqueritur animam suam, seque ipsum totum dissolvi ac interire. Secus autem conqueri deberet animam suam sibi exire extra corpus. Quod potius ipsi argumentum lætitiæ esse deberet; quippe qui sicut serpens pellem, aut senex cervus cornua deponit juvenilis ætatis recuperandæ causa; ita moriens homo corpus deponeret, quasi vestem veterem ac vietam. *F.* — *Prodita;* VI, 563.

603. *Imbecilla foras*, etc. Quin anima, ubi semel foras e corpore ejecta est, debilis admodum, non possit in aperto aere, etc. — *Tegmine demto.* Conf. vs. 576.

604. *Omnem ævum.* Sic Plaut. Pœn. V, 4, 14, *vitalem ævum. W.*

607. *Incolumem ire*, integram et salvam ex omnibus simul corporis partibus evolare. Ed.

608. *Succedere*, pro subire, ingredi, surgere ad, passim frequentatur. Sic Virgil. ad Æn. XII, 234, « ad superos succedet fama ». *W.*

609. *In certa regione;* vs. 141, 617.

610. *In parti quemque sua*, etc. Scilicet visum in oculo; auditum in auribus; gustum in palato, etc. *F.*

613. *Vestem*, pro humano corpore.— *Ut anguis.* Rem optime tetigit. Virg. G. III, 437; Æn. II, 473.

614. [*Gauderet*, etc.] Deest hic versus in omnibus fere codicibus, quo carere facile possumus. — Hoc scilicet in consuetudine est auctorum purissimorum, et præsertim poetarum, qui ornatui ac brevitati student, quum novum verbum interponi exspectares, prius positum, sed paullo diversius intelligendum, aliquoties repetendum linquere. *W.* — *Cervus.* Vide Plin. VIII, 32 seu 50.

615. *Denique quur animi ... mens*, etc. His 9 vss. continetur decimum tertium argumentum. Nimirum quia res singulæ naturales (vide infra not. 618)

Gignitur in capite, aut pedibus manibusve; sed unis
Sedibus, et certis regionibus, omnibus hæret;
Si non certa loca ad nascundum reddita quoique
Sunt, et ubi quidquid possit durare creatum;
Atque ita multimodis pro totis artubus esse,
Membrorum ut nunquam exsistat præposterus ordo?
Usque adeo sequitur res rem, neque flamma creari
Fluminibus solita est, neque in igni gignier algor.
Præterea, si immortalis natura animai est,
Et sentire potest, secreta a corpore nostro;
Quinque, ut opinor, eam faciundum est sensibus auctam:

statam et certam sedem quæque habent ubi nascantur, et durent; sic animus atque anima certam suam sedem habent in qua nascantur et durent. Alias enim ubique gignerentur et exsisterent. Itaque ubi semel ex certa sua sede remota est anima, jam desinit esse, nec exstat. Sedes autem animi pectus est, animæ vero totum corpus, ut docuit supra vs. 139 sqq. Igitur ubi animus extra pectus, anima vero extra totum corpus exierunt, jam esse ac vivere desinunt. *F.* — *Mens animi.* Plaut. Epid. IV, 1, 4. Cicero De finib. V, 13: « animi autem et ejus *animi* partis, quæ princeps est, quæque *mens* nominatur, plures sunt virtutes ». *W.* — Sic IV, 760.

616. *Unis.* Vide ad II, 668, 918.

617. *Omnibus hæret,* scilicet hominibus. Alii, *omnis inhæret;* nempe animi mens; sed hac Lambini correctione non opus erat.

618. *Si non certa loca.* Nisi quia quædam certa loca *in corpore* assignata sunt, ubi res quæque nascatur, ubi *quidquid creatum,* postquam semel natæ sunt omnes animati corporis facultates, auditus videlicet, gustus, incessus, visus, etc. possint durare, atque *multimodis,* quum sint diversitate ac numero multiplices, *ita pro totis artubus esse,* singulis ita adhærescere et insidere, totis membris ita confundi et misceri (namque visus et oculus, incessus et pes, adeo sæpius confunduntur ut alter *pro* altero capi possit), ut nunquam ordo artuum mutetur et fiat præposterus, veluti si quis manibus ambulet, aut per pedes videat. Locum alii aliter exponunt; vide supra Fayi notam ad vs. 615 et Disq. var. ad vs. 620. Ed.

622. *Sequitur res rem.* Hæ res, quarum *ordo exsistit* certis naturæ legibus dispositus, inter se cohærent, et alteram altera necessario trahit, ita ut non magis interverti possint, quam flamma oriri ex aquis, aut frigus nasci in igne. Sic Noster probare sibi videtur animam in pectore tantum, et nusquam alias exsistere posse. Ed.

624. *Præterea si,* etc. Argumentum decimum quartum vss. 10. Animam separatam et immortalem concipe, substantiam sentientem concipies, ergo quinque sensibus ornatam; at unde sensus, quum sensuum organa oculi, nares, manus, lingua, aures, in derelicto corpore putrescant? *Creech.*

625. *Et sentire.* Supple *si.*

626. *Quinque.* Bene. Hos enim recenset jam infra vss. 631, 632, 633. Alii *Certe.* — *Auctam,* præditam.

Nec ratione alia nosmet proponere nobis
Possumus infernas animas Acherunte vagare.
Pictores itaque, et scriptorum secla priora,
Sic animas introduxerunt sensibus auctas.
At neque seorsum oculei, neque nares, nec manus ipsa
Esse potest anima, neque seorsum lingua; neque aures
Auditum per se possunt sentire, neque esse.
Et quoniam toto sentimus corpore inesse
Vitalem sensum, et totum esse animale videmus;
Si subito medium celeri præciderit ictu

627. *Proponere nobis*, non aliter concipere possumus.

628. *Infernas animas*, animas, quæ sunt in Inferis. — *Vagare.* Alii *vagari.* — De rariore usu activi *vagare*, Nonius VII, 2, Priscian. VIII, 6, § 30, et Ruddim. Inst. Gr. I, p. 277, not. 64.

629. *Scriptorum secla priora*, priores scriptores; antiqua gens scriptorum. *Seclum* enim Lucretio gens dicitur. I, 21, 468, et alibi passim. *F.*

630. *Sic animas introduxerunt*, etc. I. e. finxerunt animas a corpore separatas, et apud Inferos receptas, sensibus esse præditas. *F.*

631. *At neque seorsum ... manus ipsa Esse*, etc. Noli intelligere *seorsum ab ipsa anima;* quod plerique volunt editores; unde multa exoritur difficultas. Alii corrigunt *ipsi animæ*, contra libros. Sensus est: At *ipsa* in *anima* separatim et sine corpore exsistere non possunt oculi, neque nares, neque manus, etc. Sic planus erit locus, si suppleas *in*, apud poetas sexcenties omissum; ut modo vs. 628, *Acherunte* sine præpositione. Vide autem Disquisit. var. ad vs. 633. Ed. — *Aures;* supple *in anima.* Ed.

633. *Auditum per se.* Si corpus detrahas, quomodo sonum accipere et sentire aures poterunt, quomodo exsistere? Pro *auditum*, editores de suo *absque anima*, contra sensum; nam hoc probare Lucretius contendit, animam scilicet mori cum corpore, neque *sine corpore* ullos posse in anima sensus residere. Ed.

634. *Et, quoniam toto*, etc. His 36 vss. continetur decimum quintum argumentum. Quidquid scindi potest et in partes dividi, illud non est æternum ac immortale, sed caducum ac mortale. Quis hoc negaverit? Atqui anima scinditur, et in partes dividitur: quod jam et ratione probat, et experimento duplici confirmat. Itaque, quum anima diffusa sit per totum corpus, ut docuit supra, sequitur ut, recisis corporis membris, anima quoque rescindatur ac dividatur. Rem confirmat experimentis. Igitur signum est, quod anima sit mortalis: aut, quod absurdum est, necesse est multas in uno animali inesse animas. *F.*

635. *Totum esse animale.* Et totum corpus esse anima præditum; id est, animam per omnes corporis partes diffundi. — *Animale*, I, 228.

636. *Præciderit.* Vox elegans et efficax in primis; designans vulnus non profundum et directum, sed superficiarium et obliquum; quod partem aliquam prominentem delibet. Cic. De inv. II, 20; Q. Curt. III, 8, 15. *W.* — At vox *medium* plane evincit τὸ *præciderit*, hic

Vis aliqua, ut seorsum partem secernat utramque,
Dispertita procul dubio quoque vis animai,
Et discissa simul cum corpore disicietur.
At quod scinditur et parteis discedit in ullas,
Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.
Falciferos memorant currus abscidere membra
Sæpe ita de subito, permixta cæde calenteis,
Ut tremere in terra videatur ab artubus id quod
Decidit abscisum; quom mens tamen atque hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem:
Et simul in pugnæ studio quod dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam cædeisque petessit;
Nec tenet, amissam lævam cum tegmine sæpe
Inter equos abstraxe rotas falceisque rapaceis:

pro *diviserit, truncaverit*, positum esse. Quod confirmat allatus ab ipso Wakef. Livii locus, VIII, 24, *præciso medio*. Ed.

637. *Scorsum secernat*, omnino separet.

639. *Disicietur*, pro communi *disjicietur*, quod editores vulgo admisere. — Vetustiores Romanorum in compositis magis affectabant *ico* et *icio* quam *jacio*. W. — Forb. tamen *disjicietur* edidit.

640. *Scinditur*. Notandum est, sicuti hujusce versus τὸ *scinditur* respicit τὸ *discissa* præeuntis, phrasem *partes discedit in ullas* similiter pro interpretatione verbi *disicietur* stare. *Wak.*

642. *Falciferos memorant*, etc. His 15 vss. interim docet veterem morem de falcatis curribus inter prælia, de quibus Xenophon Cyri Instit. VI. De his iterum Lucret. V, 1300. — *Abscidere*. Alii *abscindere*.

643. *De subito*. Adverbialiter. Sic II, 265. — *Calenteis*. Suppl. currus. I. e. calidos, fumantes sanguine, quo cruentati jamjam fuerunt; et hæc dictio curruum velocitati significandæ multum et eleganter inservit. Cf. infra V, 1312.

644. *Tremere*. Ut ea pars, quæ a reliquis membris abscisa decidit, humi jacens adhuc palpitet.

645. *Atque hominis vis*. Animus, in quo præsertim hominis vis et ardor residet. Ed.

646. *Mobilitate mali*, subitanei vulneris celeritate. *W.*

647. *In pugnæ studio dedita*. Sic IV, 816: « deditus in rebus ». *Quod;* W. *quia*.

648. *Petessit*, vehementer appetit. Cicero Tusc. II, 26; de Div. I, 11. « Antiqui, inquit Festus, *petessere* dicebant pro *petere*, ea quidem forma verbi, qua *lacessere* et *incessere*: sed, ut mihi videtur, tum eo significabant sæpius petere; ut *petessant* sæpius petant ». *F.* — Alii *petissit, petiscit*.

649. *Nec tenet*, nescit, nec sentit, nec novit; II, 1174. — *Tegmine*, clypeo, aut scuto, quo sese tegebant in prælio milites. Virg. Æn. IX, 577.

650. *Abstraxe*, cum violentia abstulisse et abscidisse. De contractione cf. I, 234, 986.

Nec cecidisse alius dextram, quom scandit et instat.
Inde alius conatur ademto surgere crure,
Quom digitos agitat propter moribundus humi pes:
Et caput, abscisum calido viventeque trunco,
Servat humi voltum vitalem oculosque patenteis :
Donec reliquias animai reddidit omneis.

Quin etiam tibi si, lingua vibrante, minanti
Serpentis cauda et procero corpore, utrumque
Sit lubitum in multas parteis discidere ferro;
Omnia jam seorsum cernes, amcisa recenti
Volnere, tortari, et terram conspergere tabo;
Ipsam seque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti, ut morsu premat, icta dolore.

Omnibus esse igitur totas dicemus in ollis
Particulis animas? at ea ratione sequetur,
Unam animantem animas habuisse in corpore multas.

651. *Alius.* Supple *tenet*, animadvertit.— *Quom scandit,* aut in currum, aut in equum, aut in naves, aut in muros hostiles. *Lamb.*

653. *Quom digitos.* Quum interim pes *moribundus* (ut *dextra moribunda* Virg. Æn. X, 341) *propter,* juxta humi jacens digitos agitat, qui *semianimes micant;* Æn. X, 395.

656. *Reliquias animai.* Quippe quam secabilem fecit.

657. *Quin etiam si lingua,* etc. His 7 vss. alterum profert experimentum de serpentibus, quorum partes abscissæ seorsum vivunt. *F.*— *Vibrante.* Sic passim de serpentibus poetæ, quorum loca congessit Heinsius ad Ovid. Met. III, 34. *W.*—*Minanti.* Editi vulgares *minantis,* contra libros omnes. *W.*

658. *Utrumque.* Phrasis *utrumque serpentis* ea est natura qua *utrum horum, aliud mercedis, hoc noctis,* ac similia centum notissima. *Utrumque* autem *serpentis* hinc etiam proprietatem habet, quod tum hinc caput finiat, illinc cauda; adeo ut pars utraque serpentem integrum quodammodo referat. Vulgo *utrimque,* quod quo sensu accipiendum sit non intelligo. *W.*—Ergo construe, *utrumque serpentis* qui est *cauda minanti,* etc.

660. *Amcisa,* amputata, circumcisa omnia, h. e. omnes partes resectæ et amputatæ. *F.*

661. *Tortari.* Antiquum verbum; se *tortare,* vel torquere.

662. *Ipsam seque retro,* etc. Et priorem serpentis partem, caput suum retro torquere, ut *se ipsam* (ad *serpentem* nunc, non ad *partem* respicit poeta), id est, partem corporis alteram ore apprehendat et morsu laceret; adeo vehementi vulneris dolore icta est! Vel, si mavis, pars anterior, se ipsam, qua vulnus patitur, reflexo ore petit. Ed.

664. *Totas,* integras animas in singulis particulis.

Ergo divisa est ea, quæ fuit una simul cum
Corpore : quapropter mortale utrumque putandum est;
In multas quoniam parteis disciditur æque.
  Præterea, si immortalis natura animai
Constat, et in corpus nascentibus insinuatur;
Quur super ante actam ætatem meminisse nequimus,
Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam si tantopere est animi mutata potestas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum;
Non, ut opinor, id ab leto jam longiter errat.
Quapropter fateare necesse est, quæ fuit ante,
Interiisse; et, quæ nunc est, nunc esse creatam.
  Præterea, si, jam perfecto corpore, nobis
Inferri solita est animi vivata potestas,
Tum quom gignimur, et vitæ quom limen inimus;

667. *Ea quæ fuit una.* Anima igitur ista quæ una est uni corpori conjuncta, simul cum illo divisa est. *Creech.*

668. *Quapropter*, quum divisionem patiatur; conf. vs. 640. — *Utrumque*, corpus et animam.

670. *Præterea, si immortalis*, etc. His 9 vss. continetur decimum sextum argumentum. Scilicet, si anima foret immortalis, sane deberet præexstitisse antequam in corpus infunderetur; atque adeo quisque homo recordaretur anteactæ illius vitæ. Quod tamen falsum esse docet experientia. *F.*

671. *Insinuatur*; I, 114.

672. *Ante actam ætatem*, vitam ipsius animæ antequam in corpus hoc nostrum infunderetur. Vide tamen quæ Wakef. ad vs. 677. Ed.

673. *Gestarum.* A nobis quondam, dum anima in alio corpore viveret. Ed.

675. *Retinentia*, recordatio. Sic vs. 865, *repetentia.* Lucretiana inflexio; sic *variantia*, varietas, vs. 319, et I, 654. *F.*

676. *Longiter*, longe. Antiqua vox.

677. *Quæ fuit ante.* Anima illa, vel animarum ea portio, quæ dudum inerat humano generi, et ætatem præteritam occupabat, jam periit, quum memoria rerum gestarum interciderit; et ea anima, quæ nunc homines agitat, tum demum cœpit vivere, quum primitus recordari cœperit. *Wak.* — Immo illa ipsa quæ exstitit in alio quolibet homine, cujus post mortem in nos transmigrasse dicitur, secundum Pythagoræ opinionem, quam nunc Lucretius videtur refutare. Ea interpretatio simplicior est, et cum vs. 672 sq. optime congruit. Ed.

679. *Præterea, si jam perfecto*, etc. His 18 vss. continetur decimum septimum argumentum. Nimirum, si anima ingreditur et infunditur in corpus jam perfectum, non igitur convenit eam vivere in corpore jam, quasi cum corpore nata, et aucta, atque cum cunctis membris contexta esse videatur; sed potius ut avem in cavea. *F.*

680. *Vivata*; vs. 410, 557.

Haud ita conveniebat, uti cum corpore, et una
Cum membris videatur in ipso sanguine cresse :
Sed, velut in cavea, per se sibi vivere solam
Convenit, ut sensu corpus tamen affluat omne.
Quare etiam atque etiam neque originis esse putandum est
Experteis animas, nec leti lege solutas :
Nam neque tantopere annecti potuisse putandum est
Corporibus nostreis, extrinsecus insinuatas;
(Quod fieri totum contra manifesta docet res :
Namque ita connexa est per venas, viscera, nervos,
Ossaque, uti dentes quoque sensu participentur;
Morbus ut indicat, et gelidai stringor aquai,
Et lapis oppressus subitis e frugibus asper:)
Nec, tam contextæ quom sint, exire videntur
Incolumes posse, et salvas exsolvere sese

682. *Haud conveniebat*, quum scilicet perfecta, et maturitatem suam adepta corpus intraverit; adeoque simul cum infante crescere videri ratione nulla potuerit. *Wak.*

683. *Cresse*, crevisse; cf. vs. 650.

685. *Convenit, ut sensu*, etc. In promptu est arbitrari animam his membris, cum quibus nihil habeat commune, nisi ut agitet vivificetque, nullo modo promiscue immisceri, sed domicilium solitarium tenere; unde virtutes ejus dominatrices in omnem partem dispergantur. *W.* — *Affluat.* Quasi scaturigo quædam salubris, aridum corpus permeans reficiensque. *W.* — Hanc vocem forsan active Noster adhibuit pro *fluat ad, irriget;* quamquam nullum aliud vidi exemplum. Vel potius ordo est: ita tamen ut *corpus affluat*, abundet sensu. Ed.

686. *Neque originis expertes*, id est, nasci.

688. *Tanto opere* (sic enim scribit); tanta cura studioque; atque adeo, tam arcte uniterque. *W.* — His *nam neque* respondent τὰ *nec tam*, etc. vs. 695.

689. *Insinuatas.* Si extrinsecus in corpora intrassent.

690. *Quod fieri contra.* Animas enim videmus corporibus magnopere esse connexas.

691. *Connexa est.* Scil. anima; mutato numero ad quem mox redit, vs. 695. Ald. 1 et Bon. *connexæ*, scil. animæ corporibus; sed aperte e correctione.

692. *Participentur.* Sic in voce passiva eodem verbo Plautus usus est Truc. IV, 2, 35. *W.*

693. *Morbus*, dolor dentium, quocumque casu incommodentur. — *Stringor*, rigor, frigus, quo dentes perstringuntur, quum aqua frigida bibitur. *Lamb.*

694. *Oppressus.* In pane lapis repertus, quem dentes offendunt.—*Subitis :* « frugibus lapidosis dentes *subeuntibus* ». Quem verbi *subitus* sensum pluribus exemplis confirmat Wakef. ad II, 363. Multa autem in hac voce tentavere editores contra codd. fidem.

Omnibus e nervis atque ossibus articulisque.
Quod si forte putas, extrinsecus insinuatam,
Permanare animam nobis per membra solere;
Tanto quoique magis, cum corpore fusa, peribit.
Quod permanat enim, dissolvitur : interit ergo.
Dispertita ergo per caulas corporis omneis,
Ut cibus, in membra atque artus quom ducitur omneis,
Disperit, atque aliam naturam sufficit ex se,
Sic anima atque animus, quamvis integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando dissoluuntur,
Dum, quasi per caulas, omneis diduntur in artus
Particulæ, quibus hæc animi natura creatur,
Quæ nunc in nostro dominatur corpore, nata
Ex olla, quæ tunc peritat, partita per artus.
Quapropter, neque natali privata videtur
Esse die natura animæ, nec funeris expers.

698. *Quod si forte putas*, etc. His 15 vss. continetur decimum octavum argumentum. Nimirum, si anima extrinsecus insinuata permanat per artus corporis, necesse est ut ea divisibilis sit, quum per partes corporis divisibiles diffundatur. Quod autem dividitur, illud dissolvatur necesse est. Rem confirmat exemplo alimenti, quod per membra ditum perit, et in aliam naturam convertitur. *F.*

699. *Permanare;* non autem in cavea quasi constrictam, sibi per se solam vivere; ut vs. 684, cui nunc contrariam positionem Noster comminiscitur. *W.*

700. *Quoique*, scilicet homini. Alii *quæque.*

702. *Dispertita.* Refer ad sequentia *anima atque animus*, vs. 705; et duo sequentes vss. quasi per parenthesim legendi sunt. — *Per caulas*, per foramina, per meatus; sic vs. 707; II, 951.

703. *Ducitur*, trahitur, hauritur. Alii *diditur*, quod tritius et minus rei proprium. *W.* — Forb. tamen reduxit *diditur* ob locos parallelos II, 1136; IV, 623, 956.

704. *Sufficit*, suppeditat, subministrat; aliam substantiam a se prorsus diversam constituit.

705. *Recens.* Alii referunt ad *corpus;* Wakef. autem non male adverbialiter dictum capit pro *primitus.*

706. *Dissoluuntur*, separationem subeunt ac discidium; adeoque interitum : vide vs. 640, 701. *W.*

710. *Peritat*, pro *peritarat*, ut *irritat* I, 71. Id est, jam perierat et se mortalem esse demonstraverat, quum discinderetur, et in artus dispergeretur. *W.* — Possis tamen *peritat* in præsenti indicativo accipere; nam omnia verba ad rem, quæ nunc agitur, refert poeta, *diduntur, creatur.* Ed.

711. *Natali die*, origine, natalitio ortu : cf. vs. 686 sq.

Semina præterea linquuntur, necne, animai
Corpore in exanimo? Quod si linquuntur et insunt,
Haud erit, ut merito immortalis possit haberi;
Partibus amissis quoniam libata recessit.
Sin ita, sinceris membris ablata, profugit,
Et nullas parteis in corpore liquerit ex se;
Unde cadavera rancenti jam viscere vermeis
Exspirant? atque unde animantum copia tanta,
Exos et exsanguis, tumidos perfluctuat artus?
Quod si forte animas extrinsecus insinuari
Vermibus, et privas in corpora posse venire,

713. *Semina præterea*, etc. His 28 vss. continetur decimum nonum argumentum. Si anima discedens e corpore quasdam sui particulas in eo relinquat, dissolubilem arguunt delibatæ particulæ: si non relinquat, reddi causa nequeat quamobrem tot vermes gignantur in cadavere; quum dicere quidem tot animas eo confluere extrinsecus unde una excesserit, perabsurdum sit, ac magis adhuc, dicere unamquamque aut deligere semina, ex quibus fabricetur sibi corpus proprium, ut ea patiatur incommoda, quæ sine corpore esse nequeunt, aut subire in corpus jam elaboratum, cum quo connecti intime, et consentire non valeat. *Creech.*

716. *Libata,* diminuta, detrita; ideoque dissolvi potest.

717. *Sinceris membris.* Intellige partes *animæ*, non corporis; quas Noster variato nomine *particulas* vocat vs. 708. *Sinceris* scilicet est *indelibatis, non præfloratis,* uti Pius elegantissime exposuit, *puris, intactis. W.*

719. *Rancenti,* putri, putrido.

721. *Exos.* Vocem bene declares Orosii verbis, Hist. IV, 8: « Vermis, cui spinæ rigor non est ». — *Tumidos,* tumescentes et quasi prægnantes partu vermium erumpentium, atque superficiem cadaveris extollentium. *Wak.* — *Perfluctuat.* Ea vox rem ex omni parte feliciter depingit; sive *multitudinem* vermium, quam latenter designat, contempleris, sive motus animalium se *undatim* protrudentium. *W.*

723. *Et privas in corpora venire.* Si credis venire in corpora vermium animas unicuique peculiares et proprias, et quæ non sint semina humanæ illius animæ in corpore ex animo relicta. Voluit enim Noster vs. 717 sqq. ex animæ reliquiis tot vermes animari; nunc vero contendit, etiamsi vermibus privatas et singulares insinuari animas concederet, non ideo tamen solvi nodum posse. Nostram hanc lectionem exhibent Cant. Junt. Ald. 2 et Nonius. Forb. vero e Lugd. 1, 2, Vind. Brit. 1, 3, edidit *priva si in.* Wak. maluit e conjectura reponere *privo si corpore*, id est, si vermes proprias animas et corpora propria, non putri cadavere derivata, possidentes, ibi convenisse arbitreris. Sed hæc contra mentem Lucretii forent; nam si vermes *cum propria anima, et cum proprio corpore* veniunt, jam a cadavere omnino alieni sunt, jam nullus est argumentationi locus. Vult igitur poeta eorum objectioni obviam ire qui contendunt vermibus non animam, sed *corpus* tantum e cadavere oriri. Ed.

Credis; nec reputas, quur milia multa animarum
Conveniant, unde una recesserit : hoc tamen est, ut
Quærundum videatur, et in discrimen agundum;
Utrum tandem animæ venentur semina quæque
Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur, ubi sint :
An quasi corporibus perfecteis insinuentur.
At neque, quur faciant ipsæ, quareve laborent,
Dicere suppeditat; neque enim, sine corpore quom sunt,
Sollicitæ volitant morbis alguque fameque :
Corpus enim magis his vitiis, et fine laborat;
Et mala cuncta animus contagi fungitur ejus.
Sed tamen his esto quamvis facere utile corpus,
Quod subeant; at, qua possint, via nulla videtur :

724. *Milia ;* vide ad II, 539.

725. *Conveniant, unde,* etc. Id est, conveniant in corpus illud exanimum, ex quo, etc.

726. *In discrimen,* in controversiam vocandum.

727. *Utrum animæ.* Utrum animæ disquirant particulas materiæ illius, e qua corpora vermiculorum constant, in quam collectam et conglobatam se immittant, suaque sibi domicilia fabricentur; an, sine hac investigatione, corporibus vermium jam alio opere perfectis incidant et se insinuent. *W.*

729. *Quasi.* « Quasi fuerint sibi facta et in usus proprios formata. » Sic libri omnes; vulgares editi *jam.* Cf. vs. 816, ubi Noster vocabulo *quasi* peculiariter quoque usus est. *Wak.* — Vulgatam tacite reduxit Forb.

731. *Suppeditat,* suppetit, licet, facile est. — Vel τὸ *dicere* nominativi casus officio fungitur. Cf. I, 548. *W.* — *Neque enim.* Ægre dicas animas tantopere sibimet ipsis infensas esse, ut ægritudines adventitias venentur et corporeis incommoditatibus se libenter implicent; a quibus, carneorum involucrorum liberæ, longissime remotæ vivunt. *Wak.*

732. *Algu,* pro algore, i. e. frigore. Sic Sosipater Charisius I, notat *algu* dictum esse a Latinis, citatque locum ex Plauto in Rud. II, 7, 24, « tu vel suda, vel peri *algu* ». Verum Nonius docet legendum esse *algo,* profertque hunc Lucretii locum. *F.* — Sed inter exempla formæ *algus;* quare apertum est vitium.

733. *Et fine.* Corpus enim non solummodo his infortuniis, sed *leto* laborat insuper. Editores ex emendatione Lambini *adfine,* spretis omnibus libris. *W.* — *Finis* pro *morte* positum ut apud Tac. Ann. IV, 19; XV, 63; Vell. Pat. II, 123, § 3; Juven. X, 163, etc.

734. *Cuncta.* Sic e Mus. Brit. codice Wak. quum vulgata lectio *multa* mentem loci non adimplere videatur. — *Contagi,* pro *contage;* qua voce Noster utitur IV, 337. — *Fungitur,* patitur, ut I, 444. *W.*

735. *Esto quamvis.* Sed tamen concedamus esse quantumvis utile istis animabus sibi corpus fabricari quod incolant; quomodo autem poterunt?

Haud igitur faciunt animæ sibi corpora et artus.
Nec tamen est, quî jam perfecteis insinuentur
Corporibus : neque enim poterunt subtiliter esse
Connexæ; neque consensu contagia fient.
Denique quur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur, volpeis dolus; et fuga cervis
A patribus datur, et patrius pavor incitat artus?
Et jam cetera de genere hoc, quur omnia membris
Ex ineunte ævo generascunt ingenioque;
Si non, certa suo quia semine seminioque
Vis animi pariter crescit cum corpore quoque?
Quod si immortalis foret, et mutare soleret

737. *Corpora et artus.* Id est, corporeos artus.

738. *Qui,* quomodo ; nec ulla via est, qua possint, etc. Vide Disq. var.

739. *Subtiliter,* examussim, quasi per omnes partes suas, quæ subtiles sunt.

740. *Neque contagia fient.* Ob rationes datas nuper a vs. 679 ad 686 ; quum non sint utique hoc pacto corpus et anima satis arcta societate vincta, atque, ut ita dicam, primitus condepsita in unam συμπαθῆ congeriem. *Wak.*

741. *Denique quur acris,* etc. His 29 vss. continetur vigesimum argumentum, quod quidem potius adversus Pythagoræ metempsychosin, quam adversus animarum immortalitatem, profertur. Itaque si animæ, inquit Lucretius, forent immortales, et e corporibus aliis in alia migrarent corpora, sane studia, ingenia, ac mores animantium jam singulis generibus non essent quid proprium : sed confusis ac permixtis essent moribus atque studiis cuncta animantia ; sicque leo non jam esset ferox, cervus non jam timidus, etc. jam saperent brutæ, desiperent jam homines ; et, etiamsi dixeris humanas animas in sola hominum corpora migrare, jam stulti saperent, sapientes desiperent : pueri prudentia valerent, senes puerascerent, etc. Quod contrarium docet res manifesta. Scilicet suo utitur corpore quæque anima, sicut ars suis propriis instrumentis. Igitur anima sequitur corpus, crescitque cum eo, ac senescit ; atque adeo æque mortalis est ac corpus, quum æque mutetur ac illud. *F.* — *Triste,* crudele, immite. Sic Virgil. Ecl. III, 80 : « Triste lupus stabulis, etc. » Itaque triste leonum seminium, dicitur a Lucretio, suppl. hominibus, quos devorant leones.

742. *Seminium,* progeniem, genus ; Virgil. Georg. II, 151 : « sæva leonum semina ».

744. *Cetera de genere hoc.* Sic supra vs. 480.

745. *Generascunt.* Verbum non alibi per totum Latium comparet. *W.* — *Ingenioque.* Cur omnia tam *ingenio,* sive moribus et indole, *genus* suum referunt, quam *corporis* forma ? Vide I, 591 ; II, 664 ; V, 895. *Bentl.*

746. *Si non certa suo,* etc. Nisi quia vis animæ certa, vel fixa suo semine, et *seminio,* seminis propagine, pariter crescit cum corpore suo peculiari. *Seminium* scilicet non tantum σπέρμα est, sed etiam genus. *Wak.*

748. *Mutare ... corpora,* migrare e

Corpora, permixtis animantes moribus essent:
Effugeret canis Hyrcano de semine sæpe
Cornigeri incursum cervi; tremeretque per auras
Aeris accipiter fugiens, veniente columba:
Desiperent homines, saperent fera secla ferarum.
Illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt
Immortalem animam mutato corpore flecti;
Quod mutatur enim, dissolvitur: interit ergo:
Trajiciuntur enim partes, atque ordine migrant;
Quare dissolvi quoque debent posse per artus,
Denique ut intereant una cum corpore cunctæ.
Sin animas hominum dicent in corpora semper
Ire humana, tamen quæram, quur e sapienti
Stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus;
Nec tam doctus equæ pullus, quam fortis equi vis?
Si non, certa suo quia semine seminioque
Vis animi pariter crescit cum corpore quoque.
Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem
Confugient; quod si jam fit, fateare necesse est

corporibus aliis in alia corpora, ut placuit Pythagoræ.

750. *Canis Hyrcano de semine.* Cic. Tusc. I, 45 : « In Hyrcania plebs publicos alit canes ... *nobile* autem *genus canum* illud scimus esse ». Plin. Nat. Hist. VIII, 61. Proditum est utique Hyrcanos canes esse ex tigride et cane progenitos. Grat. Cyneg. 161. *W.*

753. *Desiperent homines*, quibus proprium est sapere. — *Fera secla ferarum*, belluæ feroces, gens irrationalis belluarum.

755. *Flecti*, mutari, vss. 510, 515, 520, etc.

757. *Trajiciuntur*, transmutantur, transponuntur, vss. 512, 516.

760. *Sin animas*, etc. At forsan dicent humanas animas nunquam in animalium corpora migrare; sed ex homine in hominem tantum transire. Ed.

762. *Nec prudens*, providens, futurorum sagax. Namque, ut ait Cicero in Caton. 8 : « temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis ».

764. *Si non certa*, etc. Supra vs. 746.

766. *Tenerascere*, teneram esse.

767. *Confugient*, nimirum eo ut dicant; ad hanc sententiam. Alii *Confingent.* Lambinus *Non fugient*, i. e. non poterunt negare mentem esse teneram in tenero corpore. Quod si verum sit, mentem, modo robustam, in tenero corpore teneram fieri; ergo mortalis est. Et hæc suadent, ut malim *Non fugient:* ferri tamen potest *Confugient.* Quum enim alii dicant vs. 755 : « Animum mutato corpore flecti », cur non alii, ut vim ar-

Mortalem esse animam; quoniam, mutata per artus
Tantopere, amittit vitam sensumque priorem.
Quove modo poterit, pariter cum corpore quoque
Confirmata, cupitum ætatis tangere florem
Vis animi, nisi erit consors in origine prima?
Quidve foras sibi volt membris exire senectis?
An metuit conclusa manere in corpore putri?
An, domus ætatis spatio ne fessa vetusto
Obruat? At non sunt jam immortali ulla pericla.
Denique connubia ad Veneris partusque ferarum,

gumentorum evitarent, *Animam in tenero corpore tenerascere*, docerent? Et ista voce *scilicet* sæpe utitur Poeta quum adversario effugium velit præcludere. *Creech.* — Egregie marginalis noster *Confugiant.* Nimirum hoc sensu : Illis hic receptum et perfugium reliquum sit, ut dicant, etc. *Preig.* et *Hav.* — *Quod si jam fit.* H. e. quod si tenerascit mens in corpore pueri.

768. *Mutata.* Namque in robusto corpore robusta fuerat; quæ nunc *mutata*, postquam in tenellum corpus migravit, amittit *vitæ* integritatem, et vigorem plenum, imperfectamque pueritiæ imbecillitatem induit. Ergo *mutata per artus* accipio de anima in alios artus transeunte, non autem ab infantiæ annis in robustam maturitatem procedente. En.

770. *Quove modo poterit*, etc. Post pugnam summis viribus magnaque animi intentione depugnatam, et fugatos, uti opinatur, adversarios, argumenta quædam levis armaturæ tanquam ad prædam colligendam emittit. Primum autem (argumentum vigesimum primum) vss. 7 inquirit unde anima adultum corpus tam impotenter deperiret, et votis suis omnibus optaret? Unde etiam membra senio confecta fugeret, et exire properaret? Immortalis enim sit, et nunquam teneri corporis imbecillitatem, aut senescentis ruinam metuet. *Creech.*

771. *Ætatis florem.* Cf. I, 565.

772. *Nisi erit consors*, nisi nata sit cum corpore anima, et cum eo moritura.

773. *Quidve foras*, etc. Quid est cur anima cupiat exire e corpore confecto ætate ac senio, nisi quia senescit æque ac corpus? — *Membris senectis*, artubus senio confectis. Sic V, 884, 894; sic Plaut. Trin. I, 2, 5; Amphitr. IV, 2, 12, et alibi plus semel, habet *senecta ætate.*

775. *An.* Supple *metuit.* Alii *et.* — Sed *an* longe animosius est, et in adversarios superbius triumphantis. *Wak.* — *Domus fessa.* Corpus, in quo habitat, longo annorum spatio fractum.

776. *Jam immortali.* Nihil metuere debet, si sit immortalis. Universi autem codices, ut videtur, habent *mortali*; mentem poetæ sic concipias: « Sed non satis est causæ cur, mortalis quæ sit, mortem aversetur ». Sed hæc nimis subtilia. *Wak.*

777. *Denique connubia*, etc. His 8 vss. continetur vigesimum secundum argumentum. Nimirum quia, si immortales essent animæ, sequeretur fore ut illæ, quasi apum examina, quum sint numero innumeræ, circumstarent ad cujusvis corporis ortum exspectantes, dum in illud insinuaretur aliqua ex illis; vel saltem prior advolans ingredi dicetur. Quo quid absurdius? *F.* — *Partusque*

Esse animas præsto, deridiculum esse videtur;
Exspectare immortaleis mortalia membra
Innumero numero, certareque præproperanter
Inter se, quæ prima potissimaque insinuetur:
Si non forte ita sunt animarum fœdera pacta,
Ut, quæ prima volans advenerit, insinuetur
Prima, neque inter se contendant viribus hilum.
Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis,
Nec cruor in lignis, neque saxeis sucus inesse:
Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat et insit:
Sic animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque a nervis et sanguine longius esse.
Quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis

ferarum, quas eo præ *hominibus* Noster allegat, quo majorem invidiam et contemptum argumentis adversariorum pariat. Et certe se non inscite festivum præstitit. *Wak.*

779. *Exspectare.* Alii *Et spectare*, minus bene : nam quasi de novo argumentum exordiri, majorem habet efficaciam et speciem acerbius insultantis. *W.*

782. *Si non forte*, etc. Nisi forte hæc inter se fœdera inierunt, ut corpora quæque sint primarum advenientium, atque ita deinde occupantium : quemadmodum vulgo dicere solemus, qui prior sit tempore, eum priorem esse jure. *Lamb.*

784. *Hilum ;* vss. 221, 513, etc.

785. *Denique in æthere*, etc. His 16 vss. continetur vigesimum tertium argumentum, quod ducitur ex eo, quod sicut ceteris rebus, v. g. arboribus, nubibus, etc. certa sit regio definita ac stata, in qua quæque nascantur, et crescant : ita et animabus certa sedes esse debet, nimirum corpora, cum quibus oriri, exsistere, ac crescere queant. *F.* — *Æquore in alto*, in ipsis profundi maris gurgitibus. Porro hi 13 vss. seqq. repetuntur V, 129.

787. *Saxeis.* Ambigi posset annon ob præc. ablatt. legendum sit *saxis.*

788. *Certum.* Id est, ratus ac statutus est locus. — *Quidquid*, pro *quidque ;* unaquæque res. — *Insit*, maneat, exsistat, et *ubi possit durare*, vs. 619.

789. *Animi.* Wakef. hic legit vellet *animæ ;* quod totius loci, ut ait, indoles demonstrat. Vide not. seq. Ed.

791. *Quod si posset*, etc. Si res possent extra suum ordinem nasci, *anima* sine corpore oriri posset, et multo magis *animus* quemcumque demum corporis locum occuparet, *humeros* puta vel calces ; neque se intra pectoris claustra (vs. 141) contineret, in eadem parte scilicet ejusdem hominis. *Wak.* — Hic etiam *animus* et *anima*, ut sæpius, confundi videntur. De animo tamen in primis hoc afferri argumentum puto, cujus ordo est : Ut nubes seorsum ab aere, ut pisces sine aqua nasci non possunt, sic animus et anima sine corpore : nam si per se et extra corpus orirentur, jam *ipse animus* soleret innasci in quavis hominis parte, capite scilicet, vel humeris vel pedibus ; et hoc sane multo fa-

In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse
Posset, et innasci quavis in parte soleret;
Quamde in eodem homine atque in eodem vase manere.
Quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
Dispositumque videtur, ubi esse et crescere possit
Seorsum anima atque animus; tanto magis inficiandum,
Totum posse extra corpus durare genique.
Quare, corpus ubi interiit, periisse necesse est
Confiteare animam, distractam in corpore toto.

Quippe etenim mortale æterno jungere, et una
Consentire putare, et fungi mutua posse,
Desipere est: quid enim divorsius esse putandum est,
Aut magis inter se disjunctum discrepitansque,
Quam, mortale quod est, immortali atque perenni

cilius, quam in eodem hominis corpore, quod est *vas* ejus (vs. 441, 554) semper *manere*. Nunc autem quoniam certum est, non modo semper in eodem homine manere *animum*, sed etiam semper in eadem corporis parte innasci; immo *animum* et *animam* separatim et sua quemque sede collocari; tanto magis manifestum est utrumque sine corpore non oriri, ideoque utrumque cum corpore interire. Vide etiam notas sequentes. Ed.

794. *Quamde.* In omnibus libris *tandem ... manere;* sine sensu. Ingeniosa est Bentleii conjectura *quamde*, ut I, 641. Equidem tamen, quoniam ad conjecturas confugiendum, mallem *nec jam*, vel simile quid; ut sic procedat oratio: Quod si solus oriretur animus, multo facilius posset in quavis parte innasci, immo etiam non *manere* in corpore, sed quando et quoties libuerit, illud relinquere, quippe nullis adeo connecteretur vinculis. Bentleii tamen lectio codicum scripturæ propior, errori ansam dare ob vocem minime tritam facile potuit. Ed.

795. *Certum;* redi ad vs. 788.

798. *Genique,* gignique; sup. vs. 434.

800. *Animam, distractam*, etc. De *anima* nunc concludit, quæ animum quoque hic comprehendit, et latius in corpore diffusa est. Ed.

801. *Quippe etenim mortale*, etc. His 6 vss. continetur vigesimum quartum argumentum ex eo deductum, quod dementiæ esse arguit jungere res mortales cum immortalibus. Corpus autem mortale est, anima vero si foret immortalis, quomodo conjungi possent res adeo inter se diversæ? *F.* — *Mortale* aliquid; scilicet corpus. Wakef. legit *mortalem*, id est, hominem, quod valde probat ad doctam orationis varietatem. Eum tamen sequi nolui, quia non apte satis opponi videntur *homo*, et *æternum aliquid*, pro corpore et anima; cf. vs. 805. Ed.

802. *Consentire*, convenire, vel compati, συμπάσχειν, concruciari. Sic vss. 154, 170, etc. — *Putare*, temere credere, non cogitate atque accurate subductis rationibus. *Wak.* — Verba intricata, quæ sic explices: Desipis si putas mortale aliquid posse cum æterno consentire, et *fungi mutua* (I, 444), mutuo pati. Ed.

Junctum, in concilio sævas tolerare procellas?
Præterea, quæquomque manent æterna, necesse est,
Aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quidquam quod queat arctas
Dissociare intus parteis; ut materiai
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante;
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut inane est,
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut ideo quia nulla loci sit copia circum,
Quo quasi res possint discedere, dissoluique;
Sicuti summarum summa est æterna, neque extra
Quis locus est, quo diffugiant; neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, et valida dissolvere plaga:
At neque, uti docui, solido cum corpore mentis

806. *Sævas tolerare procellas*, sexcentis casibus adversis jactari. *Lamb.*

807. *Præterea, quæquomque*, etc. His 23 vss. continetur vigesimum quintum argumentum. Scilicet, quia id solum immortale et æternum visum est Lucretio, quod aut solidum est, ut atomus; aut plagæ expers, ut inane; aut quod loco caret, ex quo advenientia corpora diffringant, aut in quem partes illius solutæ excedant, ut universum. Hæc enim tria solum statuit æterna; vide ad II, 303. Atqui anima nihil tale est. Igitur non est immortalis. *F.* — Hi 23 vss. iterantur V, 352. Vide Disq. varias.

809. *Quidquam quod*, etc. Sustuli distinctionem editionum post *quidquam*, quum hic ordo sit verborum : Nec pati quidquam penetrare, quod queat partes dissociare sibi. *Wak.*

810. *Materiai Corpora*, atomi, de quibus libro I.

814. *Intactum*, intactile; quod tangi nequit. Vide I, 438. *W.* — *Fungitur*, patitur, vs. 802. — *Hilum*, minimum quid, vss. 221, 513, etc. — Nihil patitur ab ictu; ictui non est obnoxius.

815. *Nulla loci copia.* Quia nullum est ex ulla parte spatium, in quod partes illius solutæ dispergi possunt. *Cr.*

817. *Summarum summa*, universum, τὸ πᾶν; I, 757; II, 303, et alibi.

818. *Quo diffugiant*, etc. Quasi, ad hoc ut res dissolvatur, cedere debeat a loco in locum; vel e loco exteriori corpora adveniant, incidant, et incurrant ita magno cum impetu, ut dissolvant res ipsas. *F.* — *Diffugiant*, scil. hæ summæ. Alii *diffugiat*; nempe summa.

820. *Uti docui.* Nimirum initio hujus libri (vs. 180), ubi animum constare dixit ex subtilioribus atomis, et intermixto ex inani; quod in cunctis rebus intermixtum esse docuit lib. I. F.—*Solido cum corpore.* Id est, res perfecte solida.—Vss. 820-829 in omnibus libris desunt, exceptis Lugd. 1, 2; perperam.

Natura est, quoniam admixtum est in rebus inane:
Nec tamen est ut inane; neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint forte coorta
Proruere hanc mentis violento turbine molem,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli:
Nec porro natura loci spatiumque profundi
Deficit, exspergi quo possit vis animai,
Aut alia quavis possit vi pulsa perire:
Haud igitur leti præclusa est janua menti.
Quod si forte ideo magis immortalis habenda est,
Quod vitalibus ab rebus munita tenetur;

821. *In rebus*, in omnibus rebus compositis.

823. *Ex infinito*, ex immenso universo, in quo infinitæ volitant atomi; vel ex *infinito* tempore; vide ad I, 996.

824. *Proruere*. Lamb. bene. Alii *corruere*. — *Molem*. Vide infra quæ in Disq. var. ad vs. 807.

825. *Cladem pericli*, periculum, discrimen, damnum. — Dissolute dixit pro *periculosam cladem*. W.

826. *Profundi*, immensi universi.

827. *Exspergi*, dispergi, dissipari, dissolvi. Animam quippe docuit supra vs. 229 sqq. constare ex quatuor, aere, igne, flatu, et quarta nominis experte natura. *F.*

828. *Perire*. Pius *teneri*, quod malim, ne sequens conclusio nimis præoccupata videatur; id est, contineri, detineri. *W.* — Immo *perire* unice verum, et ipsa sequens conclusio postulat. Ed.

829. *Janua;* I, 1105.

830. *Quod si forte*, etc. His 12 vss. occupatio est, cujus solutio locum tenet vigesimi sexti argumenti adversus animæ humanæ immortalitatem. Itaque non est, inquit, quod quis pro animæ immortalitate dicat animam a rebus letalibus et mortiferis (vide not. seq.) esse tutam, vel quia quæ incommoda et mala eveniunt animæ, ea non sunt prorsus aliena ab illius salute; hoc est, non sunt omnino illi noxia, nec ei mortem valent inferre: vel si noxia fuerint, sane prius repelluntur, quam sentiatur damnum quod inferunt. Namque hæc duo falsa esse arguit quum ex corporis morbis, quorum contagione anima ipsa labefactatur; tum ex ipsius animi curis, angoribus, lethargo, phrenesi et ex ejusmodi affectibus, quibus mens contabescit. *F.*

831 sqq. *Vitalibus*. Quod a rebus, ejus vitam conservantibus ac tuentibus, continetur; vide vs. 836. Obstupescas interea sceleri editorum de suis commentis Lucretio obtrudentium *letalibus*. W. — At quæ sunt eæ *res vitales?* quid etiam significant vss. 833 et 834? Vellem vir doctus totum locum, qui mihi valde obscurus est, explanavisset; ego sic interpretari conor: At fortasse putas mentem eo magis immortalem habendam, quod ipsa non ictibus patet, sed inter intimas corporis partes, in vitæ sede ac penetralibus, continetur circumsepta undique et munita; *aut quia* (referrem potius ad *immortalis* quam ad *munita*), usque ad eam non perveniunt quæcumque forent ejus saluti infesta; aut quia, si qua eam attingunt, aliquo tamen modo repelluntur, et frustra sunt, ante quam

Aut quia non veniunt omnino aliena salutis;
Aut quia, quæ veniunt, aliqua ratione recedunt
Pulsa prius, quam, quid noceant, sentire queamus;
[Scilicet a vera longe ratione remotum est].
Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit,
Advenit id, quod eam de rebus sæpe futuris
Maceret, inque metu male habet, curisque fatigat;
Præteritisque male admissis peccata remordent.
Adde furorem animi proprium, atque oblivia rerum;
Adde, quod in nigras lethargi mergitur undas.
Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,

ictum et cladem sentire possit. Id est, si qua plaga, vitalibus partibus inflicta, usque ad ipsam animam penetrat, tam cita mors est, ut statim ipsius plagæ violentia, sensu nobis ablato, recedat, animaque evolet, jam non idcirco ictui obnoxia. Ea nimis quæsita fortasse videbuntur; sed quomodo vss. 833 et 834 ad probandam animæ immortalitatem faciant, nemo interpretum satis ostendit; nam si *ratione aliqua* intelligas *casu* et *fortuito*, perit argumentum; quoniam pariter *casu contrario* posset concludi mortalem esse animam. Vide autem in nota proxime præced. quomodo locus vulgo exponatur. Ed.

835. [*Scilicet*, etc.] Versus hic ab omnibus exemplaribus abest, et recte, ut mea fert opinio; ad has enim ellipticas dicendi formulas lubenter scriptores optimi confugiunt. *Wak.* probante *Forb.*

836. *Morbis*, qui profecto a rebus istis *vitalibus*, vs. 831, quam longissime disjunguntur. *W.* — Vide ibi adnotata. — *Corporis ægrit.* Vide Disq. var.

838. *Maceret.* Sic libri, non *macerat*, quod editores inscite prætulere. Hic ordo est et sensus verborum: advenit id quod *maceret*, quumque advenerit, *habet* eam in metu. Cf. vs. 75. *Wak.*

839. *Præteritisque male admissis;* ea quæ peccavimus in malis actionibus vitæ, jam remordent, et nos cæco verbere cruciatos habent. *Wak.* — Vide Disq. var.

840. *Furorem animi proprium*, phrenesim, quæ morbus est animi insanientis, et furore agitati. *F.*

841. *Lethargi*, vs. 466. — *Nigras undas.* Epitheton *nigras* optime convenit lethargo, ubi clausis oculis (466 sq.) in oblivionem condimur. Quid quod *atra* Lethes flumina Lucretius haud dubie alluserit? *Wak.*

842. *Nil igitur mors est*, etc. Hactenus Poeta de animæ mortalitate; quæ prima pars fuit dissertationis propositæ initio hujus libri vss. 35 et 36. Nunc autem ab h. vs. ad vs. 1066 contendit persuadere mortem aut nihil esse, aut nihil ad nos pertinere, quæ altera pars fuit disputationis propositæ supra vs. 37 sqq. Itaque his 13 vss. primo docet a simili, ut aiunt, mortem ipsam, aut ea quæ nobis post mortem feruntur eventura, nihil magis ad nos pertinere, quam quæ in anteactis temporibus evenerunt. *F.* — Cf. autem quæ protulit Epicurus apud Diog. Laert. X, 125; Cic. De fin. II, 31, et Tusc. I, 33, 37. Vide etiam Gataker ad Marc. Anton. XII, 34. — Totum quoque hunc locum attigit,

Quandoquidem natura animi mortalis habetur.
Et velut anteacto nil tempore sensimus ægri,
Ad confligundum venientibus undique Pœnis;
Omnia quom, belli trepido concussa tumultu,
Horrida contremuere sub altis ætheris auris;
In dubioque fuere, utrorum ad regna cadundum
Omnibus humaneis esset terraque marique:
Sic, ubi non erimus, quom corporis atque animai
Discidium fuerit, quibus e sumus uniter aptei;
Scilicet haud nobis quidquam, quei non erimus tum,
Accidere omnino poterit, sensumque movere:
Non, si terra mari miscebitur, et mare cœlo.
Et si jam nostro sentit de corpore, postquam

et ad examen vocavit *Bayle*, in Dict. sub voc. *Lucrèce*, ubi plura in notis pag. 827. Ed.

843. *Habetur*, tenetur, intelligitur, comperitur. *Wak.*

844. *Nil ægri*, nil mali, nullam malum olim sensimus, quum, etc.

845. *Pœnis.* Versus sunt nobiles et magnifici; atque ut id in transitu attingam, vel hinc liquidissime ostenditur, quantos terrores Romanorum animis incusserint dirus Hannibal et Carthaginienses. *W.*

846. *Trepido tumultu.* Sic Virg. Æn. VIII, 4; confer et Lucan. I, 303. Vide autem supra in vs. 597, *trepidatur*, quo sensu nunc τὸ *trepido* accipiendum.

847. *Sub altis ætheris auris*, sub æthere, sub cœlo.

848. *In dubioque fuere;* nempe homines, vel mundus universus. Editores autem versum ex arbitrio sic refinxerunt, « In dubioque fuit sub utrorum regna, etc. » *W.* — Vide Disq. var. — *Ad regna cadundum.* Translatio est ab ædificio nutante et ruituro sumpta; quod nescias ad quam partem sit casurum denique. *W.*

849. *Humaneis*, hominibus; ut nos gallice *les humains;* vel humanis rebus.

851. *Quibus e sumus uniter aptei*, quibus facti et conflati, vel connexi et colligati sumus in aliquid unum. — *Uniter;* vs. 858. Hoc adverbium, quantum invenio, extra Lucretium certe non legitur. *Wak.*

853. *Sensumque movere*, sensum quidem corporis et animi; quum utrumque perire censeat Lucretius. Id est, male afficere corpus et animum. *F.*

854. *Miscebitur et mare cœlo.* Conf. Virg. Æn. XII, 204; Juven. II, 25.

855. *Et, si jam nostro*, etc. His 28 vss. duplicem præoccupat objectionem, quæ in locum argumenti secundi venit. Etenim potuit quis Lucretio objicere, primo animam (vide finem notæ) sibi sensum, postquam e corpore recessit, servare ac retinere: deinde futurum forte, ut eadem corpuscula et atomi, quibus constabat homo qui moritur, eodem ordine, et in eumdem hominem compaginari queant. Respondet autem utrumque nihil ad nos pertinere. Non prius, quia homo constat ex corpore et anima simul junctis; unde anima seorsum sentire non valet. Non posterius, quia, quum

Distracta est animi natura animæque potestas;
Nil tamen est ad nos, quei comtu conjugioque
Corporis atque animæ consistimus uniter aptei.
Nec, si materiam nostram collegerit ætas
Post obitum, rursumque redegerit, ut sita nunc est;
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ;
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta semel quom sit repetentia nostreis;
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
Quei fuimus: nec jam de ollis nos afficit angor,

semel vitæ nostræ cursus est interruptus per mortem, fieri nequit ut olim doleamus de iis quæ fecimus antea, neque de iis quæ patraturi sumus postea, etiamsi nostræ eædem atomi concurrant, ac congrediantur iterum in eosdem homines, ac similes nobis ipsis. *F.* — Vide etiam Disq. var. ad vs. 866. — ***Sentit.*** Nempe *aliquid* de nostro corpore. Id est, si aliqua pars nostri corporis, alii homini conjuncta forte fortuna sensum tempore quolibet recipiet. Tota loci ratio, et inprimis vss. 859, 860, 866, hanc esse poetæ mentem manifestissime declarant. *Wak.* — Dura quidem mihi videtur ellipsis *sentit de corpore*, pro *sentit pars aliqua corporis*; vellem per codices liceret legere *si quid nostro*. Melius forsan sublata distinctione locum sic constituas: « si animus (et anima) sentit postquam nostro de corpore distractus est, nihil pertinet ad *nos*; quia τὸ *nos* animam et corpus individue comprehendit; anima vero sola non est *nos* ». Verum tamen quis neget, si post mortem sensus animo remanet, ad nos etiam tum pro parte saltem *pertinere*, quoniam *pars nostri melior* superest? Sophistica vero sunt hæc Lucretii argumenta, quæ vereor an ipse recte perpenderit. Ed.

857. *Comtu*, ornatu scilicet, vel instrumento et apparatu; vide I, 88, 949, et supra vs. 260. *Comtus* atque *conjugium*, est pulchra compages animæ et corporis conjunctorum. *Wak.*

858. *Uniter aptei*, compacti in unum quid, vs. 851.

859. *Materiam nostram*, atomos, ex quibus constamus; corpus nostrum.

860. *Redegerit*, in novum scilicet hominem, ex particulis nostri corporis compositum. *Wak.*

861. *Lumina vitæ*. Eo sensu quo plurimum fruimur, et maximos gaudiorum fructus percipimus, universam vitam eleganter χαραχτηρίζουσι. *W.*

862. *Pertineat*. Huc refer *nec* a principio vs. 859.

863. *Repetentia*, recordatio, ἀνάμνησις; alii legunt *retinentia* (vs. 675), eodem sane sensu; alii tandem *repentia*, i. e. tacita et sensim progrediens vivendi assiduitas.—*Nostreis*. Alii *nostri*, ipsorum; optime, nisi consensus tot librorum adversaretur. Sed sincerissima est scriptura *nostreis; rebus* scilicet, iis quæ ad nos pertinebant; animæ nimirum corporique. *W.* — Volunt quidam *nostreis* referre ad *lumina*, vs. 861.

864. *De nobis*. Ordo est: Et nihil *de nobis*, id est, quod fuit olim nostrum, nunc attinet ad *nos qui fuimus ante*, nec jam sumus, sed periimus. W. — Jungendum profecto: *de nobis, qui* ante fuimus. Ergo sensus est: Et in hoc rerum *nostrarum* statu, nihil ad nos,

Quos de materia nostra nova proferet ætas.
Nam quom respicias immensi temporis omne
Præteritum spatium; tum motus materiai
Multimodei quam sint; facile hoc accredere possis,
Semina sæpe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta:
Nec memori tamen id quimus reprehendere mente;
Inter enim jecta est vitai pausa, vageque
Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.
Debet enim, misere est quoi forte ægreque futurum,
Ipse quoque esse in eo tum tempore, quoi male possit
Accidere: id quoniam mors eximit, esseque prohibet
Ollum, quoi possint incommoda conciliari,
Hæc eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse;
Scire licet nobis nihil esse in morte timendum:
Nec miserum fieri, qui non est, posse; neque hilum

quales *nunc* vivimus, attinet de nobismet ipsis, quales *antea* viximus. Ed.

866. *De materia nostra*, de nostris atomis, vs. 859. Vide Disq. var.

868. *Tum;* et præterea; atque etiam.

869. *Multimodei*, diversi, varii, multiplices.

870. *Posta.* In eo, quem nunc habemus, ordine dispositas fuisse atomos.

871. *Reprehendere*, rursum prendere. Alii minus bene, præterquam quod contra libros, *deprendere.*

872. *Inter enim jecta*, interjecta enim *pausa*, vitæ cessatio, ac quies; sic infra vs. 943; I, 748; II, 118, i. e. facta vitæ interruptio.

873. *Deerrarunt.* Motusque omnes quibus jactata sunt semina, erant a sensiferis motibus plane diversi. *Cr.*

874. *Debet enim misere*, etc. Argumentum fusius explicat. Is qui forte miser futurus est, debet exsistere in eo tempore quo mala et ægritudo premant: at mortuus desinit esse, nec unquam a sepulcro revertetur. Ideo mortuus nullo modo miser esse potest. *Creech.*

875. *Quoi.* Ut ei male accidere possit.

876. *Id*, scilicet τὸ *esse in eo tempore*, ut miser sit; vulgo editur *at.* Vide etiam in Disq. var. — *Mors eximit, esseque prohibet Ollum*, etc. Quoniam mors eximit id, et τὸ *fuisse ante* prohibet illum, cui hæc incommoda possint conciliari, esse eadem semina, e quibus nos nunc sumus compositi; quia scilicet, ut idem simus, necesse fuerit quum animam, tum corpus etiam convenire (vs. 858); corpus autem solum recolligitur, et anima cum *repetentia* prorsus periit. *Wak.* — Hæc omnia lucida et expedita esse pronuntiat Wak. ego vero, pace Lucretii dicam, intricatam orationem ac minime planam censeo, si tamen ab ipso auctore sic profecta est. Ad verbum *prohibet* conf. I, 976. Ed.

880. *Neque hilum*, nihilumque, vs. 814. — Idem plane esse ac si nunquam fuerit natus. Eadem ap. Cic. De amic. 4.

Differre, a nullo fuerit jam tempore natus;
Mortalem vitam mors quom immortalis ademit.
Proinde, ubi se videas hominem indignarier ipsum,
Post mortem fore, ut aut putescat corpore posto,
Aut flammis interfiat, malisve ferarum;
Scire licet, non sincerum sonere, atque subesse
Cæcum aliquem cordi stimulum; quamvis neget ipse
Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum.
Non, ut opinor, enim dat, quod promittit et unde,
Nec radicitus e vita se tollit et eicit;
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
Unus enim sibi quom proponit quisque, futurum
Corpus uti volucres lacerent in morte feræque,

881. *A nullo.* Forb. legit *an ullo;* sed vix patitur metrum. Multi libri *an nullo,* quod cum vulg. edd. Orellius exhibet.

882. *Mors immortalis.* Quia ex veterum illorum sententia, qui mortuus est, reviviscit nunquam. *Lamb.*

883. *Proinde, ubi se,* etc. His 24 vs. continetur tertium argumentum. Scilicet increpat eos, qui, licet nullum sibi post mortem sensum superfuturum fateantur, dubii tamen hærent, sibique in animo fingunt fore ut aliquid sibi mali accidat: verenturque magis ne aut a feris devorentur, aut rostris volucrum lacerentur, quam aut igne crementur, aut melle præfocentur, aut frigore rigeant. Quum tamen aliud alio non videatur acerbius. Itaque falsa est hæc indignatio, falsa cogitatio, falsusque metus, quum post mortem nihil nostri supersit vivum, aut sensu præditum, quod pati possit. *F.* — *Se indignarier ipsum.* Alii *miserarier,* contra libros.— Immo *se* hic παρελκόντως usurpatur. *H.*

884. *Posto,* posito, in terra condito, humato.— Vel potius mortuo, projecto; cf. Virg. Æn. II, 644; Ovid. Met. IX, 503; Stat. Theb. XII, 99.

885. *Interfiat,* interficiatur, absumatur, cremetur. Sic II, 1069, *confieri* pro *confici.* Cf. V, 889. — Quasi intercidat, pereat, auferatur. Plaut. Trin. II, 4, 131. *Wak.* — *Malisve ferarum,* etc. I. e. a feris devoretur, insepultus scilicet, et projectus, inhumatus.

886. *Non sincerum,* non integrum. Translatio a vitiis figulinorum vasorum, quæ tinnita solent explorari. — *Sonere;* v. 157. — Inde concludere potes illum non recte sapere, et inani aliquo timore agi. *Creech.*

889. *Et unde.* Non dat quod promittit, nec unde promiserat se daturum; id est, non re præstat, quod verbis præ se tulerit; neque ad ea principia, de quibus se professus erat persuadere, mores quadrat. *Wak.* — Non oratio e corde emittitur, sed e labris oritur. — Alii *et inde;* Lamb. *abunde.*

890. *Eicit;* II, 951.

891. *Esse sui,* etc. Sui aliquid superesse imprudens et stultus fingit.

892. *Unus enim.* Hæc lectio placet præ recepta *vivus,* nihil ad loci scopum faciente. *Wak.* — Unusquisque dum secum cogitat, fore, ut, etc.

Ipse sui miseret : neque enim se dividit hilum,
Nec removet satis a projecto corpore; et illud
Se fingit, sensuque suo contaminat adstans.
Hinc indignatur se mortalem esse creatum;
Nec videt, in vera nullum fore morte alium se,
Qui possit vivus sibi se lugere peremtum,
Stansque jacentem se lacerari urive, dolere.
Nam si in morte malum est malis morsuque ferarum
Tractari; non invenio, quî non sit acerbum,
Ignibus impositum, calidis torrescere flammis;
Aut in melle situm suffocari, atque rigere
Frigore, quom summo gelidi cubat æquore saxi;
Urguerive, superne obtritum, pondere terræ.

894. *Miseret,* pro *miseretur.* Plaut. in Trin. II, 2, 62 : « Cave tui alius misereat ». — De hoc verbo non impersonaliter adhibito conf. Rāddim. Inst. Gr. I, p. 273, not. 51. *Forb.* — *Se dividit hilum.* Minime se a cadavere separat ac distinguit. Quidam de suo *vindicat* ediderunt.

896. *Se fingit ... illud.* H. e. jam videtur sibi ipse esse hoc corpus projectum feris et volucribus, insepultumque. — *Sensuque suo contaminat.* Hæc vividior est descriptio, cum licentia poetis concessa ficta; quasi se conjungeret cadaveri, atque pollutis ejus odoribus oppleretur, subiens voluntarius Mezentii illa supplicia. *Wak.*

898. *Nec videt,* etc. Neque animadvertit, in vera morte se non fore alium aliquem, id est, non ita in alium aliquem mutari posse ut tunc etiam vivus, se ipse peremptum lugeat; stansque doleat se jacentem lacerari aut flammis absumi. Ed.

900. *Jacentem,* morte prostratum, vel insepultum. *Wak.* — *Se;* sic e Cant. Wak. edidit; vulgo *nec.* Voculam ceteri libri omittunt. — *Urive, dolere.* MSS habent *urive dolore;* Pii tamen lectio utpote elegantior merito ab editoribus recepta est. *Forb.*

901. *Malis morsuque;* pro *morsu malarum;* et nomen *feræ* non minus etiam *volucres* complectitur. *Wak.* — Vide Lambini notam in Disq. var.

902. *Tractari,* trahi, lacerari. — *Quî,* quomodo.

903. *Torrescere,* comburi, cremari.

904. *In melle situm suffocari.* Hoc quoque genus sepulturæ fuit usurpatum a veteribus, aut certe ratio servandorum corporum. Cujus meminit Xenophon Ἑλληνικῶν V, 3, 19; ubi narrat Agesipolin Lacedæmonium gravi morbo affectum, eoque ipso morbo consumtum die septimo, in melle positum, et Lacedæmonem revectum ac regia sepultura fuisse donatum. *Lamb.*

905. *Quum summo.* Editores, contra libros universos, post *quum* inferciunt *in. W.* — *Æquore saxi,* lævi superficie marmoris, in quo jacet conditum cadaver. *Wak.*

906. *Pondere terræ.* Alii, *pondere cratis,* ut alludatur ad Carthaginensium morem, qui hoc supplicii genere sunt usi, ut est apud Plaut. in Pœnul. V, 2, 65.

« Nam jam non domus accipiet te læta, neque uxor
Optuma, nec dulces occurrent oscula natei
Præripere, et tacita pectus dulcedine tangent.
Non poteris facteis florentibus esse, tueisque
Præsidium : misero misere, aiunt, omnia ademit
Una dies infesta tibi tot præmia vitæ. »
Illud in his rebus non addunt : « Nec tibi earum
Jam desiderium rerum insidet insuper una ».
Quod bene si videant animo, dictisque sequantur,
Dissolvant animi magno se angore metuque.
Tu quidem, ut es, lecto sopitus, sic eris, ævi
Quod superest, cunctis privatu' doloribus ægris :
At nos horrifico cinefactum de prope busto

907. *Nam jam non domus*, etc. His 18 vss. continetur quartum argumentum. Quoniam vulgo habetur malum privari istis rebus, quibus in vita fruimur, et actionibus, quibus fungimur ; vanam hanc opinionem deridet Lucretius, dum vulgaria refert lamenta, quibus mortuos amici prosequi solent, quasi illi hæc, quæ moriendo demiserunt, desiderent. Mortuus jacet sensus et cupiditatis expers, nihil optat, petit, aut indiget, quid igitur deflendus? *Creech.*

908. *Dulces nati.* Cf. Virg. Georg. II, 523. — *Occurrent præripere.* Domum accidenti obvenient, alter alterum præoccupare certatim festinantes. An *concurrent? Wak.*

909. *Tacita pectus*, etc. Cf. Virg. Æn. I, 502.

910. *Facteis*, tuæ vitæ florenti. *Florentibus.* Ita magnifice et egregie codices universi veteres : editores sua insulsissima *tibi fortibus* nobis largiuntur. Vide Nostrum V, 330. Non posthac esse decus tibi poteris ; nec tutamen parentibus, conjugi filiisque tuis. *Wak.*

912. *Infesta*, fatiliter inimica, quum tibi mortem attulerit. — *Præmia vitæ*, fructus, commoditates, gaudia ; vs. 969. *Wak.*

914. *Insidet.* Qui non desiderat, non videtur carere. Sed videtur ita loqui debuisse : *nec ... insidebit. Lamb.* — Hinc versum sic vulgant *insidet rerum.* Nos optime atque lucidissime : quasi de re jam facta et præsenti loquitur. *Wak.*

915. *Dictisque sequantur.* Illa dicta incipient a vs. 917 usque ad vs. 922. *Faber.* — Fuerit tamen expeditius fortasse sic mentem poetæ accepisse : si hoc bene intellexerint et sequantur, philosophia excolenda, se magnis sunt ægritudinibus liberaturi. *Wak.*

917. *Lecto sopitus.* Quemadmodum, altissimo somno vinctus, jaces doloris expers ac sollicitudinis ; sic, solutus morte, jacebis in æternum. Nullus igitur locus est angori, quum res ad somnum et quietem reditura : nec mors haberi debet somno terribilior. Omnes libri *leto;* egregie emendavit Pius. *W.*

919. *Cinefactum*, in cineres versum, ac dissolutum. — *De prope.* Sic usurpantur *dehinc, deinde, desuper*, etc. Ordo est : at nos *deprope*, de proximo, insatiabiliter deflebimus te, cinefactum

Insatiabiliter deflebimus; æternumque
Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.
Illud ab hoc igitur quærundum est, quid sit amari
Tantopere, ad somnum si res redit atque quietem,
Quur quisquam æterno possit tabescere luctu?
Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque
Pocula sæpe homines, et inumbrant ora coronis;
Ex animo ut dicant, « Brevis hic est fructus homulleis;
Jam fuerit; neque post unquam revocare licebit! »
Tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,
Quod sitis exurat miseros atque arida torreat,
Aut aliæ quojus desiderium insideat rei.
Nec sibi enim quisquam tum se vitamque requiret,

busto horrifico, id est, horrorem faciente; atque incutiente amicis tuis ægerrimum sane tui desiderium. Vulgo *te prope*, at pronomen facile potest subintelligi, et phrasis *deprope* vivide depingit mortui amicos adstantes busto atque super cinerem lacrymantes. *Wak.* — *Busto.* Bustum, inquit Festus, proprie dicitur locus in quo mortuus est combustus et sepultus. — V. Disq. var.

922. *Ab hoc.* Suppl. homine, qui talia objicit. Alii *ob hoc;* ob hanc rem; nec male.

923. *Ad somnum.* Si mortuus homo somniculoso sit similis. *Pius.* — Vide ad vs. 917.

925. *Hoc etiam faciunt*, etc. His 19 vss. continetur quintum argumentum. Igitur pergit Lucretius mortis formidinem ex hominum mentibus excutere. — Eo stultitiæ ventum est, ut etiam inter convivia, ubi mentes debeant hilaritudine et lætitiis diffundi, sollicitudinibus de vitæ brevitate gaudia sua interpelli patiantur. Usque adeo nullum tempus miseris mortalibus a cogitatione mortis vacat! *Wak.*

926. *Inumbrant ora coronis.* Id est, capitibus imponunt coronas e floribus; sic *umbrata tempora* Virg. Æn. VI, 772; cf. Stat. Th. VI, 554.

927. *Ex animo.* Redit hæc formula IV, 1191. — *Fructus*, vitæ scilicet. — *Homullis*, homunculis, miseris et imbecillis mortalibus.

928. *Jam fuerit;* mox fructus ille abierit, evanuerit: quod vivide Poeta exprimit. Sic in Psalm. XXXVI, 36: « transivi et ecce *non erat* ». Ed.

930. *Torreat.* Versus dactylicus, qui familiaris est Lucretio. Vel potius verbum pronuntiando in duas syllabas contrahendum; I, 976.

931. *Aliæ.* Antique pro *alius* in genitivo; ut notant Diomedes, Sosipater, Priscianus, et alii grammatici. — *Quojus* positum pro *alicujus.* — *Rei.* Pariter μονοσυλλάβως affertur vox in versibus Ennianis apud Cic. Tusc. III, 13. Sic Lucil. etiam in Lactant. VI, 5. *Wak.* — Alii legunt *re* pro *rei;* vel *res;* IV, 884.

932. *Se vitamque.* Latius dictum pro *vitam suam.* — *Requiret.* Virg. Æn. I, 217. Editores de suo *requirit*, quasi non hoc modo scriptores optimi centies variarent. *Wak.*

Quom pariter mens et corpus, sopita, quiescunt;
Nam licet æternum per nos sic esse soporem;
Nec desiderium nostri nos attigit ullum:
Et tamen haud quaquam nostros tunc olla per artus
Longe ab sensiferis primordia motibus errant,
Quom correptus homo ex somno se colligit ipse.
Multo igitur mortem minus ad nos esse putandum est:
Si minus esse potest, quam quod nihil esse videmus.
Major enim turbæ disjectus materiai
Consequitur leto; nec quisquam expergitus exstat,
Frigida quem semel est vitai pausa sequuta.
Denique, si vocem rerum Natura repente

933. *Quom pariter*, etc. I. e. quum dormimus altum et profundum somnum.

934. *Licet...per nos*, etc. I. e. hac conditione, ut quiescamus prorsus, et altissimo somno devinciamur, nostra nihil intererit, si vel æternus sopor ille fuerit, neque soporem talem, quo minus æternus sit, cavere quimus aut etiam curamus. *Wak.*

935. *Desiderium nostri.* Dicit poeta nos in altissimo somno de nobismet ipsis, an mortui simus an vivi, non sollicitos esse, neque ullo desiderio vitæ prorsus affici; sensu scilicet omni carentes. *W.*

936. *Et tamen*, etc. Et tamen per somnum illa primordia animæ non longe absunt ab illo sensu quem habent, quum expergiscimur: a fortiori post mortem, quum jam sensus omnis exstinguitur, nihil *est ad nos*. Equidem *errant* simpliciter pro *absunt* acciperem. Lambinus autem exponit: Non longe aberrant a motibus sensiferis, neque tota anima foras ejecta est. Quod placere etiam potest: nam hic somnum noster opposuit morti, quæ animæ atomos disjungit ac dissipat, et omnem sensum adimit. Ed.

938. *Correptus ex somno.* Virg. Æn. IV, 572. — *Se colligit*, congregat errantia sensuum primordia, e quibus homo vivens (et vigilans) consistit. *Wak.*

939. *Esse*, pertinere multo minus quam somnum; si tamen ea esse potest aliquid minus quam id quod jam deprehendimus nihil esse. Forsan ter repetitam *esse* ubique pro *pertinere*, scil. *ad nos*, accipiendum; quod mihi quidem arridet. Ed.

941. *Major enim turbæ.* Namque *leto*, in morte, major quam in somno sequitur atomorum *disjectus*, disjunctio, dissipatio; nec quisquam expergisci potest, postquam semel e vita cessit. Ed.

942. *Expergitus.* Festus: « *expergitus*, ab alio excitatus; quem solemus dicere expergefactum ».

943. *Frigida vitai pausa.* Mors, quæ est vitæ interruptio et cessatio; vs. 872. — *Sequuta*, pro *assecuta*.

944. *Denique, si vocem*, etc. His 21 vss. continetur sextum argumentum. Nimirum prosopopœia est Naturæ: id est, oratio, in qua Naturam facit sic loquentem cum homine vitæ nimium cupido, mortemque horrente: « Vel omnibus vitæ voluptatibus usus es, vel adversa fortuna. Si voluptatibus usus es, cur non, ut conviva satur e convivio recedit,

Mittat, et hoc aliquoi nostrum sic increpet ipsa :
« Quid tibi tantopere est, Mortalis, quod nimis ægreis
Luctibus indulges? Quid mortem congemis, ac fles?
Nam, si grata fuit tibi vita anteacta priorque,
Et non omnia, pertusum congesta quasi in vas,
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere;
Quur non, ut plenus vitæ conviva, recedis,
Æquo animoque capis securam, stulte, quietem?
Sin ea, quæ fructus quomque es, periere profusa,
Vitaque in offenso est; quur amplius addere quæris,
Rursum quod pereat, mali, et ingratum occidat omne?
Non potius vitæ finem jacis atque laboris?

ita tu satur e vita secedis? Sin autem adversis rebus usus es, cur vitam producere cupis, quæ tibi perfruenda non sit? nihil enim novi habeo, quod tibi possim subministrare. Qualem me hactenus expertus es, eamdem in posterum semper experieris : eadem enim sum; nec mutor usquam ». Itaque solatur eos Poeta, qui prospera sunt usi fortuna : nec despicit eos, qui adversam experti sunt. O juvenum doctor, senumque censor egregius! *F.* — Conf. Senec. Epist. 93.

945. *Hoc aliquoi.* Hypallage est pro usitatiore, *hoc* sermone *aliquem increpet.*

946. *Tantopere est quod.* Quid est tibi, homo, *ob* quod indulges luctibus nimis ægris tanto opere? *Wak.*

948. *Nam si grata fuit.* Codices hoc loco variant : simpliciorem sequimur lectionem. Exquisitior illa Wakef. placuit *nam gratum fuerit tibi vita ;* supple *si.* Et vir doctus *gratum* cum *vita* junctum longe venustissimum pronuntiat. At illud me deterret quod male, ut opinor, procederet oratio hac constructione *fuerit* et *perfluxere.* Ed.

949. *Pertusum ... vas.* Quod nihil continet, quod nunquam expletur. Sic infra vs. 1022, et VI, 19, 20. Cf. Plaut. Pseud. I, 3, 13; Terent. Eun. I, 2, 25.

950. *Ingrata,* nullam voluptatem afferentia ; vs. 971.

951. *Quur non,* etc. Imitatus est hunc locum Hor. Sat. I, 1, 117 ; et Stat. Silv. II, 2, 127.

952. *Æquo animo.* Cum animo conditioni novæ mutatæ cum vita mortis acquiescente. *Wak.*—*Securam quietem.* Mortem, in qua nihil timendum est.

953. *Quæ fructus quomque,* quæcumque fruitus es. — *Periere profusæ;* ut aqua, in terram sparsa, colligi nequit : I, 251. *Wak.*

954. *Vitaque in offenso est.* Sic libri; editores *offensu;* alii *offensa.* — Translatio autem est a viatore pedem lapillis et aliis obstaculis impingente. W. — Si vita est tibi quasi saxum ad quod offendisti ; vel si vita tua ad scopulum aliquem hæret. Prius malo. Ed.

955. *Mali,* infortunii, vel offensionis. De locutione *amplius mali,* conf. Plaut. Cist. V, 4; Menaech. V, 2, 93; Terent. Heaut. I, 1, 3. Vulgo *male ;* multo minus eleganter. *Wak.*

956. *Non ... jacis.* Cur non terminas

Nam tibi præterea, quod machiner inveniamque,
Quod placeat, nihil est : eadem sunt omnia semper.
Si tibi non annis corpus jam marcet, et artus
Confectei languent; eadem tamen omnia restant,
Omnia si pergas vivendo vincere secla;
Atque etiam potius, si nunquam sis moriturus : »
Quid respondemus, nisi justam intendere litem
Naturam, et veram verbis exponere causam?
At qui obitum lamentetur miser amplius æquo,
Non merito inclamet magis, et voce increpet acri?
« Aufer abhinc lacrumas, Barathre, et compesce querelas ».
Grandior hic vero si jam, seniorque queratur;

ponis vitæ tuæ et ærumnis ? Vulgo *nec... facis ;* male.

957. *Machiner inveniamque.* Hoc quoque per hendyadem debet accipi : quod tibi per machinam quamlibet invenire ac comparare valeam. *W.*

958. *Quid placeat.* Nihil nunc invenire possum amplius, quod gratum tibi sit ; omnia immutabili eunt ordine. Ed.

959. *Si tibi non annis*, etc. Licet tibi corpus adhuc plane vigeat, et floreant vires, ideoque longos annos sis numeraturus, ne tamen speres quidquam in rebus mutatum iri ; eadem semper omnia videbis, etiamsi diutissime, aut potius in æternum vivas. Ed.

961. *Secla ;* non *hominum*, sed *annorum.*

962. *Atque etiam.* Versus admodum suspectus. Vide Disq. var.

963. *Quid respondemus.* Hæc inchoatam a vs. 944, phrasim claudunt et explicant.

964. *Veram causam ;* id est, jure adversus nos contendere ; veritatem jurgio et objurgationibus prætendere ; non falsis argumentis litigari. Ed.

965. *At qui obitum*, etc. His 20 vss. continetur septimum argumentum. Est autem prosopopœia, seu oratio ejusdem Naturæ, quam loquentem inducit, et objurgantem eos, qui vitæ desiderio nimis tenentur, mortemque obire recusant, quasi vita non expletos ; quum tamen ea sit rerum vicissitudo, ut aliæ aliis cedant, aliæque generentur ac crescant ex interitu et seminibus aliarum, neque vita ulli detur ad mancipium, sed cunctis ad usum. *F.* — Hinc facetissimus exstat dialogus apud Lucian. Menippi et Chironis, in quo Chiron interrogatus a Menippo, cur mori maluerit, quum sibi immortali esse liceret, respondet, perpetuum rerum tenorem, et similia omnia suo tempore vicissim excurrentia satietatem vitæ sibi peperisse. *Lamb.* — *Amplius æquo ;* hæ voces rectius existimo referri ad *lamentetur*, quam ad *miser. Wak.*

967. *Barathre ;* a recto *barathrus*, id est, ὁ βαραθρου ἄξιος ἄνθρωπος, interp. Thoma Magistro, in Lexico. — Nos tamen *barathrus* potius, ut *barathrum* accipimus ; hominem utique, in quem collata commoda pereunt prorsus, et ingrata occidunt, vs. 955, perniciem quasi ac voraginem bonorum vitæ. Horat. Epist. I, 15, 31. *Wak.*

968. *Grandior seniorque.* Grandior senio. Uberius dictum est et satis pro

« Omnia perfunctus vitai præmia, marces;
Sed, quia semper aves, quod abest, præsentia temnis,
Imperfecta tibi elapsa est ingrataque vita;
Et nec opinanti mors ad caput adstitit ante,
Quam satur ac plenus possis discedere rerum.
Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte,
Æquo animoque, agedum, magneis concede; necesse est: »
Jure, ut opinor, agat; jure increpet, inciletque.
Cedit enim, rerum novitate extrusa, vetustas
Semper, et ex aliis aliud reparare necesse est:
Nec quisquam in barathrum, nec Tartara deditur atra.
Materies opus est, ut crescant postera secla:

consuetudine, sermone profluentissimo poetæ. *Wak.*

969. *Perfunctus.* Sic libri omnes; editi tamen *perfructus.* Sed bene *perfungi* de eo qui omnes vitæ commoditates obierit et expertus sit; vs. 912; adeo ut id quod supersit temporis, ærumnas potius, atque omnes senectutis injucunditates, videatur allaturum. *Wak.*— *Marces.* Nota interrogationis non erat hic editoribus ponenda. « Quamvis *omnia*, etc. nihil tamen profecisti, neque vel hac conditione de vita potes animo contento cedere. » *Wak.*

970. *Arcs, quod abest.* Sed quia semper bona absentia desideras, et præsentia respuis, ideo vita tibi effluxit sine fructu ac deliciis, et inopinantem mors deprehendit antequam vita fores satiatus. Sic oratio melius procedit quam si post *temnis* majorem ponas distinctionem, ut editores plerique voluere. Ed.

971. *Ingrata;* vs. 950. Horat. Epist. I, 1, 23.

973. *Plenus rerum;* vitæ deliciis satiatus. — *Discedere*, de vita separari, aliam viam ingrediendo.

974. *Nunc aliena*, etc. Jam vero *mitte*, relinque, abjice omnia quæ ætati tuæ non conveniunt.

975. *Magneis concede.* Cede locum *grandibus* ætate ac florentibus; non autem, ut tu es, *grandioribus*, vs. 968. Editi communes *jam aliis*, sed an ex libris MSS, valde dubito. *Wak.*—Immo *magnis* est neutrum plurale; a magnis, lætis illis rebus, quarum jacturam defles, jam procul discede. *Orell.*—Censor Orellii Jenensis, cui nulla harum rationum satisfacit, conjicit *magnus*, quod sane speciosissimum censeri debet. *Forb.*

976. *Jure agat.* Hæc respondent τῷ *si* vs. 968. — *Inciletque.* Nonius II, 230: «*Incilare* est increpare vel improbare».

977. *Vetustas.* Res veteres novis supervenientibus continuo cedunt.

978. *Reparare;* nempe Naturam; ne constructio labascat; nam verbum *reparare* intransitive, ut putem, adhiberi nequit. *Wak.*

979. *Nec quisquam ... deditur.* Contra omnes libros, editi *nec quidquam ... decidit.* Sed τὸ *quidquam*, quum de hominibus potissimum verba fiant, longe cadit imbecillius et frigidius membranarum lectione: *deditur* autem verbum, vice *deorsum datur*, primariam et maxime propriam sibi significationem vindicat. *Wak.*

980. *Materies opus est.* Sic loquutus

Quæ tamen omnia te, vita perfuncta, sequentur :
Nec minus ergo ante hæc, quam tu, cecidere cadentque.
Sic alid ex alio nunquam desistet oriri :
Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
Respice item, quam nil ad nos anteacta vetustas
Temporis æterni fuerit, quam nascimur ante.
Hoc igitur speculum nobis Natura futuri
Temporis exponit post mortem denique nostram.
Num quid ibi horribile apparet ? Num triste videtur
Quidquam ? Non omni somno securius exstat ?
Atqui animarum etiam, quæquomque Acherunte profundo

est II, 815. — *Postera secla*, genera rerum ventura.

985. *Antequam tu;* vulgo *quam nunc*, contra libros. — *Cecidere cadentque.* Horat. Art. poet. 70.

986. *Sic alid;* I, 264, 1103; et V, [illegible]

987. *Mancipio ... usu.* Verba sunt ex Jurisconsultorum penu deprompta. *Mancipium*, sive *dominium* est plena in rem [illegible], jus utendi et abutendi, ut [illegible] autem est jus utendi aliqua [illegible] personalem duntaxat et quotidianam [illegible] indigentiam. Vide ad Horat. [illegible] II, [illegible], 159. Ed.

988. *Respice item quam nil ad nos.* His [illegible] continetur octavum argumentum, [illegible] ducitur. Sicut enim, inquit, [illegible] secula nihil ad nos pertinuerunt, et securiora nobis videntur [illegible], in quibus sumus : ita ventura secula nihil ad nos pertinebunt, in quibus [illegible] sepeliemur. *F.*

989. *Quam nascimur ante*, antequam nasceremur.

990. *Speculum.* In quo intueri potes [illegible] futuri temporis imaginem.

991. *Exponit*, proponit, foris ponit et exprimit, exhibet. *Lamb.*

[illegible] Lambinus de tempore præ[illegible] quam nasceremur intelligit; alii autem de futuro post mortem. Posterius quidem magis placet, quamquam forsan de utroque capi possit, siquidem ex uno ad alterum similis argumenti vis deducitur. Ed.

990. *Securius.* Magis liberum timoribus omnium horribilium ac tristium, quam si somno vincti jaceremus. *Wak.*

991. *Atqui*, etc. His 46 vss. jam conatur Poeta persuadere hominibus nihil mali post mortem futurum, eaque omnia, quæ de infernalibus pœnis vulgus hominum credit, vitæ solius esse vitia. *F.* — Poetarum fabulas, de Tantalo vss. 6, de Tityo vss. 11, de Sisypho vss. 8, de filiabus Danai vss. 8, de Cerbero, Furiis, et lacu Sulphuris vss. 13, commode explicat et illustrat : quippe istæ fabulæ narrantur de vivis. Superstitiosus est Tantalus; Tityus vero ille qui fœda libidine captus et victus ducitur : Sisyphus repræsentat illum qui imperia et magistratus impotenter ambit, nec unquam est voti compos. Filiæ Danai sunt cupidi, et insatiabiliter avari. Cerberum autem, Furias, et id genus reliqua inter carnifices requiras; seu potius in ipsa, maximo isto tortore, impiorum conscientia. *Creech.* — *Atqui animarum etiam.* Sic ap. Priscian. I, p. 554. Alii *atque ea nimirum*, ingeniosa satis variatione;

Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis:
Nec miser impendens magnum timet aere saxum
Tantalus, ut fama est, cassa formidine torpens;
Sed magis in vita Divom metus urguet inanis
Mortaleis; casumque timent, quem quoique ferat fors.
Nec Tityon volucres ineunt, Acherunte jacentem;
Nec, quid sub magno scrutentur pectore, quidquam
Perpetuam ætatem possunt reperire profecto,
Quamlibet immani projectu corporis exstet:
Qui non sola novem dispersis jugera membris
Obtineat, sed qui terrai totius orbem,
Non tamen æternum poterit perferre dolorem,

sed nostra lectio longe potior videtur. Per *atqui*, καίτοι, καὶ μήν, procedere vel optime solent argumenti transitio atque consecutio sententiarum; et phrasis *omnia animarum* exquisitior est pro: omnia ad animas spectantia. *Wak.* — Forb. *atque* recepit.

993. *Timet aere saxum.* Tantalus in aere suspensus, timet saxum capiti impendens. Alii jungunt *impendens in aere.* Sed ad rem optime Lambinus apposuit locum Euripidis, Orest. vs. 5; cujus verba pæne ad verbum reddidit Lucretius: ὡς λέγουσι, Τάνταλος, *Tantalus, ut fama est*, κορυφῆς ὑπερτελλοντα, *impendens*, δειμαίνων πέτρον, *timens saxum*, Ἀέρι ποτᾶται, in *aere* pendet. Notat insuper Wakef. hoc quoque supplicii genus Tantalo attribui apud Pindarum, Ol. I, 92; et Cic. Tusc. IV, 16; Fin. I, 18. Ed.

994. *Cassa formidine.* Inanis est ille Tantali metus quum nunquam saxum decidat; sic in vita inanis est Divum metus, qui mortalia nil curant. Ed.

996. *Casumque.* Puerilem lusum in ista voce reprehendit Creechius, morosa nimis severitate; quidni liceret poetæ ad *verbi* etymon respicere, quum *res ipsa* usitatissima hac metaphora centies efferatur: *incidunt, impendent mala?* Ed.

997. *Ineunt.* Virg. Æn. VI, 595 sqq. ubi de vulture, *habitatque sub alto Pectore.*

998. *Nec quid.* Sic Wak. et Forb.; vulgares editi *quod.* — Neque possint perpetuo reperire quidquam, quo sub Tityi pectore pascantur. *Lamb.*

1000. *Quamlibet.* Quamvis, vel quantumvis. — *Projectu.* Plinius Nat. Hist. XVII, 19: «*projectu* frondis ita defenduntur, ut per ipsas non defluant imbres». *Wak.*

1001. *Qui non sola.* Quippe qui, etiamsi non solummodo occuparet novem jugera, sed totum orbem; attamen, etc. — *Novem jugera.* Virg. loc. cit. Ovid. Met. IV, 457. — *Dispersis.* Hoc vocabulum ad amplitudinem vastam depingendam mihi videtur omnium longe commodissimum; ut id Tityo integris artubus contigisse existimetur, quod alteri, nisi deartuato, fieri non potest; nempe ut tantis intervallis ejus membra distent. *Wak.*

1003. *Non poterit*, etc. Non sufficiet æterno huic supplicio. — *Perferre dolorem.* Virg. Æn. IX, 426. *Wak.*

Nec præbere cibum proprio de corpore semper.
Sed Tityos nobis hic est, in amore jacentem
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor;
Aut alia quavis scindunt turpedine curæ.
  Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
Qui petere a populo fasceis sævasque secureis
Imbibit; et semper victus tristisque recedit.
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur unquam,
Atque in eo semper durum sufferre laborem;
Hoc est advorso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen a summo jam vortice rursum
Volvitur, et plani raptim petit æquora campi.
  Deinde animi ingratam naturam pascere semper,
Atque explere bonis rebus satiareque nunquam;

1005. *Hic est... quem.* Est amator. Vide quæ Macrob. similiter disserit, Somn. Scip. I, 10. — *Jacentem*, cubantem, quasi ægrotantem.

1006. *Volucres.* Censor Knebelii Halensis non ingeniose arbitratur Lucretium verbo *volucres* alludere ad Cupidines seu amoris deos alis præditos. *Forb.* —*Exest anxius angor;* quem exedit acris penetransque anxietas; sic *sonitu sonanti*, I, 826.

1007. *Alia quavis turpedine curæ;* id est, curæ quamvis aliam turpedinem habentes; forti nempe viro, et veram rerum naturam callenti, dedecorosam. *Wak.* — Forsan int. *scindunt* et lacerant alia qualibet *turpi libidine.* Vide Disq. var.

1008. *Sisyphus*, homo ambitione laborans. Macrob. l. c.

1009. *Sævasque secures.* Virg. Æn. VI, 820.

1010. *Imbibit*, in animum induxit. Sic loquitur VI, 72; et Cic. Orat. pro Quint. 4.— *Imbibere*, « id est, in mente ac cogitatione defigere, ut evelli non queat, » quemadmodum Muretus explicat, Varr. lectt. XV. *Forb.*

1011. *Inane.* An quia *nunquam datur;* vel potius, quia per se vanum est, neque ad hominis veram felicitatem quidquam confert? Ed.

1012. *In eo*, petendo.

1013. *Nixantem*, se fulcientem, pede scilicet summa vi in terram presso. Cf. poeta vetus apud Cic. Tusc. I, 5. *Wak.* — Cæterum in hac descriptione exsequenda totis viribus locum Homeri consummatissimum (Odyss. XI, 594) Lucretius pressis vestigiis æmulatus est. *W.*

1014. *Quod tamen.* Wak. mallet hic legere *tandem;* sed frustra; vide ad vs. 552. Ed.

1016. *Deinde animi*, etc. His 8 vss. Danaidum pœnas explicat de hominibus, qui rebus ac terræ frugibus nunquam expleri aut satiari queunt. — *Ingratam;* quia nullos fructus capit, ideoque nullas grates habet. *Wak.*

1017. *Atque explere*, etc. Nunquam explere, neque satiare. — *Explere* autem est, usque ad labra implere; *satiare*

Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Quom redeunt, fetusque ferunt variosque lepores;
Nec tamen explemur vitai fructibus unquam :
Hoc, ut opinor, id est, ævo florente puellas
Quod memorant laticem pertusum congerere in vas;
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.
Cerberus et Furiæ jam vero, et lucis egestas,
Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus;
Quei neque sunt usquam, nec possunt esse profecto:
Sed metus in vita pœnarum pro male factis
Est insignibus insignis; scelerisque luela
Carcer, et horribilis de saxo jactus eorum,
Verbera, carnufices, robur, pix, lamina, tædæ :

vero ita explere, ut exundet etiam. *Wak.*

1018. *Quod faciunt*, etc. I. e. quod fit, quum redeuntibus annis, tanta rerum copia, quas terra parit, fruentes nunquam tamen explemur. *F.*

1019. *Lepores.* In sensu latissimo hoc nomen apud Lucretium accipitur pro omni quod venustum est, festivum ac jucundum. *Wak.*—Cf. vs. 1049.

1020. *Nec tamen explemur*, ita ut contenti simus de vita discedere, quasi convivæ saturi, fructuum pleni et jucunditatum. *Wak.*

1021. *Puellas*, Danaidas.

1022. *Pertusum in vas.* Sic vs. 949.

1023. *Potestur.* Sic *potesse*, I, 666. Plaut. Merc. III, 2, 10.

1024. *Cerberus et Furiæ*, etc. His 13 vss. docet nusquam esse Cerberum, Furias, Tartarum, pœnas, verbera, et alia id genus instrumenta, quibus apud Inferos dicuntur plecti sontes.— *Lucis egestas*, id est, lucis perfectissima privatio, caligo mera, αὐτότατον σκότος. Hæc est lectio vetustissimorum exemplarium; vulg. *egenus*. *W.*

1025. *Eructans æstus.* Sic de *Tartareo* Acherunte Virg. VI, 297, *æstuat atque ... eructat.* — *Æstus*, flagrantem vaporationem, quam Virg. Æn. VI, 240, plenius descripsit. *W.*

1026. *Quei.* Sic optimi codices; vulgo *hæc;* haud dubie a correctore. Nempe plenior erat distinctio ad finem præeuntis versus ponenda; quasi Noster diceret: « Jam vero Cerberus et Furiæ sunt etiam nobis animadvertendæ ». Similem constructionis decurrentis abruptionem vide ad vs. 1052. *Wak.*

1028. *Insignibus.* Rarior hujus vocis in vituperatione usus. — *Luela*, expiatio sceleris et pœna.—Quæ vox non videtur extra Lucretium hodie reperiri. *W.* — Nonnulli tamen legunt *Numella.* Est autem Numella, ait Nonius, machinæ genus ligneum ad discruciandos noxios comparatum, quo et collum et pedes immittunt. Plaut. Asin. III, 2, 5.

1029. *De saxo jactus.* De hoc autem genere supplicii vide Horat. Sat. I, 6, 39. Dejiciebantur enim rei perduellionis apud Romanos de Tarpeio monte. — *Eorum;* vulgo *deorsum*, libris omnibus reclamantibus. *W.*

1030. *Robur.* Tormenti instrumentum; vel equuleus, vel crux, vel palus,

Quæ tamen etsi absunt, at mens sibi conscia factis,
Præmetuens, adhibet stimulos, torretque flagellis:
Nec videt interea, qui terminus esse malorum
Possit, quive siet pœnarum denique finis:
Atque eadem metuit magis, hæc ne in morte gravescant.
Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.
Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
«Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit;»
Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.
Inde aliei multei reges rerumque potentes
Occiderunt, magnis quei gentibus imperitarunt.
Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum

vel simile quid. — *Pix.* Pice fervente infusa olim quorumdam maleficorum hominum corpora urebantur. *Lamb.* — An *molestam tunicam* Noster respexit Juven. VIII, 235? — *Lamina.* Horat. Epist. I, 15, 36. — *Tædæ.* Perlegas interpretes ad Juven. I, 155; nam id genus cruciatus hic respici facile crediderim. *Wak.*

1031. *Factis.* Editi communes *facti*, constructionem vulgarem exquisitiori illepide præponentes. Cf. Virg. Æn. IV, 168; Lucan. I, 20; Silius III, 399. *W.*

1032. *Præmetuens*, pœnam metuens ante quam re ipsa experiatur. — *Adhibet stimulos*, id est, agit se in carnificem et præsumit ultionem. *W.*

1034. *Quive siet.* Forbiger vulgatam restituit *nec quæ sit*, non uno etiam codice defensam.

1035. *Atque eadem;* scilicet *mens.* Ad *metuit* potius referam τὸ *magis* quam ad *gravescant. W.*

1036. *Hinc;* ex omnibus istis quæ sigillatim modo a vs. 991 ordine memoraverim. *W.* — *Acherusia*, anxia, sollicita, ærumnosa, omnibus denique pœnis et cruciatibus referta, ita ut vivi videantur eas ferre pœnas, quas apud Inferos damnati ferre dicuntur. *Lamb.* — *Stultorum.* Ut qui commoditates et amœnitates vitæ per stolidam fatuitatem negligant. *W.*

1037. *Hoc etiam tibi*, etc. His 29 vss. seqq. consolatur interim mortalem quemque de sua mortali conditione, quod multi reges, imperatores, philosophi, et sapientes mortui sint, nec meliori usi sint conditione, quam vulgus hominum. *F.*

1038. *Sis oculis.* Festus: «*Sos* antiqui pro *suos* ponebant; ut quum per dativum casum Ennius effert, *postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit*». Unde perspicuum est, Lucretium hunc versum ab Ennio mutuatum esse. *Lamb.* — Est itaque quasi diceret poeta: Potes subinde te tute alloqui hoc notissimo versu Enniano, et ægrum animum consolari. *W.* — *Ancus.* Quartus Romanorum rex; de quo Virg. Æn. VI, 816; Horat. Od. IV, 7, 15.

1040. *Rerumque potentes.* Imperatores, viri potentissimi.

1042. *Ille quoque*, etc. His 5 vss. loquitur de Xerxe. — Cf. quæ ad rem similiter extulere Anctor Culicis vs. 30; Lucan. II, 672; Juvenalis, Sat. X, 175;

Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus salsas docuit superare lacunas,
Et contemsit equis insultans murmura ponti;
Lumine ademto, animam moribundo corpore fudit.
Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,
Ossa dedit terræ, proinde ac famul infimus esset.
Adde repertores doctrinarum atque leporum:
Adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus,
Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete est.
Denique, Democritum postquam matura vetustas

Manil. III, 20; Sidon. Apoll. V, 461; Claudian. in Ruf. II, 120; inprimis Herod. lib. VII, 20 sqq. et Diod. lib. XI, 2-5. Ed.

1043. *Iterque dedit.* Et dedit legionibus suis *ire iter,* incedere *per altum* mare.

1044. *Pedibus.* Ammian. Marc. XXII, 8: « Xerxes, junctis pontibus, *maria pedibus* peragravit ». Est poetica rei magnificatio, quasi re vera liquidam ponti superficiem perambulasset; cf. I, 201. W. — *Superare.* Alii *super ire;* quæ vox jam præcessit. — Virg. Æn. IX, 314: « egressi *superant fossas;* » *lacunæ* autem sunt *fossæ* interprete Servio ad G. I, 117; III, 365. *W.*

1045. *Equis.* Rem iterum verbis amplificat: dicit enim Xerxis copias non modo *pedibus*, sed etiam *equis* Hellespontum transivisse; et sic imagine duplici magnitudinem exercituum simul et superbam Xerxis impotentiam repræsentat. Quare optime, opinor, librorum omnium lectionem *equis* Wak. reduxit, loco Lambinianæ correctionis *aquis.* Ed. — Refero *equis* ad *contemsit*, quamvis ferri poterat *equis insultare* pro *cum equis.* Virg. Æn. VII, 580: « Nemora avia matres *Insultant thiasis* ». *Insultans*, insiliens, calcans cum fastu quodam. Ovid. Met. I, 134; Tacit. Ann. II, 8. *Wak.* — Forb. potius jungendum putat *equis insultans*, quum Lucretius duplicem hujus verbi significationem spectasse videatur et *equitandi*, et *irridendi;* sed forsan acutius. Ed.

1047. *Scipiades*, Scipio. — *Belli fulmen.* Sic Virg. Æn. VI, 843, « Duo fulmina belli, Scipiadas ». Vide etiam Sil. Ital. VII, 106.

1048. *Famul.* Antiquitus dicebatur *famul* pro *famulus;* Nonius. Sic Ennius, lib. VIII, « Mortalem fortuna repente Reddidit e summo regno ut famul infimus esset ».

1049. *Adde.* Non modo reges et imperatores occubuere, sed poetæ summi philosophique. — *Leporum*, id est, literarum amœniorum omnium, præter poeticas elegantias, de quibus in proximo versu. *W.*

1050. *Heliconiadum,* Musarum, quæ ab Helicone monte sibi sacro dictæ sunt Heliconiades. — *Unus*, unicus, sine rivali; cui nihil simile, aut secundum; II, 1077.

1051. *Sceptra potitus*, principatum obtinens. — De regimine vide etiam II, 653. — *Aliis.* Hellenismus, τῇ αὐτῇ τοῖς ἄλλοις. H. e. eadem, qua alii sopiti sunt quiete.

1052. *Democritum.* Qui centum et novem annos quum vixisset, mortem sponte oppetiisse traditur. Non igitur exspectavit mortem Democritus, sed antevertit, et caput ipsi sponte obtulit.

Admonuit memores motus languescere mentis,
Sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.
Ipse Epicurus obît, decurso lumine vitæ;
Qui genus humanum ingenio superavit, et omneis
Restinxit stellas exortus uti aerius sol.
Tu vero dubitabis et indignabere obire,
Mortua quoi vita est prope jam vivo atque videnti?
Qui somno partem majorem conteris ævi;
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
Sollicitamque geris cassa formidine mentem;
Nec reperire potes, quid sit tibi sæpe mali, quom
Ebrius urgueris multis miser undique curis,
Atque, animo incerto fluitans, errore vagaris?

1053. *Memores.* Sic libri omnes, non *memorem;* quæ est arbitraria Lambini correctio. *Memores* autem *motus* sunt id officium mentis per quod *sui meminit*, et agnoscit se. W.

1055. *Ipse Epicurus.* Hunc laudat, quasi sapientium omnium facile principem. Sic initio hujus libri. — *Decurso lumine.* Pulcherrima translatio a sole diurnum curriculum peragente. Id est, curriculo vitæ non præproperanter intercepto, sed juste finito per maturam vetustatem. *Wak.*

1057. *Restinxit.* Nam solis exorientis luce sidera minora, quasi infusis aquis, exstingui solent. *W.* — *Aerius sol.* Sic omnes libri vetustiores, cujuscumque generis, præter Vind. qui cum vulgaribus edd. habet *ætherius*, sed male. *Aerius sol* is est qui in aera emergit ex oceano; *ætherius* autem qui medium cœli vel saltem altiores cœli tractus perequitat. W. — Ego vero hoc discrimen Latinis ignotum, astraque ab iis in æthere, non in aere collocata fuisse censeo (Cic. Nat. D. II, 15 et 19). Unde *ætherius* perpetuum apud Lucret. est solis epitheton, V, 216, 268, 282, 390. *Orell.* — Hinc Forb. *ætherius* reduxit; melius forsan: codicibus tamen obsequimur. Noster autem verba non stricte observare potuit; sic enim lib. IV, vs. 183 *ætherias nubes* dixit pro aere. Ed.

1059. *Mortua cui vita vivo.* Bene; nam vita non est *vivere*, sed *valere*, teste Martiale. *W.*—*Vivo atque videnti.* Formula proverbialis. Terent. Eun. I, 1, 28.

1061. *Vigilans stertis.* Plaut. Amph. II, 1, 176, *vigilans somnio;* et ibid. 2, 65. — *Somnia cernere*, vanis semper insomniis illusus.

1062. *Cassa formidine*, inani metu. Sic. vs. 994.

1064. *Ebrius urgueris.* Ita curarum plenus, ut vertiginosus quasi et commotus sensibus evadas. *W.*—Terent. Eun. IV, 3, 13, (655) « temulenta es », id est, *ebria* malis, ægritudine. *Faber.*

1065. *Animo.* Editiones hodiernæ ex arbitrio emendantium dederunt *animi;* sed undequaque proba est vulgata lectio. Non liquet tamen quæ sit optima via distinguendi: utrum *atque an. incerto, fl. errore, vag.* an rursus, *atque animo, inc. fl. errore, vag. W.* — Hanc ultimam

Si possent homines, proinde ac sentire videntur
Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
E quibus id fiat causis quoque noscere, et unde
Tanta mali tamquam moles in pectore constet;
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus:
Quid sibi quisque velit, nescire, et quærere semper;
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
Exit sæpe foras magnis ex ædibus ille,
Esse domi quem pertæsum est, subitoque reventat;
Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.
Currit, agens mannos, ad villam præcipitanter,
Auxilium tecteis quasi ferre ardentibus instans:
Oscitat extemplo, tetigit quom limina villæ;
Aut abit in somnum gravis, atque oblivia quærit:
Aut etiam properans urbem petit atque revisit.
Hoc se quisque modo fugit: at, quem scilicet, ut fit,

distinctionem minime probandam recte censet Forb.

1066. *Si possent homines*, etc. His 42 vss. docet quod, si homines ita suarum ægritudinum ac molestiarum causas noscerent, sicut earumdem sentiunt aculeos et gravitatem, sane non ita viverent, ut magna ex parte illos vivere videmus. Noverint igitur mortali esse conditione, ne ita vitæ cupidi sint. *Fay.*

1069. *Mali moles.* Cicero, in Catilinam, III, 7: «non facile hanc *tantam molem mali* a cervicibus vestris depulissem». Ed.

1070. *Nescire.* Supple e præcedd. *videmus.*— Distinctum volui ad *videmus;* ut pulchre variaretur constructio politissimæ periodi, et artificem egregium vociferantis. *W.*

1072. *Commutare locum.* Eadem sæpe Horatius protulit; vide Epist. I, 14, 12; Od. II, 16, 18; III, 1, 40, al. Ed.

1073. *Magnis ex ædibus.* Quamvis amplus sit exspatiandi locus, æstuat, quasi angustissima cavea conclusus. *W.* — Talis describitur Charinus ille apud Plaut. Merc. III, 4, 1. *Lamb.*

1075. *Nihilo melius.* Vitam non minus molestam esse foris quam domi. *Cr.*

1076. *Mannos.* Equos parvos et breves. Horat. Epist. I, 7, 77.— *Ad villam.* Editores in hunc versum intrudunt *his* post *villam*, contra universam exemplarium bonorum auctoritatem. De eodem homine etiamnum poeta loquitur. W.

1078. *Oscitat.* Oscitatio quippe hominis est aliud agentis, et præsentibus non contenti, et quæ adsunt fastidientis, et quæ absunt desiderantis. *Lamb.*

1079. *Gravis.* Poetice dictum est pro: «abit in somnum *gravem*»; quæ locutio respicit nimirum palpebrarum ingravescentium demissionem. *Wak.* — Malim equidem *gravis* ad omnem corporis habitum referre, quum homo tædiorum *pondere defatigatus* procumbit, eumque *confectum curis somnoque gravatum*

Effugere haud potis est, ingratiis hæret, et odit;
Propterea, morbi quia causam non tenet æger:
Quam bene si videat, jam rebus quisque relictis
Naturam primum studeat cognoscere rerum;
Temporis æterni quoniam, non unius horæ,
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Ætas post mortem, quæ restat quomque, manendo.
Denique tantopere in dubiis trepidare periclis
Quæ mala nos subigit vitai tanta cupido?
Certe equidem finis vitæ mortalibus adstat,
Nec devitari letum pote, quin obeamus.
Præterea vorsamur ibidem atque insumus usque;

premit alta quies, ut ait Virg. Æn. VI, 520. Ed. — *Oblivia*. Vult enim, ut Horatius (Sat. II, 6, 61), « Somno et inertibus horis Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ ».

1082. *Potis est*. Conf. ad I, 453. —*Ingratiis*, aut *ingratis*; id est, invite, præter voluntatem et non sponte; quod Græci dicunt ἀκουσίως. Plaut. Amph. I, 1, 215; Ter. Eun. II, 1, 14, al. *Lamb.* — *Hæret, et odit*. Hæc est optimorum librorum lectio, quam non intellectam editores mutavere. Vulgo *et angit;* Wak. *et obit* (quasi *obbit*) obversatur, circumit. At veterem scripturam cur ejiciamus si qua ratione explanari possit? Hanc igitur esse opinor Lucretii sententiam: « Hoc modo quisque se conatur effugere; sed frustra; ideoque *ei*, quem evitare non potest, invitus adhæret, et *eum* odit; id est, sibimet ipsi, non sponte adhærens, fit odiosus ». Ed. — Orellius *odit* mitiori aliquanto, quam solito, sensu dictum putat (ut Horat. Epist. I, 14, 20); ad *hæret* autem *circa, apud eumdem* vult subintellectum. *Forb.*

1083. *Non tenet*, non novit, non comperit; II, 1174.

1084. *Rebus relictis*. I. e. rebus aliis omnibus relictis; usitatum loquendi genus. *Lamb.*

1087. *Ambigitur*, in controversiam datur : h. e. non quæritur de statu unius horæ, sed temporis æterni, quod est post mortem.

1088. *Manendo*. H. e. in quo statu temporis æterni homines omnem ætatem, quæcumque post mortem restat, necessario permanebunt; neque unquam iterum hanc lucem revisent. — Verba *ætas sit manendo* ejusdem omnino sunt structuræ Virgilianis illis, G. I, 4, *qui cultus habendo sit pecori*. Editores de suo *manenda*. W.

1091. *Certe equidem*. Sic omnes fere codices; vulgati *certa quidem*, fortasse melius; sed libris non obnitendum. Forb. tamen censet mendum a librariis profectum, qui *finem* genere femin. usurpatum concoquere non possent : at in re vulgatissima nescio an huic errori locus sit. Ed.

1092. *Pote*. I. e. potest. Græcis δυνατὸν, quod possibile, dicitur. Cf. vs. 1082.

1093. *Vorsamur ibidem*. In iisdem semper vitæ voluptatibus, quæ ideo citius satietatem et tædium afferunt. Ed.

Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas :
Sed, dum abest, quod avemus, id exsuperare videtur
Cetera; post aliud, quom contigit illud, avemus;
Et sitis æqua tenet vitai semper hianteis :
Posteraque, in dubio est, fortunam quam vehat ætas;
Quidve ferat nobis casus, quive exitus instet.
Nec prorsum, vitam ducundo, demimus hilum
Tempore de mortis; nec delibrare valemus,
Quo minus esse diu possimus morte peremtei.
Proinde, licet quot vis vivendo condere secla,
Mors æterna tamen nihilominus illa manebit :
Nec minus ille diu jam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitai fecit, et ille,
Mensibus atque annis qui multis occidit ante.

1094. *Procuditur.* A nummis est manifesta translatio.

1095. *Sed, dum abest,* etc. Litera *m* non eliditur, sed breviatur ante vocalem. Sensus est : nunquam præsentibus bonis fruimur, sed futuris semper inhiamus; quæ ubi adepti sumus, alia item, quæ absunt, desideramus. *Lamb.*

1097. *Æqua;* par, similis, eadem : quod notandum ; nam rarior est vocabuli usus. Terent. Eun. I, 2, 12 (92); et cum hoc vs. conferas ipsum Nostrum VI, 1173, sq. *Wak.*

1098. *Posteraque, in dubio est,* etc. His impotentibus desideriis adde anxietatem ignorantium quam fortunam, quid infortunii futura ætas importet, *quive exitus,* et quis immineat vitæ finis. Ed.

1100. *Vitam ducundo;* producendo; longam ætatem vivendo.

1101. *Delibrare;* sic Lamb. i. e. detrahere, diminuere, decorticare. — Quasi dixerit poeta : Non valemus id a tempore mortis deminuere, vel deradere, quod ea sit ratione ad æternitatem, qua cortex tenuissima est ad solidum arboris integræ truncum. *W.*

1102. *Morte peremtei,* mortui. Sic Virg. Æn. VI, 163, « indigna morte peremtum ».

1103. *Condere secla.* Elegantissima translatio a solis decursu et occultatione derivata. Sic Virg. Ecl. IX, 52 : *cantando... condere soles.* Horat. Od. IV, 5, 29. *W.*

1104. *Mors æterna.* Sic supra vs. 882, mortem dixit immortalem.

1105. *Nec minus ille diu,* etc. I. e. æque diu mortuus erit ille, qui ex hodierno die vivendi finem fecit, ac ille, qui multis ante annis obiit; nam quum futurum tempus sit infinitum, in quo mortui manebunt, uterque ille infinitum tempus mortuus manebit. *Lamb.*

1106. *Lumine;* nempe solis, quem *condidit.* W.

1107. *Occidit;* ut sol : nam in eadem figura perseverat. *W.*

IN LIBRUM TERTIUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

1. *E tenebris tantis.* Wakef. legit *O! tenebris.* Sed vulgatam Forb. restituit; jure enim displicet iterata interjectio.— *Tam clarum extollere.* Tantam rerum obscurissimarum cognitionem expromere, tamque facilem et proclivem beate vivendi viam demonstrare. Metaphora, seu allegoria, est ab iis qui navigantibus, sublatis facibus, lumen prælucent, et ubi sint, quoque cursum flectere debeant, ex aliqua specula significant. *Lamb.* — His autem vss. 3o alloquitur Epicurum Atheniensem philosophiæ Epicureæ principem. Invenit quidem Democritus, sed ita expolivit et perfecit Epicurus, ut pater rerum et inventor a Lucretio haud absurde diceretur. Huic quidem felix ingenium gratulatur, beneficia agnoscit quæ contulit hominibus, dum naturam rerum explicavit, et omnem de providentia opinionem et terrores inde natos dispulit: idem denique asserit, quod L. Torquatus in Ciceronis lib. I De fin. «Ego arbitror Epicurum unum vidisse verum, maximisque erroribus hominum animos liberasse et omnia tradidisse, quæ pertinerent ad bene beateque vivendum». *Creech.*

4. *Ficta.* Lamb. correxit *Fixa;* male. Nam *ficta* ἀρχαϊκῶς; quod ejusdem significationis sit. — Nec enim Lambinus id negare debet, quod Diomedes aliique veteres grammatici asseruerunt. *Creech.*

6. *Imitari* edidi cum omnibus fere libris. Wak. e conj. *imitare.*

9. *Tu, pater! es rerum inventor.* Editores, libris universis reclamantibus, *tu pater, et rerum inventor. Wak.*

10. *Tuisque ex.* Wak. delet *que,* quo locus erectior evadat: sine causa idonea.

15. *Naturam rerum divina.* Lambinus, et post illum omnes edd. *haud divina.* — Lucretius enim et Epicurei omnes volunt, hanc rerum naturam non a mente aut providentia divina esse creatam, sed ex fortuito atomorum concursu natam. Negandi igitur particulam restituimus ex codice Donati Jannocti Florentini, typis impresso quidem illo, sed ad

manuscriptum emendato : ad cujus oram ipsius manu hæc negatio erat adscripta. Sed quid si legamus, eadem sententia, *Divum sine mente coortam?* ut suspicemur ex *divum sine*, *divina* factum esse. *Lamb.* — *Haud* in nullo cod. fide digno apparet. Sensum verborum *divina mente coortam* Orell. sic exposuit : « ut eam mente tua vere divina tibi informaveras ac descripseras »; qui simul ambiguitatis vitandæ causa *coorta* mavult. *Forb.*

19. *Nec nubila.* Vulgo *neque*, contra codices.

21. *Semperque innubilus æther Integit.* Sic vulgo; at locum aliter Wakef. et Eichst. exhibent : *semper sine nubibus æther Integer*, etc. ut ordo sit : « æther, sine nubibus integer, et *cum* lumine large diffuso, ridet. » Fatendum primo τὸ *que* post *semper* e plerisque MSS abesse; neque mihi displiceret lectio *semper innubilus*, producta ob cæsuram syllaba, quanquam ea licentia moris Lucretiani castitatem non sapere Wakefieldo videatur : cui contradicit Forbiger : cf. Disq. var. I, 11. Quum autem Anglus editor τῷ *innubilus* hoc adversari contendat, quod nusquam ea vox compareat in Virgilio, futile argumentum satis refellitur loco Homeri citato. Crediderim vero facilius τὰ *sine nubibus* glossam esse, quam in notissima voce *sine* errasse librarios, ut inde reficerent *in nubibus*. Quare lectioni vulgatæ standum reor, quia sic planius oratio videtur procedere, minimeque placet hic abrupta phrasis et duplex epitheton *integer innubilus*. Ed.

26. *Despiciantur*, quod Pio acceptum referunt Var. Lectt. sane quam elegantissimum est et huic loco aptissimum; adeoque immerito neglectum videri possit. Loquitur enim de iis, quæ infra nos, sub pedibus nostris, ubique per inane, ut non sine emphasi loquitur, geruntur; ut ea non tam dispicere atque curare, quam excelsa quadam sede, et voluptatis gratia, despicere liceat. Vulgo *dispiciantur*. *Preig.*

43. *Et se scire*, etc. *nec prorsum.* Duos hosce vss. delet Faber; quia primum nihil opus illis est, dein quænam isthæc Latinitas, « Natura animi est sanguinis? » iste autem versus « Nec prorsum quidquam nostræ rationis egere », quid boni tandem habet? Hinc discimus rem profecto mirabilem, bellam, et elegantiæ Lucretianæ! scil. animum nostrum non egere nostra ratione. Admirabilem profecto rem! quasi ratio apud Lucretium non sit philosophia, et vox ista *se* in priori versu cum *egere* in hoc vs. minus conveniat. Leg. autem *Et se scire animi naturam sanguini inesse*. Et tum sententiam Empedoclis, qui dixit animum esse cordi suffusum sanguinem, Cic. Tusc. Quæst. I, 9, non inepte adumbratam assero. Quis etiam nescit Lucretium, licet carmina Empedoclis admiratus sit, opiniones tamen illius ubique convellere? *Creech.*

44. *Aut etiam venti*, etc. Versus hic vulgo legitur post vs. 46; et *venti* intelligunt *auræ popularis;* alii vero legunt *vetiti.* Transpositionem jussit Bentleius, quem Wak. et alii sequuti sunt. Ed. — *Forte voluntas.* Quidam libri *fera voluntas:* unde Palmerius *sera voluntas* i. e. stulta, sinistra, turpis: Gifanius *fera* retinet, de metro minime sollicitus: *dira* scribit Faber: dum alii *corde* reponunt ex Virg. Æn. VI, 675: «Si fert ita corde voluntas». An vero hæc verba illos spectent qui laudem istam aut auram popularem ambiunt, an subjungenda sint *Hinc licet advertas animum:* alii disputent. *Creech.*

69. *Effugisse.* Alii corrigunt *refugisse*, vel *reffugisse* ob metrum. — *Remosse.* Manebat scrupulus, quod *refugisse* hoc loco est verbum absolutum; *removisse* autem, quod reperitur in libris omnibus, pro eo quod edendum curavi, *recesse,* agens: qui eximetur, si *recesse* legamus. Quod autem quidam vult legi, *longeque remasse*, pro *remeasse;* ferri hic non potest, neque ullo pacto convenit. *Lamb.* — Scribe *remosse,* subaudito rursus provocabulo *se*, notissimo Græcismo, atque Lucretio perfamiliari, unde etiam IV, 70: «Nam certe jacere ..... multa videmus». *Hav.* — Passim vero hujus familiæ verba sensum absolutum nanciscuntur. Flor. II, 8, 8; Suet. IV, 13; Plaut. Mil. glor. III, 1, 165. *W.*

71. *Cædem cæde.* Alii *cædi*, contra Macrobii etiam exemplaria, Sat. VI, 2. *W.* — Cæterum *cædi* pro *cæde* foret dictum, ut opinor.

76. *Claro qui incedit honore.* Quidam veteres: *claro qui incendit.* Quidam veteres: *claroque incedere;* etiam bene. *Incendit*, non admitto. In quibusdam veteribus etiam: *incendere;* male. *Gif.*

78. *Statuarum.* In quibusdam codd. *Statuai.* Alii *Intereuntes fastus tantum*, vel *Intereuntque potentatus. Creech.*

84. *Evertere suadet.* Sic libri omnes; sed maluit Lamb. corrigere *fundo;* eumque sequuti sunt editores; nimis audacter.

98. *Quamvis multa*, etc. Hunc versum exhibent soli Brit. 3, Ald. 1, 2, Bon. et Junt.; in ceteris libris desideratur: quem Wak. propterea censet Lucretio fortasse abjudicandum, ut sensus usque ad vs. 106 continuari debeat, et omnia a verbo *reponunt* pendeant: sed hoc durius videtur. *Forb.*

101. *Harmoniam Graiei.* Sic Plato in Phædone: Καὶ γὰρ σύν, ὦ Σώκρατες, εἶμαι ἔγωγε καὶ αὐτόν σε τοῦτο ἐντεθυμῆσθαι, ὅτι τοιοῦτό τι μάλιστα ὑπολαμβάνομεν τὴν ψυχὴν εἶναι, ὥσπερ ἐντεταμένου τοῦ σώματος ἡμῶν, καὶ συνεχομένου ὑπὸ θερμοῦ, καὶ ψυχροῦ, καὶ ξηροῦ, καὶ ὑγροῦ, καὶ τοιούτων τινῶν κρᾶσιν εἶναι, καὶ ἁρμονίαν αὐτῶν τούτων τὴν ψυχὴν ἡμῶν, ἐπειδὰν ταῦτα καλῶς καὶ μετρίως

κραθῇ πρὸς ἄλληλα. Lege cetera quæ sequuntur apud Platonem : valde enim ad hunc locum pertinent. Hæc autem sic interpretor : « Namque equidem arbitror, Socrates, te quoque hoc aliquando tecum considerasse, tale quiddam nos existimare animum esse, veluti intento corpore nostro, et constante ex calido et frigido, sicco et humido, et quibusdam aliis hujus generis, temperationem, et harmoniam harum ipsarum rerum esse animum nostrum, quum hæ res recte et moderate inter se fuerint temperatæ. » Hanc veterum opinionem refert et Aristoteles lib. I de animo, eamque refellit, his verbis, Καὶ ἄλλη δέ τις δόξα παραδέδοται περὶ ψυχῆς, πιθανὴ μὲν πολλοῖς, καὶ οὐδεμιᾶς ἧττων τῶν λεγομένων· λόγους δὲ, ὥσπερ εὐθύνας, δεδωκυῖα καὶ ἐν τοῖς ἐν κοινῷ λεγομένοις λόγοις· ἁρμονίαν γάρ τινα αὐτήν τινες λέγουσι· καὶ γὰρ τὴν ἁρμονίαν, κρᾶσιν καὶ σύνθεσίν τινα ἐναντίων εἶναι, etc. i. e. « Alia quoque opinio de animo tradita est, probabilis quidem illa multis, nullaque earum quæ sermonibus hominum usurpantur, inferior, sed quæ fuit communibus philosophorum disputationibus agitata, ac veluti judicium rationum referendarum subiit : harmoniam enim quamdam eum quidam esse dicunt ; quippe harmoniam, temperationem et compositionem esse quamdam contrariorum, etc. » et M. Tull. Tusc. I, 10. *Lamb.* — Lactantius Instit. VII, 13 : « Sicut in fidibus ex intentione nervorum efficitur concors sonus atque cantus quem musici harmoniam vocant, ita in corporibus et compage viscerum ac vigore sensuum vis sentiendi existit ».

107. *Sæpe itaque in promtu.* Sic legendum, et ita habent libri manuscripti, non *utique.*—*Ægrum* sic libri omnes ; male igitur Lamb. correxit *ægrit.*

119. *Harmoniam.* Vulgarem lectionem post Eichst. restitui. Wak. enim quum Lugd. 1, 2, Vind. et Brix. Ver. Ven. exhibeant *harmonia interire*, recepit in contextum *harmonia*, et in nota *sentire* conj. suadet. *Forb.*

133. *Nomen ab organico saltu.* Faber versum sic reficit, *ab organico cantu ductum citharai.* Creech. vulgatam *ab organico saltu* defendit. « Illum saltum dici posse *organicum*, utpote musarum, carminumque plenum nemo dubitabit, qui meminerit eum toties a poetis *vocalem* fuisse dictum. » Haverc. vero qui edidit *Heliconi*, « Redde harmoniæ nomen Heliconi, cui est proprium atque nativum, utpote ex umbrosis ejus saltibus ortum atque delatum. » Wak. ex uno Isaaci Vossii codice *ad organicos*, quod mihi primo arriserat ; sed nolui tamen receptum, quia sic omnino languerent τὰ *saltu del. Hel.* quæ in vulgata lectione plane necessaria sunt. Ed. — Sensus lectionis a me receptæ (*nomen, ab organicis alto delatum Heliconi*) aperte hic est : Nomen harmoniæ ab organicis, seu musicis, ex alto Helicone, ubi Apollo, musices inventor, cum Musis versatur, deportatum, his musicis, utpote ipsis proprium, sed a philosophia alienum restitue. *Forb.*

136. *Quidquid id est*, etc. Hic versus abest a Lugd. 1, 2, quem utpote illepidum et plebeii artificis versiculum Wak. ejectum mavult, fortasse non injuria. *Forb.*

137. *Nunc animum, atque animam*, etc. Vocibus *anima* et *animus* indiscriminatim usus est Lucretius; et quidni id faceret, quum *animus* et *anima* unam tantum naturam constituant? *Animus* autem, in quo ratio sita est, istius naturæ præcipua pars in corde situs est, ubi omnes passiones sedes suas habent, et sese ostentant: τὸ δὲ λογικὸν ἐν θώρακι ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν φόβων, καὶ τῆς χαρᾶς. Diogenes Laertius. Docet etiam Epicurus τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις esse. Plutarchus de Pl. Phil. Anima vero hujus naturæ pars inferior in qua facultas locomotiva præcipue sita est, per totum corpus diffusa est, et ad nutum animi movetur. Licet tamen illi obsequatur, non omnes illius affectiones sentit, sed vehementes tantum; hinc dolore et tristitia animus afficitur, quum tranquillam ætatem anima agat; at si magno dolore tota anima commovetur, deliquium patitur animal, nec in tuto ipsa vita est. Unde certum est animum esse animæ conjunctum, quoniam movet animam et ab illo impulsa anima corpus etiam propellit. *Creech.*

155. *Sudoresque ita, palloremque.* Alii post Lamb. *Sudores itaque et pallorem.*

171. Hunc et quatuor sequentes versus supposititicos esse et Lucretio indignos suspicatur Lambinus, illiusque suspicionem vir maximi judicii Gassendus approbat. Faber illustrare, et corrigere conatur: *In terra mentis qui gignitur æstus* vs. 174 mutat in *Interdum moriendi gignitur æstus.* Ego quidem hæc improbo. Perturbationes motusque animi in corpore vulnerato describit poeta: Ad primum ictum collabitur, dum humi jacet novos sentit motus, interdumque subit voluntas, ea autem non certa satis et confirmata, a terra surgendi. Hæc omnia vulnerati sentiunt, et quæ isti experti sunt quidni narret Lucretius? *Mentis in terra* igitur interpretor « Animi una cum corpore vulnerato humi jacentis ». Alii tamen legunt *Inter mœrentes.* Alii *Inter lamentas. Lamentas* autem pro *lamentationes. Creech.* — Prisci codices Pii *mitis.* Forsan et *interea mitis.* Hi autem versus satis nobismetipsis faciunt, et eximiis Lucretiani sermonis leporibus etiam contacti videntur. *Wak.*

201. *Mobilitate fruuntur.* Sic optimi codices, et elegantius quam quod vulgo editur, *ita mobilitate feruntur.*

202. *At contra quæquomque magis.* Lambinus correxit *quo quæque*, sine libris. — *Cum pondere.* Fateor gravia motui resistere, at melius huic loco convenit *corpore*: quis enim nescit aquam esse oleo graviorem? licet vero gravior sit, quoniam e minutioribus corporibus seu particulis componitur, ideo mobilior. *Creech.*

209. *Naturam dedicat.* Lambinus ut ad I, 368, *deliquat*, declarat.

241. *Quædam quei mente volutant.* Hic versus ita in quibusdam editionibus legitur, *posse creare Sensiferos motus quædam, quæ mente volutet;* et ita habet editio Gifanii; sed ea lectione nihil nequius, aut ridiculum magis. Prior autem illa (*quædam qui mente volutent*) stare non potest: sic legendum existimo, *queis omnia mobilitantur.* Certe ita postulat ratio, cui auscultandum est invitis centum millibus MSS codicum. *Fab.* — Ita scribere debuisse Lucretium dicat Faber; ita scripsisse minime concedo. Et « sensiferos motus, quædam qui mente volutent », aliquis non minus intelligat quam « Motus istos sensiferos, qui cogitationi inserviant ». Alii tamen legunt, « Sensiferos motus, qui dant quæ mente volutes ». *Creech.* — Omnes libri vetusti *volutat*, editi communes *volutent;* nos ex ingenio *volutant*, et ratio nostra facilior est. *Wak.*

250. *Concutitur sanguis*, etc. Rectius, et sonantius Lambinus, *tum quatitur sanguis*, ait Creech. Quidni retineamus *Concutitur*, quod non nisi Lambini auctoritate in *Tum quatitur* transiit? Concutitur sanguis ἀσυνδέτως, ut alias sæpe. (Cf. I, 289.) *Preig.*

255. *Usque adeo vitæ defit.* Sic distincte exhibent editt. Brix. Ald. 1, 2, Bon. Junt. quas sequitur Forbiger.— Quum reperissem scriptum in libris manuscriptis *desit*, non *defit*, *diffugiant*, non *diffugiunt*, scripturam veterem adjuvi, reposita particula *ut* post vocem *adeo. Lamb.*— De hoc loco ampliandum censeo; animi dubius an sit fortassis ex Lucretiani sermonis formulis omittere τὸ *ut.* Infra vs. 348; IV, 562, et sup. I, 30. *Wak.* — Qui tamen in contextum admisit *utque adeo;* male, opinor. Vellem enim ipse monuisset quomodo sic procedere possit oratio : *non potest penetrare quin omnia perturbentur, et ut desit*, etc. Immo sane, *et quin desit locus.* Quare ut *desit* ex τῷ *quin* pendeat, forsan legendum *atque adeo*, quæ dictio in alteram vulgatissimam *usque adeo* abire facile potuit. Ed.

260. *Comta modis.* Quidam legendum putant, *Juncta modis.* Faber non dubitat quin legendum sit *coapta*, seu melius *copta.* Sic III, 851 : « quibus e sumus uniter apti ». Quod hic unica voce expressit, *coaptum* dicens. — Libri omnes lect. vulgatam tuentur.

263. *Primordia principiorum.* Ut innumeris locis sic hic etiam interpungendi rationem a Wak. inductam mutavi; qui contra sensum et connexum post *primordia* comma posuit, ne quis conjungat *primordia principiorum.* At qui vel centum Lucretii versus legerit, sciat necesse est *primordia* et *principia* Lucretio prorsus esse synonyma. *Forb.*

275. *Nec magis hac infra.* Hic versus Lambino non placet, nec mirum, quum *infra* interpretetur: infra nostros sensus: situm enim, non exiguitatem quartæ naturæ innominatæ Poeta exprimit; ut anima corpori intima, sic quarta ista vis expers nominis ipsi animæ; et est quasi anima totius animæ, quoniam sicut anima corpus, sic animam ipsa vegetat, et sensus perficit. *Creech.*

276 sqq. Hos versus qui accuratius considerat, vix ita, ut nunc se habent, a Lucretio profectos esse judicabit. Quid enim? num credibile est, unum eumdemque auctorem, nisi prorsus insulsus et insipidus fuerit, quæ vs. 276 dixerat: « Atque anima est animæ proporro totius ipsa », hæc post breve intervallum vs. 281 sq. sine ulla causa iisdem pæne verbis sic repetiisse: « Atque animæ quasi totius ipsa Proporro est anima? » Quænam præterea vss. 277-282 proba et justa inest sententia? Ut omnis anima, quippe quæ minimis corporibus constat, in toto corpore latet, sic etiam pars ejus tenuissima et nominis expers, utpote ex minutis corpusculis composita, in corpore latens intelligitur; ergo quod de toto, hoc etiam de parte valet. Quid autem magis jejunum et inane cogitari potest? Porro ita etiam prolata est sententia, uti vix a Lucretio scriptam esse dixerim. Ut enim non urgeam tautologias illas *in nostris membris et corpore toto, animi vis animæque potestas*, formula *quod, hoc, id genus*, licet sæpius absolute sibi usurpata, nunquam Lucretius utitur, nisi in exemplis illustrandi causa afferendis, ut semper valeat *cujus generis, quomodo verbi causa, sic per exemplum*, nunquam vero in meris comparationibus eam usurpat, ita ut simpliciter significet *sicut, quemadmodum*, quod tamen in nostro loco statuendum esset, a quo notio illa exempli prorsus aliena est. Ceterum verba *nominis expers* e vs. 243 repetita sunt, quæ autem vs. 282 leguntur verba *et dominatur corpore toto*, ad exemplum vs. 709 conficta videntur. *Forbiger.*

281. *Animæ quasi totius.* Sic Wak. restituit ex omnibus libris. Vulgo *animai totius.*

304. *Nec minus,... nunquam.* Ad Pii editionem communi quodam consensu hunc versum vulgatores Lucretii sic exhibuere: *nec nimis... unquam.* Sed plurimi et optimi libri *minus*, et *nunquam. Wak.*

322. *Dictis.* Valde fluctuant in hoc versiculo viri docti. Ita ut neque Gifanius neque Lambinus sibi constent; quorum ille in prima *dictis* jam ediderat, quod in postrema in *doctis* mutavit, Lambinum sc. tacite sequutus, qui et ipse *dictis* ante aut *docta*, ad postremum vero *doctis* legendum contendit. Verum quæ necessitas discedendi a vet. libris? qui habent: *Queis ratio nequeat depellere nocteis.* Nonne ita more suo loquitur Lucretius? ut in istis: « Hunc igitur terrorem animi tenebrasque

necesse est, etc. » Suadet autem hanc loquendi formulam, quod cum Diis ipsis de felicitate ac serenitate contendere instituit, ut ex vs. seq. patet : « Dignam enim Diis vitam degere » iis demum, ex ipsius Poetæ mente, licet, quibus sedes quietæ, atque adeo apud quos ratio omnibus rebus noctes depellat. *Preig.* — Alii *ratio noctis;* quod pro consilio prudenti capi posse arbitratur Turneb. Adv. XX, 22. Sed opportune Ciceronis locum (pro Mil. 11, *hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris,* etc.) adduxit Lamb. qui nisi videretur obstare, legerem « quæ nequeat ratio depellere, doctos Ut nihil impediat, etc. » Neque enim quivis tam beati sunt, sed docti tantum, i. e. Epicuri sectam (si Diis placet) sequuti; qua ratione fortius loqui mihi, quam alias, videtur Lucretius. *Hav.* — Arriserit fortassis hoc tentamen, *depellere nocti,* id est, erroris nocti, quæ mentes obsidet; vide I, 147, 1109. *Wak.* — Receptam lectionem satis superque defendunt I, 127, 144; II, 987; III, 179, etc. *Forb.*

334. *Nec sibi quæque sine alterius,* etc. Sic legitur hic versus in manuscriptis. Vulgati autem exhibent, « Nec sine vi quicquam alterius sibi posse videtur, etc. » Hav. edidit « Nec quidquam sine vi alterius, etc. »

335. *Sentire.* Eichst. sequutus revocavi vulgarem lectionem a Wak. ex Ald. 1, et Bon. in *constare* mutatam. *Forb.*

347. *Alvoque reposta.* Hinc non magis idoneum sensum hauriri posse ait Turneb. XXI, 2, quam ex pumice aquam; reponit itaque *reposto,* quo modo certe legitur in optimis Membr. Lugd. Bat. Quum itaque attentius locum hunc ejusque connexionem considerarem, vidi adjuvandum esse distinctione (et delendum *ut* in vs. sq.). Neque enim viderunt interpretes duos illos priores versus non pertinere ad sequentes, sed esse conclusionem præcedentium, atque respondere illis, qui leguntur vss. 332, 333; majori itaque distinctione egere. Novam deinde argumenti confirmationem proponi in similitudine et exemplo desumto a fetu nondum in lucem edito, sed adhuc latente reposito in alvo membrisque maternis. *Hav.* — Equidem non assentior. Nam τὰ *ex ineunte ævo* idem sane argumentum indicant quam *maternis etiam membris,* ideoque jungi debent, ut sit αὔξησις. Quid enim sunt corpus et anima ex *ineunte* ævo, nisi fetus *in alvo* repositus? Ed.

351. *Quod superest, si quis,* etc. Ad hunc modum objectio et responsio sunt intelligendæ : « si quis vero hanc doctrinam, quam asserimus, de animi et corporis penitissima conjunctione evellere conatur, *affirmando e contra* (id est, *refutando,* vel regerendo) corpus per se sentire, atque animam etiam dum per artus dispergitur, motus sensibiles sua ex parte exercere; ille contra experientiam repugnat : quum manifestissimum sit, quamprimum anima dimittatur, corpus relinqui pror-

veram scripturam veluti manu ductus. Nam si diceret Lucretius, « Id quoque enim sine pernicie non fiet eorum», non apte subjiceretur, « At si tantula pars », etc. Præterea copulatio *quoque* esset supervacanea. *Lamb.* — Vide supra in notis.

415. In vulgaribus edd. qui sequitur versus huic præponi solet per structuram minus artificialem atque poetice solertem. *Wak.*

439. *Dissolvi in corpora.* Restitui *in*, quod facile poterat effugisse, vetustissimo codice Vossii M jubente. *Wak.*

440. *Quum semel ex hominis membris.* Ita in duobus libris manuscriptis reperi scriptum, quos nunc sequor. Nam olim sequutus eram vulgatam et receptam scripturam, quam alii veteres confirmant, *Quum semel omnibus e membris*, etc. quam tamen ne nunc quidem damno. *Lamb.*

444. *Credas.* Retinui vulg. lectionem quam Wak. ex uno Lugd. 2 in *credis* mutavit. *Forb.*

454. *Linguaque, mensque.* In quibusdam libris legitur, *lingua, animusque.* Haverc. legit *lingua, madet mens*, ut vs. 478; male.

461. *Laborem.* Alii *dolorem :* utrumque defendi potest, coll. vss. 367, et 473. Attamen *dolorem* ex interpretamento ortum putat Forbiger.

474. *Multor. exitio perd.* Post hunc versum inculcant quidam duos vss. : « Præterea mentem sanari, corpus ut ægrum, Et pariter flecti medicina posse videmus ».— Marg. noster, huic non nisi unicum subnectit versiculum. Isque ita habet : « Præterea mente sanari corpus inani ». Addita expl. « mente inani, i. e. vacua ab omni cura et dolore. Male expunxit Lambinus. » Sic ille. Mihi vero nondum liquet. Turbatum nonnihil hoc loco, facile mihi persuadeo : videri enim possunt vss. 473 et 474, *Nam dolor*, etc. potius versui 463 subjiciendi, hoc modo : « Quare participem læti quoque convenit esse; Nam dolor ac morbus, etc. » nimirum ut tanquam ad aliud argumentum transeat in sqq. *Quin etiam morbis*, etc. quorum hæc denique sit clausula : « Quare animum quoque dissolvi fateare necesse est; Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi, Et pariter mente sanari corpus inani ». Monendum quoque, ita vulgatam potius lectionem vs. 461 *laborem* quam *dolorem* arripi debere, ut versu sequenti, *dolorem* quidem ad animum, *morbum* autem ad corpus referat, atque ita evincat, illum animo idem quod hunc corpori præstare. Verum penes lectorem eruditum judicium esto. *Preig.*

475. *Cor hominum.* Alii, et vulgares editi, *cur hominem;* sed nostra lectio multum antecellit, neque inscitiam librariorum sapit. *Wak.*

481. *Quur ea sunt.* Alii *curvascunt*, id est, delirant, quod Hav. Preigero suasore recepit.

486. *Subito.* Lectio est Lugd. 1, 2; Bodl. Cant. quam Wak. recepit. Vulgo *subita*, cum *vi* constructum.

490. *Inconstanter.* Illud *Incunctanter*, quod habent Var. Lect. nescio quomodo mihi magis arridet, unde unde emerserit. Forte in lib. vett. repertum fuerit, *Inconctanter*, unde vulgatum, *Inconstanter*. Certe quam insulse quis membra sua aut *jactare*, aut *fatigare inconstanter* dicatur, quilibet facile videt. Constantiam quippe in hujuscemodi motibus nemo, cunctationem, seu intermissionem ac moram cuncti optabunt, qui circumstant. Sed fortasse ita distinguendum : *Torquetur, anhelat Incunctanter, et in jactando membra fatigat.* Quod si cui placebit, *Inconstanter* quidem retinere poterit, sed et *Incunctanter* apte quadrabit. *Preig.*—Construe : « et fatigat membra in jactando inconstanter », quod is facit, cui nulla in uno loco membrove diuturna est requies. *Hav.* — Nos alteram distinctionem cum Wakef. et Forb. sequuti sumus, quæ aptior videtur. Ed.

492. *Spumanti ut in æquore.* Quia inter se non consentiunt hoc loco libri calamo exarati, sequutus sum vulgatos, *Spumantes æquore... ventorum ut val.*, etc. Proponam tamen scripturæ veteris varietatem. Alii habent, *Spumans in æquore salso Ventorum val. fervescunt, virib. undæ;* alii, *Spumans velut æquore salso*, etc. ut sup. ex quibus scripturis vel sic legendum, *Spumans ut in æquore salso Ventorum validis ferviscit viribus unda :* vel sic, *Spumans velut æquore*, etc. *Lamb.*—Alii *spumant ut in... ac validis.* Equidem mihi videor certissimis ex emendationibus versus vexatissimos sinceritati suæ restituisse. *Wak.* — Cum Eichst. recepi lectionem Ald. 1, et Bon. *spumanti ut in æquore*, quæ optimum sensum præbere videbatur. *Forb.*

497. *Qua quasi consuerunt*, etc. Lambinus hunc versum, ut spurium, delet quum sit elegantissimus. *Gifan.* — Qui elegantiam hujus versus cum Gifanio admirantur, isti sibi habeant. *Creech.* — Tangit hunc versum Palm. in Spicil. t. IV, Fac. Crit. p. 681, eumque Lucretio vindicat. At *munita viai*, quid nisi Homeri illud ἕρκος ὀδόντων, per quod ἔπος φυγεῖν ipsi solet? Confer Iliad. IV, 350, et XIV, 83 ; Odyss. XXIII, 70. *Hav.*

503. *Tum quasi vacillans.* Ita omnes libri. Lambini *talipedans*, etsi egregium, et Ennianum sit, nolui recipere.

506. *Jactentur.* Sic omnes libri ; editores correxere *jactetur, laboret ;* et vs. 507, *eamdem* dissyll.

544. *An contracta suis e partibus obbrutescat.* Ita libri, et edd. vet.

et proceram; alii tamen legunt, « Minacem Serpentem, et caudæ procero corpore ». *Creech.*

675. *Omnis.* Retinui cum Eichst. vulgarem lectionem. Wak. enim e Bodl. Vind. frag. Vind. Brit. 1, Cant. *omnium* edidit. *Forb.*

681. *Limen inimus.* Alii *lumen adimus.* — De formula *limen vitæ* disseruit Burm. ad Anthol. Lat. IV, 324. *Forb.*

685. *Convenit, ut sensu,* etc. Hunc versum delent Lambinus, Gassendus, alii. Plures retinent. Sine illo quidem argumentum est satis explicatum, et forsan « affluat corpus sensu » Latium non agnoscit. *Creech.*

702. *Dispertita ergo.* Sic Marg. noster; quod sane non est contemnendum. Solet enim poeta elegantissimus, in primis quoties maxime triumphat, id genus voculas ingeminare. Vide IV, 1169. *Preig.* — Vulgo *dispertitur enim.*

719. *Cadavera.* Poor. Cant. Ald. 1, et Bon. *cadavere;* quod Wak. conjunctum cum omnium edd. scriptura *vermes*, et sic distinctum : *unde cadavere, rancenti jam viscere, vermes Exspirant* (intransitive) longe doctius et venustius judicat. *Forb.*

728. *Sint,* cum plurimis libris retinui; Wak. e Lugd. 1, 2, et Poor. *sunt* recepit. *Forb.*

736. *Quod subeant.* Faber, recte : olim enim ita scriptum; inde *Quom.* et tandem *Cum. Creech.*

738. *Nec tamen est qui jam,* etc. Alii *est ut jam;* alii *est ut qui*, etc. Wak. se ait edidisse ad fidem librorum, *est qui cum;* sed quid sibi velit illud *cum*, non video, neque ipse indicat. Locutio enim *quicum*, pro *quocum* vel *quibuscum* adhibita, locum hic non habere videtur. Ed.

742. *Vulpes dolus.* Lambinus, quem sequuti sunt editores *dolu' vulpibus.—Et fuga cervis A patribus datur.* Sequutus sum vulgatam : nam manuscripti sic habent, *et fuga cervos :* unde doctus quidam suspicabatur hunc versum, *A patribus datur, et patrius p. inc. artus*, esse interjectum et alienum. *Lamb.*

745. *Generascunt, ingenioque.* Sic omnes libri. Lambinus tamen, *Ingenerascunt, inque genuntur* ex conjectura.

747. *Corpore quoque.* Alii habent *toto ;* minus bene; et sic vs. 765.

794. *Quamde in eodem,* etc. Hunc versum negligunt interpretes. Faber legit : « Tandem in toto homine, aqua ut in toto vase maneret ». Est quidem in illo versu anapæstus, inquit. Quæ ingeniose quidem

excogitata a veterum codd. scriptura quam maxime absunt : et rejiciendus potius est iste versus, qui nihil profecto hic loci agit, quam talis emendatio admittenda. Aliquis tamen legit « Tandem in eodem homine, atque in eodem vase manere »; scil. soleret manere in eodem vase, i. e. in capite, humeris, aut calcibus : omnia displicent. *Creech.*

807 sqq. Hic locus infra lib. V, inde a versu 352, denuo legitur ita, ut ex hoc ipso loco ab indocta manu in priorem illum translatum luculenter se prodat. Omnia enim, quæ lib. V apte et congrue dicuntur ad mundi æternitatem refellendam, artificioso et contorto modo hic ad animum mentemque humanam referuntur, iis fere solis verbis, quæ ut variarentur ipsius rei diversitas necessario efflagitaret, utcumque mutatis... Quod igitur per se jam verisimile dici nequit, poetam non vulgarem longum aliquem viginti pluriumque versuum locum bis posuisse, ut similem quamdam rem expositurus novis aliquot versibus pangendis supersedere posset, id multo minus probabile dicet, qui utriusque loci naturam et mutationes in alterum inductas accuratius consideraverit. Licet enim in utroque loco ad oppugnandam quum animi tum mundi æternitatem Lucretius et illo argumento ab atomis petito, in omnibus rebus cum inani conjunctis nullisque finibus clausis et ab externis viribus defensis, commode uti potuisset, illam tamen rationem, qua in nostro loco, quæ lib. V aptissime de mundo dicuntur, non contorte solum, sed plane inepte ad animam translata vidimus, neutiquam Lucretio dignam censeo. Quid enim? num Lucretianum videtur, si vs. 824 mentis molem legimus commemoratam? an si de clade pericli sermo est, quæ menti importetur? an convenit auctori nostro argumentum illud, non deesse in universo spatium, in quod anima e corpore humano effluere possit, quod de mundo adhibitum optime quadrat, de anima vero plane ineptum est. Porro ab alio quodam non admodum docto auctore hunc locum profectum esse, aliæ etiam vocum nonnullarum aut insolentiorum, aut male intellectarum mutationes produnt. Sic pronomen *qui*, quod lib. V, 363 in verbis « neque extra Qui locus est » optimi quivis libri exhibent, hic vs. 818 vulgari modo in *quis* mutatum videmus; pariterque verbo *corruere*, vs. 369 obvio, quum activa significatione pro una prosternere minus usitatum sit, nostri loci auctor vs. 824 *proruere* substituit. His autem argumentis coronidis instar accedit codicum auctoritas. In omnibus enim libris MSS, præter utrumque cod. Voss. pariter ac in editt. vett. ante Aldinam in lucem emissis vss. 820-829 prorsus desiderantur, in duobus vero illis MSS certe vs. 829 omittitur, ita ut de hoc loco antiquitus jam magnam fuisse dubitationem, satis manifestum videatur; Wakefieldi enim observationem, « scribas delicatulos versus illos omisisse, qui non ferrent Lucretium capita priorum argumentorum sic summatim denuo percurrentem », vix aliquis pro-

babilem dicet. Hæc ergo omnia me movent, ut seriorem Lucretii editorem omnia argumenta ad refellendam sententiam de animi immortalitate idonea hic collecturum, quum lib. V invenisset illam de fragilitate mundi disputationem, quam in summa rei etiam ad animi naturam aptam esse intelligeret, hanc, ne quid deesset, varie mutatam nostrum in locum transtulisse putem. *Forb.*

815. *Aut ideo.* Wak. vulgatam lectionem e duobus modo codd. Vossii mutavit in *etiam.* Reliqui libri omnes aut vulgatam tuentur aut *igitur* præbent, quæ scriptura et ipsa lectionem *ideo* comprobat. *Forb.*

836. *Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit.* Hunc versum misere laceratum in libris vulgatis, restitui ex vestigiis antiquorum codicum : « Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit » : i. e. præterquam enim quod tum morbis corporis ægra est seu ægrotat. Sic autem edidi jam tum quum prodiit editio secunda : nam in prima sic scripseram, « Præter enim quod tum morbi est, quum corpori ægre est », quam scripturam semel jam a me in secunda editione repudiatam, ac rejectam, iterum hic improbo : et alteram illam amplector, præsertim ab Adriano Turnebo eodem tempore approbatam : quum ei idem, quod mihi, paucis ante mensibus quam e vita decederet, venisset in mentem. *Lamb.* — Alii *Præter enim quam quod morbi est, quum corpus ægrotat;* pessime. — Malim *ægret.* Forte tamen et *ægrit* et *ægret* dixere veteres. *Preig.*

839. *Præteritisque male admissis.* Quum in duobus codicibus manuscriptis, *Præteritisque admissa manis,* scriptum reperissem : lectio autem vulgata, *Præteritisque admissa malis peccata*, etc. non dico mihi, sed viris doctissimis non ferenda videretur : ego conjectura ductus, et scripturæ veteris vestigia sequutus, sic restitui : *Præteritisque admissa annis peccata remordent*, quæ lectio sine dubio recta et germana Lucretiana est. Nam quod alii libri manuscripti habent, *Præteritisque male admissis peccata*, etc. hæc quoque depravata est. *Lamb.*—Quem sequuti sunt editores plerique. Sed eam mutandi licentiam minime concedendam esse arbitramur. *Wak.*

848. *In dubioque fuere.* Illud licet magnis fultum auctoritatibus, neque sic tamen placet. Quæ enim hæc ratio loquendi est? Dubitavere homines, ubinam tandem omnibus hominibus cadendum foret ; nisi quis forte ad eadem illa *omnia* hoc referre velit de quibus proxime : quod insulsum foret. Recte itaque « In dubioque fuit sub utrorum regna cadendum Omnibus humanis foret ». Vel, quomodo etiam legere nihil vetat, « In dubioque fuit, utrorum ad regna cadendum ». *In dubio fuit,* non apud homines, adeoque eosdem illos, quibus cadendum erat, sed apud fortunam, ex mente Lucretii. *Preig.*

856. *Distracta est.* Lectio *detracta* Wak. simplicior videtur atque adeo Lucretianæ indoli vicinior. Sed vulgatam reduxit Forb. coll. vs. 800; et IV, 32, 917.

857. *Est ad nos.* Editores ex arbitrio reponunt *hoc ad nos;* audacissime atque inscitissime. *Wak.* — *Comtu.* Alii *cœtu*, quam lect. editores male præposuere nostræ, pluribus nixæ testimoniis librorum. *Wak.*

866. *Quos de materia*, etc. Hic versus in plerisque MSS non comparet; sed eum tamen omnino restituendum arbitratur Wak. — Ego inter versus a librariis profectos refero hunc, qui non solum in omnibus fere libris MSS et editt. vett. desideratur, sed etiam internam ob causam valde est suspectus. Quum enim omnis Lucretii argumentatio sic procedat: «Etiamsi anima, a corpore sejuncta, vim sentiendi retineret, hoc tamen nostra nihil interesset, quum tantum ab animæ cum corpore conjunctione vita nostra pendeat; immo etiamsi post mortem particulæ, e quibus compositi sumus, omnes in eumdem ordinem, quem nunc obtinent, redactæ fuerint, ut vita nobis denuo concedatur, ne hoc quidem ad nos pertineret, quum memoria et recordatio semel interrupta sit; sicut nunc etiam non solliciti sumus de iis, qui antea fuimus, quia, licet verisimillimum sit, semina nostra ex infinito tempore in eodem ordine, in quo nunc sunt, sæpius jam posita fuisse, istius tamen conditionis recordari non possumus»; facile apparet, versum illum præter totius loci sensum et connexum interpositum esse, siquidem Lucretius, hunc ipsum multorum hominum metum de altera vita post mortem futura oppugnans, nullo modo hanc sententiam universalem proferre potuit: «Nec jam de illis nos afficit angor, etc.», quæ, si vera esset, omnem hanc disputationem inanem redderet et superfluam. Quare potius probabile videtur, librarium aliquem hunc versum adscripsisse, qui, non intelligens, quid sibi velit pronomen *illis* (scilicet antea qui fuimus), hic quædam excidisse putavit. *Forb.*

875. *Quoi male possit.* Editores hodierni *quom male*, non audacter minus contra libros universos, quam leviter oppido et insulse. *Wak.*

876. *Eximit esseque prohibet.* Lambinus correxerat *eximit im* (eum), *prohibetque*. Sed dura ista emendatio viris doctis, Gronovio, Salmasio, quem vide Ep. 52, ac nostro denique Is. Vossio, improbata; qui ad vetera confugientes monumenta, verbum *esse* e fuga retraxere, et synalœpha, nostro haud inusitata, legunt *prohibet* διαυλάβως. *Preig.*

878. *Quibus e nunc nos sumus.* Ex vet. libris, qui partim ita, partim *et nunc* habent, et *quibus nunc*, restitui. *Gifan.* — Sequutus olim fueram hoc loco libros vulgatos, in eo quod habent vocem *ægri:* atque ita edideram, *quibu' nunc ægri sumus, ante f.* sententia aperta. Nunc minus

longe a scriptura antiqua discedens, a qua abest vox *ægri*, sic edendum curavi, *Hæc eadem, in quibus et nunc nos sumus, ante f.* sententia non minus perspicua : neque sermone minus usitato : *esse*, seu *versari in incommodis*. Quod autem quidam retinent scripturam antiquam, *quibus e nunc nos sumus*, eamque interpretantur hoc modo : e quibus nos nunc sumus, i. e. constamus, valde falluntur : quomodo enim constare possumus ex incommodis ? Nam relativum *quibus*, refert vocem *incommoda*, quæ antecedit. *Lamb.* — Quid si *eadem* pro : easdem res, semina, capias ?

882. *Mors quum.* Vulg. edd. *quoi*, pessime. *Wak.*

884. *Putescat.* Vulgo *putrescat;* sed majoris auctoritatis videtur esse nostra lectio. Forb. autem, quia lubricum est de hoc loco judicium, vulgarem lectionem retinuit. Cf. II, 872, 929. Ed.

901. *Nam si in morte*, etc. Hæc ad id pertinent, quod proxime addidit, *urive :* poterat enim aliquis dicere : Lacerari a feris malum est : sed comburi rogo impositum, non est æque acerbum, aut omnino non est acerbum. Ad hoc sic respondet, Dixi *lacerari, urive*, quasi sint similia : nam si malum est in morte maxillis ferarum diripi et dilacerari, non video quomodo non sit etiam molestum et asperum, in rogum impositum flammis torreri, aut aliis sepulturæ generibus, quæ summo studio ab hominibus procurantur et expetuntur, affici. *Lamb.*

907. *Nam jam non domus.* Alii *at jam non :* quam, si vera lectio fuisset, librarii non corrupissent. *Forb.*

911. *Præsidium.* Sic omnes libri; editoribus autem placuit *præsidio.* — *Misero misere.* Ald. 1, et Bon. *miser, o miser !* quod vulg. editt. arripuerunt. *Forb.*

919. *De prope.* Forb. retinuit lectionem *te prope*, addens : « omnes hæ particulæ compositæ, (*de hinc, de inde, de super*) etiam apud alios occurrunt; *de prope* autem esset ἅπαξ λεγόμενον : quare mihi quidem cautius hac in re versandum esse videbatur ».

938. *Quum.* Sic omnes libri, verissime; editores *quin. Wak.* — Forb. quoque vulgatam *quin* retinuit, confessus tamen alteram lectionem fortasse rectiorem, etsi literarum ductus iidem, et voces illæ sæpissime commutatæ sint.

948. *Nam si grata fuit*, etc. Ita totus locus, nisi vehementer fallor, Lucretiano, h. e. arduo illo furore dignis plane verbis, sese habebit : « Nam gratis fuvit tibi vita ante acta, priorque. Si non omnia pertusum congesta quasi in vas Commoda perfluxere, atque ingrata interiere; Cur non, etc. » *Preig.*

961. *Pergas.* Vulgarem cum Eichst. et Orellio retinui. Wak. e Bodl. Vind. Poor. Brit. 1, 2, 3, *perges* edidit. *Forb.*

962. *Atque etiam potius.* Hunc versum quidam improbe rejiciunt. *Creech.* — Hic versus licet in uno tantum codice Voss. II plane desideretur et in altero Voss. rubrica notetur, mihi tamen tam jejunam tautologiam continere et præcedentis versus gravitatem tam leviter immutare videtur, ut, quum insuper verba *atque etiam potius* aliud quid, quam quod priori versu dictum est, exspectare jubeant, et tamen quæ ipsa sequuntur non aliam sententiam lectori offerant, quomodo Creechius et Wakefieldus hunc versum languidum et justo sensu plane destitutum defendere potuerint, non perspiciam, quem potius ad explicandum versum priorem antiquitus jam adspersum habeo. *Forb.*

963. *Respondemus.* Forte *respondeamus;* ut sup. vs. 930, vel *responderimus. Lamb.*

967. *Barathre.* Alii *barathro;* alii *balatro;* alii *barde*, etc.

991. *Atqui animarum*, etc. E Servii commentario ad Æn. VI, 595, certissime apparet, præter has, quas nunc legimus, fabulas, allegoricam quoque mythi de Ixione ejusque rota explicationem hic a poeta insertam fuisse; quam prorsus deperditam dolemus.

996. *Quem cuique ferat fors.* Sic omnia vetera exemplaria; editores tamen ex arbitrio *quemcunque* in contextu posuere. *Wak.*

999. *Possunt.* Ita vett. libri; Lambinus *poterunt;* alii *possent.*

1001. *Dispersis* est omnium librorum lectio. Lamb. tamen *dispensis*, h. e. dispansis et distentis, a verbo dispando: qui ait sic legendum censere Turneb. Adv. XXII, 19, (ubi tamen *dispessis* legitur). Locum vero aliter distinguit Forbiger, ita jungens: ...*exstat, qui.... orbem : non tamen*, etc.

1006. *Volucres.* At hic in fabulæ interpretatione illud *volucres* in sensu proprio locum habere non potest. Scilicet me suspicio incessit Carum dedisse primitus *quem volucris lacerat.... angor. Wak.*

1007. *Turpedine curæ.* Codex Vatic. Memm. et Bertinian. habent, *cuppedine curæ*, quos sequutus sum: alii et plerique vulgati, *torpedine curæ. Lamb.* — Illud *torpedine*, ne quid dissimulem, non exprimit sententiam quam desidero, et quam velle videbatur Poeta eloqui. Scio equidem dici posse anxiam ejus animo perpetuo inhærere curam, quæ vulture, ejus fibris assidue immorante, significetur, et *torpedo curæ* vocetur: sed Lucretius curam amoris, quæ cupiditatis est, videtur ex-

plicare voluisse. Itaque legendum esse puto « Aut alia quavis scindunt cuppedine curæ ». *Turneb.*— Sed mihi non liquet vel in uno codice hanc scripturam inveniri ; plures autem exhibent , quam dedimus. Glossarium vetus tam *turpedo* quam *turpido ;* et plures utriusque dictionis auctoritates doctissimus Ducange collegit. *Wak.*

1030. *Robur.* « Robur dicitur is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur. » Festus. Sed fortasse tutius est per *robur* intelligere equuleum ex robore, in quo sontes insidentes cruciabantur : vel lignum et fustem ex robore, quo tundebantur. *Lamb.* — « De robore præcipitati sunt; » Val. Max. VI, 3. De singulis hisce fuse videri potest Brodæus in Misc. lib. II, cap. 10, tom. II, Fac. Crit. pag. 475. Adductis autem ab eo locis adde Tac. Ann. IV, 29 : « Robur, et saxum, aut parricidarum pœnas minitantium ». Ubi vide Lipsium. *Preig.*

1057. *Restinxit.* Sic omnes fere codd. et Lactantius ; Brit. 2, et omnes edd. vett. præter Junt. *restrinxit;* Lamb. *præstinxit ;* Gassend. *præstrinxit. Forb.*

1068. *E quibus.* Sic Wak. edidit e Lugd. 1, 2 , Vind. Poor. Cant.; ceteri libri *et quibus,* quod communes edd. receperunt. *Forb.* — *Quoque noscere ;* ita omnes fere libri ; vulgo *cognoscere.*

1074. *Reventat.* Sic dilucide quidam codices Pii; vulgo *revertit*, ex qua auctoritate nescio. Vox omnino desideratur in quibusdam; nempe quia displicuerit, opinor, librariis exquisitius vocabulum , quod Lucretio resuscitavimus. *Wak.*

1101. *Delibrare.* Sic. Ald. 1, et Bon. quam lectionem jure editores amplexi sunt ; Poor. Junt. et Ald. 2 *delibare,* quod Gifanio et Fabro placuit ; ceteri libri omnes *deliberare. Forb.*

T. LUCRETII CARI
DE
RERUM NATURA
LIBER IV.

ARGUMENTUM.

Qua supra libro primo usus erat comparatione Lucretius, ut Memmii sui animum tantisper a contentione relaxaret, eadem hunc librum quartum, a vs. 1 ad vs. 26 auspicatur, ut auditorem sibi docilem reddat et attentum. Libri hujus proponit argumentum, quod ex industria cum superioribus connectit. Quum enim primo et secundo libro abunde docuerit, quæ et qualia sint rerum primordia, quibus figuris distincta, quo motu ferantur, ac ceteras res procreent, libro vero tertio animæ atque animi naturam fusius explicaverit, merito sane a vs. 26 ad vs. 46, hanc aliam subnectit disputationem, de sensatione tam vigilantium, quam dormientium. Quam disputationem ut ex ordine absolvat, a simulacris exorditur, quorum ope omnem sensationem fieri contendit. — Docet itaque, a rerum superficie tenuia quædam et subtilissima simulacra mitti, quæ passim per aera volitant, sigillatim tamen sub visum non cadunt, nisi a speculis, aut aqua, repulsa, in oculos incurrant, a vs. 46 ad vs. 108. — Subtilitatem horum simulacrorum demonstrat, et subinde exiguitatem primordiorum confirmat, ad vs. 129. — Simulacrorum duplex distinguit genus, alterum eorum, quæ sponte sua generantur in aere, qualia nonnunquam videmus fieri in nubibus, modo gigantum, modo montium, aut etiam belluarum, imagines imitantia; alterum eorum, quæ a rerum superficie avolant, quasi tenues rerum exuviæ: et deinde a rerum superficie has exuvias perpetuo oriri docet, et ea motus celeritate per aera ferri, ut vel luminis solaris jactum facile superent, a vs. 129 ad vs. 216. — Quia visus omnium sensuum primus habetur, ab eo exorditur, quem ex simulacrorum, seu imaginum, incursu fieri docet: interim autem explicat ea

omnia, quæ ad visus causas spectant; variaque de visu problemata proponit, quæ rite solvit et explicat, a vs. 216 ad vs. 470. — Ne vero aliquis ex phænomenis modo explicatis sensus fallaciæ arguat, illorum dignitatem copiose astruit, a vs. 470 ad vs. 522.—Et subinde scepticos, præcipue a vs. 479, refutat: et demum asserit, omnem veritatem fidei sensuum inniti.—His ita de visu disputatis, ceteros sensus aggreditur; ac primum docet, vocem ac sonum corporeas esse imagines, quæ aurem pariter feriant et auditum faciant: vocis naturam atque formaturam explicat. Cur eadem vox percipiatur a multis, rationem reddit; quid sit echo, quomodo fiat, a vs. 522 ad vs. 616. — Deinde de sapore et gustu, de odore et olfactu, docet; quid nempe sit sapor, quid odor, et cur non ab omnibus sentiantur. Cur cibus idem aliis dulcis, aliis amarus fiat; cur odor alius aliis sit magis aptus; et vox aliis terrorem incutiat, quæ alios juvet, saltem non terreat, a vs. 616 ad vs. 723. — De imaginatione atque cogitatione agit, quas per tenuissima rerum simulacra, seu imagines, quæ in mentem incurrant, fieri pariter ait; inde varia de cogitationibus problemata proponit et explicat; cur, v. g. videamur in somnis videre illos, qui jam mortui sunt; cur simulacra rerum, seu imagines, videantur nobis morari, dum cogitamus ea; cur subito quisque cogitet, quæ lubuerit; cur in somnis cernamus imagines moveri, usque ad vs. 823.—A vs. 823 ad vs. 907 docet, linguam, oculos, aures, nares, omnia denique sensationis organa, prius nata esse, quam eorum usum; secus vero in artificiosis rebus, quæ pendent ex prævisa indigentia.—De somno et insomniis agit; inprimisque docet, qua ratione fiat somnus in nobis, et in ceteris animantibus: somniorum varias assignat causas, et demum ad res venereas delapsus, a vs. 1033, usque ad finem libri, de amore, sterilitate, fœcunditate, et aliis omnibus hanc materiam attingentibus, liberius forsan et apertius, quam nonnulli vellent, disputat; sed philosophis saltem, vel in his tractandis, videtur esse indulgendum.

AVIA Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: juvat integros accedere fonteis,

1. *Avia Pieridum*, etc. His 25 vss. quos jam posuit lib. I, 925, continetur hujusce libri procemium. Totus autem in eo est Poeta, ut docilem et attentum sibi reddat auditorem ad ea, quæ jam hoc libro quarto disputaturus est. — Multa

Atque haurire; juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.
Primum, quod magnis doceo de rebus, et arctis
Religionum animos nodis exsolvere pergo:
Deinde, quod obscura de re tam lucida pando
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore:
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur;
Nam veluti puereis absinthia tetra medentes
Quom dare conantur, prius oras, pocula circum,
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Absinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius, tali a tactu recreata, valescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi Musæo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum percipis omnem
Naturam rerum, ac persentis utilitatem.
Sed quoniam docui, cunctarum exordia rerum

de hoc loco disputavit Forbiger, cujus notam vide in Disq. var. ad I, 925: consule etiam notata ibi ad singulos versus.

8. *Pando.* Optime dictum de rebus obscuris clare exponendis: id est, quasi expando, omnium oculis aperio, ut claram rerum obscurarum cognitionem inde haurire possint. — Vide in Disq. var. ad I, 925, supra p. 235.

17. *Tali a tactu.* Mallet Wak. *tali facto,* ut ad I, 941; Forbiger *attactu.* Vide supra p. 235. Ed.

24. *Percipis.* Ad I, 948, *perspicis.* At profecto verbum *percipis* hic cum sequente *persentis* amicissime concordat. *Wak.*

26. *Sed quoniam docui.* Vss. 7 breviter recenset ea quæ in præcedentibus libris disputaverat. Primo et secundo libro atomorum naturam, affectiones, motus denique et concilia absolverat; in tertio principia animæ, animamque ipsam tam corpori conjunctam, quam a corpore separatam con-

Qualia sint, et quam variis distantia formis
Sponte sua volitent, æterno percita motu;
Quoque modo possint res ex his quæque creari:
Atque animi quoniam docui natura quid esset,
Et quibus e rebus cum corpore comta vigeret,
Quove modo distracta rediret in ordia prima:
Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
Attinet, esse ea, quæ rerum simulacra vocamus;
Quæ, quasi membranæ summo de corpore rerum
Dereptæ, volitant ultro citroque per auras;
Atque eadem, nobis vigilantibus obvia, menteis
Terrificant, atque in somnis, quom sæpe figuras
Contuimur miras, simulacraque luce carentum;
Quæ nos horrifice, languenteis sæpe sopore,
Excierunt: ne forte animas Acherunte reamur
Effugere, aut umbras inter vivos volitare;
Neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
Quom corpus simul atque animi natura, peremta,
In sua discessum dederint primordia quæque.

sideraverat; et deinde vss. 18 hujus libri quarti argumentum complectitur: vid. aget de simulacris, quæ veluti membranæ corticesque corporum a rerum superficie perpetuo fluunt, nobisque illarum species et figuras deferunt; si sincera integraque adveniant, tum res veras percipimus; si mutilata, inversa, aut cum aliis conjuncta, inde centaurorum, et aliorum id genus monstrorum, phantasmata; aliquando etiam (namque animæ cum corporibus intereunt) mortuorum spectra. *Creech.*— Priores quatuor hi versus jam leguntur ad III, 31; vide infra Disq. var.

28. *Æterno percita motu;* II, 1055; III, 33.

32. *Ordia prima*, primordia.

33. *Agere*, disserere, disputare. — *Vehementer.* Et hæc pars operis reliquis partibus mire convenit.

34. *Esse*, exsistere in rerum natura.

37. *Atque eadem*, etc. Cf. I, 133 sqq.

41. *Ne forte*, etc. Hæc refer ad vs. 35 sqq. ubi dixit hæc simulacra esse quasi membranas volitantes; nunc vero asserit non esse umbras aut imagines ex inferis remissas. Ed.

44. *Peremta.* Nescias an poeta τὸ *peremta* posuerit in primo casu numeri singularis, an pluralis: vide ad II, 909; III, 459, 505. Morem Lucretianum nosmetipsi sequimur, participium ad nomen utrumque referentes. *Wak.*

45. *In sua discessum*, etc. I. e. discesserint seu redierint in sua principia. —*Dederint.* Alii *dederunt*, et τὸ *quum* interpretantur non *eo quod*, sed *postquam*.

Dico igitur, rerum effigias tenueisque figuras
Mittier ab rebus, summo de corpore, eorum
Quæ quasi membranæ vel cortex nominitanda est,
Quod speciem ac formam similem gerit ejus imago,
Quojusquomque cluet de corpore fusa vagari.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde;
Principio, quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multæ, partim diffusa solutæ,

46. *Dico igitur*, etc. Quum igitur quatuor potissimum quærenda veniant de simulacris istis, nempe 1° exsistentia, 2° natura, 3° procreatio, 4° celeritas motus; his 62 vss. sqq. hoc est ad vs. 109, demonstrat illorum exsistentiam, variisque confirmat argumentis. Itaque his 5 vss. prioribus thesim, ut aiunt, proponit; atque asserit esse rerum simulacra, seu idola, quæ quasi membranæ, seu pelliculæ aut cortices, vel exuviæ mittantur de summo rerum corpore, hoc est, de suprema rerum superficie. Reliqua tria postea suo loco tractaturus est. Scilicet a vs. 109, ad vs. 130, simulacrorum naturam quam tenuissimam esse docet. Tum a vs. 144, ad vs. 177, docet modum quo generantur. Denique a vs. 177, ad vs. 217, de motu illorum agit. *Fay.* — *Effigias.* Alii *effigies.* Formam hanc, quam servandam habuimus, exhibet Afranius apud Nonium Marc. VIII, 77, et Plautus Rud. II, 4, 7. *Wak.*

47. *Eorum.* Vulgo *earum*, ex correctore, ut putem. In neutro genere dixit, cf. vs. 99, ut ambiguum evitaret ob tot nomina ejusdem generis, *effigias* scilicet, *figuras*, *rebus*. Et, si malis, ad *corporum* tacite τὸ *eorum* referre poteris. Insuper vulgo interpungunt post *eorum*; sed me perspicuitati consulturum esse existimavi, si vocabulum istud provehheretur in sequentia. *Wak.*

48. *Membranæ.* Alii *membrana.* Vero simillimum est librarios ad exquisitiorem constructionem offendisse, de qua verbum *nominitanda* ad postremum solummodo substantivum redit. De feminino genere vocabuli *corticis* vide ad Virg. Ecl. VI, 63; Heins. ad Ovid. Met. IV, 375. *Wak.*

50. *Quojuscumque cluet*, etc. Quod ea imago habet formam ac speciem ejus rei, cujus corpore *videtur* emissa volitare. Sic Ennius apud Nonium II, 147, *cluebat esse*; Plaut. Bacch. IV, 9, 1, *cluent fecisse.*

51. *Id licet hinc*, etc. His 19 vss. continetur primum argumentum, quo probat a simili, ut vocant, exsistere illa rerum simulacra. Sunt enim res multæ, quæ certissima ex se mittunt corpuscula. Lignum v. g. mittit a se fumum; et ignis calorem. Cicadæ vero ponunt veteres suas tunicas. Similiter ergo quidni res quoque mittant de se imagines aut simulacra. *Fay.* — *Quamvis hebeti.* Illud quivis, etiamsi rudis et inculto sit animo, possit cognoscere ex iis quæ jam dicturus sum. Alii volunt *quamvis* pro *quantumvis* dictum; minus bene. Ed.

52. *In rebus apertis*, in rebus notis, manifestis, et quæ nobis sunt in promtu. *Fay.*

53. *Solutæ.* Ordo est: Partim *solutæ* res, id est, se facile solventes, ut ligna, mittunt corpora *diffusa*, se passim diffundentia: partim solidiores res, ut teretes cicadæ, mittunt corpora contexta magis et condensa. Vulgo *solute*, minus eleganter. *Wak.*

Robora ceu fumum mittunt, ignesque vaporem;
Et partim contexta magis condensaque, ut olim
Quom teretes ponunt tunicas æstate cicadæ,
Et vitulei, quom membranas de corpore summo
Nascentes mittunt; et item quom lubrica serpens
Exuit in spinis vestem; nam sæpe videmus
Ollorum spoliis vepreis volitantibus auctas.
Quæ quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
Ab rebus mitti, summo de corpore rerum.
Nam quur olla cadant magis, ab rebusque recedant,
Quam quæ tenuia sunt, hiscundi est nulla potestas;
Præsertim, quom sint in summis corpora rebus
Multa minuta, jaci quæ possint ordine eorum,
Quo fuerint, et formai servare figuram;
Et multo citius, quanto minus indupediri

54. *Ceu.* Vulgo *seu*, pessime, et sine sensu.

56. *Teretes cicadæ.* Sic Pius, verissime: id est, «longiuscule rotundæ, et tamen solidius compactæ». Mens scriptoris sensum hunc efflagitat; vide expositionem meam ad vs. 53. *Wak.* — Vulgo *veteres*, quod referendum foret ad *tunicas*; neque mihi displiceret hæc lectio, nam longius quæsita forsan videbitur Wakefieldi interpretatio. Quidni autem *teretes tunicas* jungamus, ut V, 801 *teretes folliculos* dixit? Ed.

59. *Vestem.* Sic III, 613.

60. *Ollorum.* Nempe cicadarum, et vitulorum, serpentiumque. — *Spoliis*, exuviis, pellibus. — *Volitantibus*, ad auras motis; ob levitatem utique. *Wak.*

63. *Nam, quur*, etc. Hi 2 vss. repetuntur infra vs. 100. — *Olla*, illa nempe crassiore filo contexta; vid. vs. 100.

64. *Hiscundi est nulla potestas.* Ne hiscere quidem licet, quia nihil dici, nullave causa afferri potest cur illa quæ cernuntur, nempe membranas de vitalis nascentibus, etc. magis cadant et defluant de rebus, quam quæ sunt pertenuia et persubtilia, ut imagines. *L.*

66. *Eorum*; scilicet *corporum*, vel superficierum unde hæ particulæ, ex quibus imagines constant, sunt emissæ: eo ordine nimirum *quo fuerint*, quem prius habebant quam evolarent. Hæc autem quum editores habuerint minime perspecta, commentitiam suam lectionem *eodem* non erubuerunt poetæ obtrudere. *Wak.*

67. *Et formai ... figuram*; id est, ea externa lineamenta quæ formam efficere et χαρακτηρίζειν solent. *Wak.* — Notandum autem, quod Epicurus dicat, «Formam esse id, quod in corporis superficie continenter remanet, ipsa imagine tanquam spolio continenter avolante». Scilicet docuit Epicurus, teste Empirico, aliquid coloris solido hærere, aliquid vero derasum transferri, quod sit simulacrum. *F.*

68. *Et multo citius.* Immo tanto citius mitti possunt, quanto minus im-

Pauca queunt, et sunt in prima fronte locata.
Nam certe jacere ac perciri multa videmus,
Non solum ex alto penitusque, ut diximus ante,
Verum de summis ipsum quoque sæpe colorem:
Et volgo faciunt id lutea russaque vela,
Et ferrugina, quom, magneis intenta theatreis,
Per malos volgata trabesque, trementia fluctant.
Namque ibi consessum caveai subter et omnem
Scenalem speciem, patrum matrumque Deorumque,
Inficiunt, coguntque suo fluitare colore:
Et quanto circum mage sunt inclusa theatri

pediuntur, quum pauca sint et in superficie locata. Ed. — *Indupediri.* Vel *endopediri;* i. e. impediri, I, 241; II, 101, et alibi passim.

69. *Pauca:* nam quamvis multæ sint particulæ jaculabiles, non videntur ad has imagines tenuissimas confingendas uno tempore requiri multæ. Faber lectionem evulgatam coarguit, et reponit *parva;* cui non assentior. *Wak.*

70. *Nam certe jacere.* His 15 vss. confirmat, quod superiori argumento assumserat; nimirum esse res multas, quæ non tam ex interioribus sui partibus, quam ex superficie jaciant imagines ac simulacra sui. Præstabant enim hoc vela infecta coloribus luteis ac rufis, quæ populo Romano theatrales ludos spectanti faciebant umbraculum. Hinc concludit pari ratione mitti rerum effigies ac simulacra de supremo corpore illarum. *Fay.* — *Jacere,* absolute ponitur (pro *se jacere,* vel *jaci*); quem verborum usum Lucretio adamatum esse, satis constat; vide ad III, 433, 501. *W.* — *Perciri*, promoveri, excitari; III, 304. Vide Disq. var.

71. *Ex alto penitusque.* I. e. ex intimis et penetralibus rerum partibus; ut lignum abit in fumos; vs. 54.

72. *De summis.* De supremis seu extremis partibus; de summo cortice. — *Ipsum quoque colorem.* Qui quum sit res tenuissima atque superficiaria tantummodo, si jaculetur formas et imagines, multo magis quæ solidiora sunt ac densiora suas effigies debent emittere. *Wak.*

73. *Lutea,* lutei coloris, seu subrubicundi vel crocei. Sic Virg. Eclog. II, 50: « Mollia luteola pingit vaccinia caltha ». *Lamb.* — *Russaque.* H. e. coloris rutili, ac sanguinei.

74. *Ferrugina.* Vel ferruginea. Est autem ferrugo purpura obscurior, et propemodum nigra. *Lamb.*

75. *Volgata,* volitantia. Sic II, 163, et 346, *pervolgant.* Et jam infra vs. 209, et V, 1161. — *Fluctant.* Vide Disq. var.

76. *Caveai.* Cavea autem hoc loco significat totum illum locum inclusum, in quo sedent spectatores. *Lamb.* — Cf. Virg. Æn. V, 340. — *Subter;* refer ad *consessum,* qui est subter; vel ad *caveæ,* quæ subter panditur.

77. *Scenalem speciem.* Sic libri optimi ac plurimi; vulgo *scenai.* Sensus est: Quicumque præsentia sua ac conspectu maximum scenæ decus et splendorem addunt, senatores, matronæ, deorum imagines. Ed.

79. *Mage.* Et quanto magis mœnia

Mœnia, tam magis hæc intus, perfusa lepore,
Omnia corrident correpta luce diei.
Ergo lintea de summo quom corpore fucum
Mittunt, effigias quoque debent mittere tenueis
Res quæque; ex summo quoniam jaculantur utræque.
Sunt igitur jam formarum vestigia certa,
Quæ vulgo volitant, subtili prædita filo,
Nec singillatim possunt secreta videri.
Præterea, omnis odos, fumus, vapor, atque aliæ res
Consimiles, ideo diffusæ rebus abundant,
Ex alto quia, dum veniunt extrinsecus, ortæ,
Scinduntur per iter flexum; nec recta viarum
Ostia sunt, qua contendunt exire coortæ.

theatri velis clausa erunt, ita ut nullus luci pateat locus a lateribus.

81. *Corrident*, renident; vel lætitia diffundunt spectatorem; vel ita hilaritatem præ se ferunt, ut ridere videantur. *Lamb.* — Cf. II, 147, 502. — *Correpta.* Hoc est, raptim et celeriter concepta a parte superna. *Lamb.*

82. *De summo corpore.* De suprema superficie sua, *fucum*, colorem emittunt.

83. *Effigias;* supra vs. 46.

84. *Ex summo*, ex superficie, vs. 82. — *Jaculantur.* Supple *se;* nam sensu absoluto dictum; sicut *jacere*, modo ad vs. 70. — *Utræque.* Nempe fucus seu color ille quem mittunt lintea; et effigiæ, quas res quæque mittit. Nolim vero *utræque* referre ad *lintea*, et *res quæque*, quanquam apte sic *jaculantur* valeret *emittunt corpora*, ut vs. 101.

85. *Sunt igitur*, etc. His 3 vss. concludit ex disputatis ac probatis hactenus inesse ac exsistere rerum illa simulacra, de quibus agitur: aut saltem certa vestigia illorum. *F.* — *Certa.* Pius *cæca;* male: nam respicitur ad experientiam rei visæ certæque. *Wak.*

86. *Subtili prædita filo.* I. e. pertenuia, subtilia: textura parum crassa; quibus opponuntur *contexta condensaque*, vs. 55, et redeas ad II, 341. *Wak.*

87. *Singillatim.* Has formas non particulatim, vel per partes singulas, ex quibus constant, oculis usurpari; sed universe tantummodo et in effectu suo generali. *Wak.*

89. *Diffusæ rebus abundant.* Aliæ res ejusdem generis ideo raræ et dispersæ e rebus effluunt. *Creech.*

90. *Ex alto quia*, etc. Quia res *ex alto* (vs. 71), ex partibus internis ac penitissimis ortæ, dum veniunt *extrinsecus*, ad externam superficiem, vel extra versus, scinduntur per iter flexum. *W.* — Ordo verborum neminem offendere potest, qui comparaverit II, 84; III, 585, etc. *Forb.*

91. *Per iter flexum*, per obliquos et tortuosos meatus ascendentes discerpuntur. *Creech.*

92. *Coortæ.* Wakef. maluit *coorta*, ad morem Lucretii, non morose dictionem præcedentem *res* in animo tenentis; sic vss. 47 et 99. Equidem tamen, quia præcessit *ortæ*, et propter τὸ *ostia*, ma-

At contra, tenuis summi membrana coloris
Quom jacitur, nihil est, quod eam discerpere possit;
In promtu quoniam est, in prima fronte locata.
Postremo speculis, in aqua, splendoreque in omni,
Quæquomque apparent nobis simulacra, necesse est,
Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum,
Esse in imaginibus missis consistere eorum.
Nam quur olla cadant magis, ab rebusque recedant

lui cum Forb. vulgatam reducere, ne quid hoc loco sit ambiguum. Ed.

93. *Summi*, qui ad superficiem residet.

95. *In promtu*, in aperto, manifesto. — *In prima fronte;* vs. 69. — Recte Wak. cum Altero distinctionem vulgo post *promtu* positam sustulit, graviori interpunctionis signo voci *possit* adjecto. *Forb.*

96. *Postremo speculis*, etc. His 7 vss. continetur ultimum argumentum, quo imaginum exsistentiam, quam vocant, asserit. Simulacra, inquit, quæ a nobis cernuntur in speculis, in fontibus, seu in aquis, et in re qualibet plana ac lævigata, simillima sunt iis rebus, quarum sunt simulacra. Igitur necesse est, ut simulacrorum exsistentia consistat in imaginibus missis a rerum summo corpore. Namque nulla alia causa reddi potest, tam exactæ similitudinis, nisi cortex summus ille, qui toti rei dudum hærens, quasi membrana separatur, et appellit in speculum, aut in aquam. Notabis autem, quod et infra jam fusius explicabitur, dum de speculis agetur, singulas rerum imagines, quæ in speculis aut in aquis cernuntur, non unas esse, sed multas, quæ perpetuo repulsu multarum imaginum in specula brevi tempore appellentium e præsentibus corporibus continuatæ, non plures, sed quasi una videantur imago. Scilicet id nobis monstrat experientia, imagines ex ipsis usque corporibus transmitti, quum præsentibus corporibus appellant in speculum : et, si corpora moveantur, moventur ipsæ; si discedant, abeunt, etc. *F.* — *Speculis.* P. *in speculis*, quod inscite placuit editoribus; nam tuto hoc imputes supplementum scribæ, qui latinitatem laborare sine copula falso arbitratus est. *Wak.* — *Splendoreque in omni.* H. e. in omni corpore splendido, lævigato, etc.

99. *Esse.* Hoc est, τὸ εἶναι, ἡ οὐσία, exsistentia. Necesse est eorum corporum, quæ simulacra ex superficiebus splendidis remittunt, essentiam consistere adumbratam in his imaginibus; adeo ut quodlibet manamen sit rei illius, unde emanaverit, subtilissima licet, vera nihilominus repræsentatio. *Wak.* — Mos autem ille Lucretianus in *eorum*, de præcedente substantivo *rerum* minime sollicitus, viros doctos ludificatus est; vide ad vs. 47, 92. *Wak.* — Aliquando crediderim hic *eorum* forsan non cum *imaginibus* jungi, sed cum substantivo *esse*, id est, *eorum exsistentiam*, scil. simulacrorum. Sed vereor an hoc latinitas patiatur. Ed.

100. *Quur illa;* crassa simulacra, utut de speculis tantummodo et perquam tenuia, quæ possunt oculis tamen contingi, præ illis quæ ex quibusdam corporibus effunduntur, et contentissimam atque acutissimam oculorum aciem penitus eludunt. *W.* — Vide Disq. var. et supra vs. 63.

Abrotoneique graves, et tristia centaurea:
Quorum unumquodvis leviter si forte ciebis,
Quin potius noscas rerum simulacra vagare
Multa modis multis, nulla vi, cassaque sensu:
[Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.]
Sed, ne forte putes ea demum sola vagari,
Quæquomque ab rebus rerum simulacra recedunt;
Sunt etiam, quæ sponte sua gignuntur, et ipsa
Constituuntur in hoc cœlo, qui dicitur aer:
Quæ, multis formata modis, sublime feruntur,
Nec speciem mutare suam liquentia cessant,

amarum.—*Panaces*, de qua Plin. XXV, 4, seu 11; Virg. Æn. XII, 419.

124. *Abrotonei.* Abrotonum Plinio XXI, 7 s. 18. — *Tristia*, amara; conf. Virg. G. II, 246. Vide supra ad I, 943.

126. *Quin potius.* Vide in Disq. var. ad vs. 122. Vulgo *quamprimum*, contra libros. — De diversis significationibus, quas vocula *quin* nacta est, Gellius disputat, Noct. Att. XVII, 13. *Wak.* — Locus sane obscurus et difficilis, in quo cum ceteris hæreo. An, si nihil excidit, per longam ellipsin sic exponi potest: *quorum* graveolentium corporum si unumquodvis leviter motitabis, (et ideo corpuscula odoris, licet oculis non percepta, tamen senties) hinc *immo potius* intelliges e rebus posse emanare *imagines*, quæ *nulla vi sensus* nostros moventes, minutissimis constant atomis. Ergo *sensu cassa* dictum erit pro: quæ nihil habent ut sentiantur. Videant docti de re admodum ambigua. Ed.—*Vagare;* III, 628.

128. *Quorum quantula*, etc. Hi 2 vss. repetuntur infra vs. 175; ubi vide; et hic spurii atque insititii videntur.

130. *Sed, ne forte putes*, etc. His 14 vss. data occasione monet Poeta simulacra omnia non esse corporum exuvias: sed quædam sponte sua nonnunquam gigni, nec e corporibus ullis cadere. Quod videre est, inquit, in nubibus per aera vagantibus. Harum enim nonnullæ modo gigantis, modo montium, modo saxorum, modo etiam belluarum figuram imitantur; quam tamen diu non tuentur, quippe quæ sit in molli materia: sed abeunt tandem in varias ejusmodi et monstrosas formas. Duplicem igitur agnovit modum, quo simulacra gignantur. Præcipuus quidem ille est, quo simulacra fiunt per dereptionem, de quo jam infra vs. 144. Minus vero præcipuus, quo fiunt spontanea quædam eruptione, ac concretione in aere. Hæc autem simulacra sponte genita vocat Epicurus apud Laert. συστάσεις, quasi concrementa seu coagmentationes. Quæ vero fiunt per dereptionem ex supremis rerum partibus, ea vocat ἀποστάσεις καὶ ἀπορρύσεις, quasi effluxus quosdam e rebus. *Fay.*

133. *Hoc cœlo qui dicitur aer;* nam constituebantur ab Epicureis cœli plures; vide II, 1097. *Wak.*

134. *Sublime.* I. e. in altum; Virg. Ecl. IX, 29.

135. *Liquentia.* Ex liquida materia formata, nempe ex vaporibus et nubi-

Et quojusque modi formarum vortere in oras.
Ut nubeis facile interdum concrescere in altum
Cernimus, et mundi speciem violare serenam,
Aera mulcenteis motu : nam sæpe gigantum
Ora volare videntur, et umbram ducere late ;
Interdum magnei montes avolsaque saxa
Montibus anteire, et solem succedere propter ;
Inde alios trahere atque inducere bellua nimbos.
Nunc ea, quam facili et celeri ratione gerantur,
Perpetuoque fluant ab rebus, lapsaque cedant.
Semper enim summum quidquid de rebus abundat,

bus. *F.* — In aera purum evanescentia, et se de novo concinnantia. *Wak.*

136. *Et cujusque modi*, etc. Et se convertere in varia lineamenta figurarum quarumlibet. *Orœ* sunt rerum externa lineamenta vel extremitates. — *Vortere*, neutre quasi *verti;* Virg. G. III, 365. *W.*

137. *Facile.* Id est, facili et celeri ratione, ut vs. 144. — *In altum.* Sic P. verissime, atque cum elegantia minime vulgari, loco *alte;* i. e. « in profunditatem atque crassitudinem », una serie nubium super aliis sensim nubibus agglomerata. Legitur in reliquis, *in alto;* quam frigide! *Wak.*

138. *Mundi*, cœli, ut sæpius.

139. *Aera mulcenteis motu.* Motu suo, per quem magnam formarum varietatem induunt, aera exhilarantes quasi atque jucunditate quadam afficientes. *W.*

140. *Ora*, vultus, facies. Virg. Æn. VII, 328.

141. *Avulsaque saxa Montibus ;* quæ scilicet hi gigantes manibus jaculantur, vel usque ad cœlum congerunt, ut in vetere fabula. *Wak.* — Forsan tamen istud acumen non quæsivit Lucretius; nam verba *anteire* et *succedere* cum hac gigantomachia parum congruunt. Ed.

142. *Succedere propter.* « Hæ montosæ nubes nunc præcedunt solem, nunc juxta subsequuntur. » Hæc est sincerissima lectio codicis nostri II. et unice menti poetæ commoda. Vulgo *præter ;* sensu, si quid valeam discernere, minime tolerando : nam neque *præter ire* recte opponitur τῷ *ante ire*, neque *præter succedere* rationibus legitimis Latini sermonis convenire puto. *Wak.*

143. *Bellua.* Plinius Nat. Hist. II, 50 : « Fit et caligo *belluæ* similis, nube dira navigantibus ». Locus etiam appositissimus Diodori Siculi, legitur in lib. III, sect. 50. *Wak.*

144. *Nunc ea, quam facili*, etc. His 33 vss. jam docet modum generationis simulacrorum. Dicit autem modum hunc, quo generantur simulacra quæ e rerum superficie dimanant, esse facilem, celerrimum, et perpetuum, si nihil obstet. *F.* — *Nunc ea quam*, etc. Supple : dicam, ostendam. — *Gerantur*, administrentur, et officiis suis defungantur. Vulgo *genantur*, sine librorum auctoritate. Lamb. opportune admovit Diog. Laert. X, 48.

145. *Perpetuoque fluant.* Ad rem Macrob. Saturn. VII, 14.

146. *Summum quidquid de rebus abundat.* I. e. summum quidque; aliquid semper ultro vadit ad supremam rerum superficiem. Scilicet, quia atomi, quæ se mittere moliuntur ex supremo rerum

Quod jaculentur; et hoc, alias quom pervenit in res,
Transit, ut in primis vestem: sed, ubi aspera saxa
Aut in materiam ligni pervenit, ibi jam
Scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit.
At quom, splendida quæ constant, opposta fuerunt,
Densaque, ut in primis speculum est; nihil accidit horum:
Nam neque, uti vestem, possunt transire, neque ante
Scindi, quam meminit lævor præstare salutem.
Quapropter fit, ut hinc nobis simulacra redundent:
Et, quamvis subito, quovis in tempore, quamque
Rem contra speculum ponas, apparet imago:
Perpetuo fluere ut noscas e corpore summo
Texturas rerum tenueis, tenueisque figuras.
Ergo multa brevi spatio simulacra geruntur,

corpore ad imaginis concretionem, semper præsto adsunt propter motum sibi ingenitum.

147. *Hoc.* Suppl. summum quidquid; i. e. imago illa lapsa de rerum superficie.

148. *Sed ubi.* Sic summo cum consensu quidquid est librorum antiquorum; pro quibus editores substituerunt *sed in*. In hoc autem loco non opus est arcessere præpositionem ex sequentibus; nam *pervenire saxa* non minus recte dicitur, quam *pervenire in saxa*: vide Burmannum ad Ovid. Met. III, 462. *W.*

151. *Constant;* id est, sunt, ut alibi sæpe.— *Opposta*, opposita.

152. *Nihil accidit horum.* Lamb. bene; i. e. neque scinditur, neque transit imago: sed lævor speculi excipit illam, ac sanam reddit nobis. Pareus, *nihil occidit horum*, h. e. nihil horum simulacrorum tunc perit; sed male ob vs. sq. *F.*

153. *Possunt.* Editi quidam *possit* proximo nominativo in vs. 147 consulentes; sed poeta nos ad remotius vocabulum in vs. 144 delegare maluit. *Wak.*

154. *Meminit.* Lepide noster in speculum inanimatum recordationis facultatem transfert. — *Salutem*, quia lævor, seu æqualitas speculi conservat illa simulacra. Hic autem iterum non abs re fuerit observare duo potissimum ex omnium consensu requiri ad speculorum naturam, lævor, qui nunquam est sine splendore, et densitas corporis. *F.*

155. *Redundent;* ut nuper, ad vs. 146, *abundat:* ob *crebritatem* scilicet atque *assiduitatem* profluentium particularum; vide vs. 105. *Wak.*

156. *Quamvis subito*, licet subito, vel dictum potius est pro *quantumvis*. —*Quamque*, et quamlibet, quamcumque rem.

158. *Perpetuo fluere*, etc. Putat enim Lucretius cum Epicuro et Platone imaginem, quæ in speculo cernitur, non esse quid unum constans, certum, stabile, ac idem: sed alias atque alias imagines, alteram in alterius locum, deinceps et sine ulla interruptione succedentes. Quod quidem jam probat Lucretius v. 162 a similitudine radiorum ac lucis solis. *Lamb.*

160. *Brevi spatio* temporis *geruntur*, fiunt, generantur. Sic vs. 144, 255, et

Ut merito celer his rebus dicatur origo.
Et quasi multa brevi spatio submittere debet
Lumina sol, ut perpetuo sint omnia plena:
Sic ab rebus item simili ratione, necesse est,
Temporis in puncto rerum simulacra ferantur
Multa modis multis in cunctas undique parteis:
Quandoquidem, speculum quoquomque obvortimus oreis,
Res ibi respondent simili forma atque colore.

Præterea, modo quom fuerit liquidissima cœli
Tempestas, perquam subito fit turbida fede
Undique, uti tenebras omneis Acherunta rearis
Liquisse, et magnas cœli complesse cavernas.
Usque adeo, tetra nimborum nocte coorta,
Impendent atræ Formidinis ora superne:
Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est

alibi passim. Lambinus pro more, *genuntur*.

161. *Celer*. Hoc vocab. etiam feminini generis est; qua de re conf. Prisc. V, 3, et VII, 11.

162. *Et quasi multa brevi*, etc. His 7 vss. comparat imagines cum luce solis; putatque illas eo modo e corporibus fluere, quo hanc e sole. *F.*—*Quasi*, quemadmodum. — *Submittere;* quasi de fundo suo mittere, ut omnia semper luce repleantur.

167. *Quocumque obvortimus oreis*. In quamcumque partem obvertimus lineamentis corporum et figuris; vide ad vs. 136. Havercampi autem ratio *res oris* sociantis, ut *res veneris* II, 173, mihi longe durissima videtur. *Wak*.

169. *Præterea, modo*, etc. His 8 vss. videtur potius asserere simulacrorum tenuitatem (vide ad vs. 175) ac exilitatem, quam celerem eorum generationem. Quanquam confirmat simulacra celeriter ac subito generari; siquidem, ubi cœlum fit repente turbidum, apparent species, spectra et imagines in aere, quæ antea non apparebant. Ergo cito generatæ sunt. *F.* — *Cœli Tempestas*, cœlum, Virg. G. I, 417. — Videtur poeta alteram nunc argumenti partem tractare, et, postquam de *celeri* et *perpetua* simulacrorum, e *rebus* nascentium, origine disseruit, ad ea transit, quæ sponte sua gignuntur; cf. vs. 130 sqq. Ed.

171. *Acherunta*. Hi 4 vss. iterantur VI, 251 sqq.

172. *Cœli cavernas*. Sic loquitur Varro apud Nonium: «Nubes aquai, frigido velo leves, Cœli cavernas aureas subduxerant». Sic Cicero in Arat. «Dicitur et late cœli lustrare cavernas.» *L*.

174. *Ora*. I. e. figuræ, formæ, spectra, etc. — Cf. Virg. Æneid. XII, 335.

175. *Quorum quantula*, etc. Loci sensus nequaquam patet. Noster enim de *celeri* simulacrorum *origine* (vs. 161) modo disserere videbatur, et in idem argumentum dixit ea quæ in vs. 170; nunc autem de *tenuitate* concludit. In vado

Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
Et quæ mobilitas ollis, tranantibus auras,
Reddita sit, longo spatio ut brevis hora teratur,
In quem quæque locum divorso numine tendit,
Suavidicis potius, quam multis, versibus edam :
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus austri.
Principio, persæpe leveis res, atque minutis
Corporibus stanteis, celereis licet esse videre.

hærere me fateor. Quare hos duos versus, qui jam vs. 128 occurrunt, hic quoque alieno loco positos esse suspicor. Si quem tamen sensum hinc eruere valeo, hic est : *quorum* nimborum, varias jam formas et *simulacra* per se efficientium (vs. 137 sqq.), *imago* in speculo apparens *quantula pars* est, quam subtilibus atomis constans, quippe quæ simulacrorum simulacrum sit! Ed.

177. *Nunc age, quam celeri*, etc. His 40 vss. sqq. disputat de imaginum mobilitate. Vult autem ex Epicuri doctrina simulacra rerum ferri celeritate inexsuperabili, h. e. unico temporis instanti diversas in partes, diversaque in loca ferri nullo etiam conamine. Hanc vero celeritatem repetit ex atomorum tenuitate, quibus simulacra constant. Quæ enim levia sunt et minutis compacta corpusculis, ea celerrima sint necesse est, uti docuit abunde lib. II. Itaque his 7 vss. prioribus monet se breviter de his disputaturum. *F.*

178. *Tranantibus auras.* Virg. Æn. IV, 245, *turbida tranat nubila.*

179. *Reddita*, data, attributa, *ut* in conficiendo *longo* itineris *spatio*, vix *brevis hora* consumatur. Sic ad I, 1015, *exiguum horai tempus.*

180. *In quem locum quæque*, scil. imago cadit aut emittitur. Alii leg. *in quemcumque ... tendunt.* — *Numine*, nutu, clinamine, inclinatione, conversione ; cf. II, 632. *Wak.*

181. *Suavidicis potius*, etc. I. e. saltem si argumenti duritia intractabilis consideretur; quæ jejuna cum scabritie, et oratione nimis injucunda, nec defendente tædium lectoribus, prosis sermonibus explicari solet. *Wak.* — Hi 3 vss. repetuntur infra vs. 908.

182. *Parvus ut est*, etc. Hæc nostes fere verbo ad verbum transtulit ex Antipatri poematio in Erinnam lib. III epigr. : Ἀωΐτερος κύκνου μικρὸς θρόος, ἢ κολοιῶν Κρωγμὸς, ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις. I. e. « Parvus cycni melior cantus, quam strepitus graculorum in nebulis ætheriis sparsus. »

183. *Dispersus ;* quia ingens, et undique exauditur.

184. *Principio, persæpe*, etc. His 15 vss. probat miram et inexsuperabilem celeritatem redditam esse imaginibus, quia constant ex atomis seu principiis levibus ac minutis, et innato motu volubilibus. Sic enim lux et calor solis, quia constant ex atomis levibus et minutis, celeriter feruntur per immensa mundi spatia, atque uno et eodem temporis instanti percurrunt a cœlo in terras. *F.*

185. *Stanteis*, constantes, consi-

In quo jam genere est solis lux, et vapor ejus;
Propterea, quia sunt e primis facta minutis:
Quæ quasi cuduntur, perque aeris intervallum
Non dubitant transire, sequenti concita plaga:
Suppeditatur enim confestim lumine lumen,
Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.
Quapropter simulacra pari ratione necesse est
Immemorabile per spatium transcurrere posse
Temporis in puncto: primum, quod parvola causa
Est procul a tergo quæ provehat atque propellat:
Deinde, quod usque adeo textura prædita rara
Mittuntur, facile ut quasvis penetrare queant res,
Et quasi permanare per aeris intervallum.
Præterea, si, quæ penitus corpuscula rerum

stentes, ὑπαρχούσας. Vulgo *factas;* sed incredibile prorsus est scripturam *stantes* aliunde primitus derivari posse, quam ex ipsius poetæ manu. *Wak.*

186. *Vapor,* calor; sic vs. 201, et alibi passim.

187. *Primis.* Hoc est, primordiis. Sic II, 313.

188. *Quæ quasi cuduntur.* Id est, excuduntur; verbo simplice potestatem compositi habente: ut modo similiter, ad vs. 185. *Cudere* autem similitudinem speciosissimam, et rei depingendæ longe commodissimam, præbet; qua significat, minutas lucis particulas ea velocitate a corpore solis absistere, qua scintillæ, quæ candenti ferro (vel fortasse collisæ silici) excuduntur. *Wak.*

189. *Non dubitant:* vivide dictum est de rebus inanimis et insensilibus. *W.* — *Sequenti concita plaga.* I. e. particula particulam impellente, dum plaga plagam insequitur, et continuo flumine lucem facit prosilire. Nimirum in eadem figura perseverat, interpretationemque meam præcedentis versus validissime communit locus, et me certissimam mentem poetæ deprehendisse clare demonstrat: quod impense placet, quum versus in hunc diem plane conclamatus jaceret, ac projectus. His autem non minus optime congruunt sequentia. *Wak.*

191. *Protelo,* perpetuo ac continuato impulsu, ut diximus II, 532.—*Fulgure fulgur.* Lumine lumen, ut notatum est II, 325, 332, etc. — *Fulgur* enim pro fulgore usurpatur passim a Lucretio.

193. *Immemorabile.* Retinui cum Eichst. vulgarem lectionem quam Wak. e Pii codd. in *innumerabile* mutavit sine causa idonea. *Forb.*

194. *Parvola causa.* Quidam jungunt hæc duo verba; male.— *Parvola,* id est, tam subtilia ac minuta lucis corpuscula; ut jam docuit ad vs. 192, et mox ad vs. 196. *Wak.*

198. *Et quasi permanare.* Id est, ita penetrant, ac si *fluidis* particulis, non autem solidis, consistant. Nam, quæ fluida sunt, maxime penetrabilia perhibentur. *Wak.*

199. *Præterea, si,* etc. His 11 vss. alterum argumentum a majori ad minus, ut aiunt, ducitur. Si enim, inquit, cor-

Ex altoque foras mittuntur, solis uti lux
Ac vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei
Per totum cœli spatium diffundere sese;
Perque volare mare ac terras, cœlumque rigare,
Quod super est; ubi tam volucri levitate feruntur:
Quid? quæ sunt igitur jam prima fronte parata,
Quom jaciuntur, et emissum res nulla moratur,
Quone vides citius debere et longius ire;
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo solis pervolgant lumina cœlum?
Hoc etiam in primis specimen verum esse videtur,
Quam celeri motu rerum simulacra ferantur:
Quod, simul ac primum sub diu splendor aquai

puscula, quæ de cœlo mittuntur ad nos, v. g. lumen et calor solis, puncto temporis totum ætheris immensum spatium occupant ac implent; quanto magis ea corpuscula, quæ sunt in promtu, ac prima fronte rerum locata, nimirum simulacra, dum jaciuntur, nec ulla res obest, summa debent celeritate ferri, ac longius ire. Itaque putat lumen et calorem solis, quia penitus seu intrinsecus mittuntur a sole, minus celeriter ferri, quam imagines, quæ jaciuntur de suprema rerum facie; et quæ ideo minus retineri aut impediri debent. Eodem est usus argumento, II, 161 et sqq. *F.*

200. *Ex alto;* vs. 71; cf. 269. — *Foras* autem simpliciter valet *de loco quovis*, ut I, 978, 1106. *Wak.*

201. *Puncto diei*, quod *puncto temporis* modo vocaverat, vs. 194.

203. *Perque volare.* Hic *pervolare* active dictum putem: junge, si mavis, *volare per mare*, etc. — *Cœlumque rigare.* Metaphora est ducta a fontibus. Sic V, 594: nec multo aliter ad II, 143, « *spargit* lumine ».

204. *Quod super est.* Si illa corpuscula se diffundunt per mare, et terras, et cœlum omne, quod supra est, implent, quippe quæ tanta celeritate motus ferantur; nonne igitur, etc. Sic vulgo distinguitur, et bene, opinor: paullo obscurius autem Wak. « cœlumque rigare; quod super est, ubi... feruntur, quid, quæ sunt, » etc. Sic nimis intricatam constructionem fore censeo. Ed.

205. *Prima fronte,* in superficie, vs. 69. Vulgo *prima in fronte,* sine libris.

206. *Emissum*, emissionem, jaculationem.

207. *Quone.* Vulgo *nonne;* quæ mera est interpretatio formulæ in rarissimis, et ad leges grammaticas non temere exigendæ; nam vocula *quo* videtur omnino supervacanea. Vide ad Liv. XXXIV, 6, 14. Hor. Sat. I, 10, 21, *quine putetis. W.*

208. *Multiplexque loci,* etc. Hi 2 vss. positi sunt jam II, 162.

210. *Hoc etiam in primis*, etc. His 7 vss. experimentum subjicit. 'Si enim, inquit, pelvim aqua plenam, cœlo stellante, h. e. stellis de nocte micantibus, sub dio exposueris, repente stellæ cernuntur in aqua. Igitur momento temporis imago stellarum advenit e cœlo in eam aquam, atque celerrime fertur. *F.*

212. *Sub diu.* Sic optime codices integerrimi et antiquissimi; reliqui, *sub*

Ponitur, extemplo, cœlo stellante sereno,
Sidera respondent in aqua radiantia mundi.
Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago
Ætheris ex oris in terrarum accidit oras?
Qua re etiam atque etiam mira fateare necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visumque lacessant,
Perpetuoque fluant certis ab rebus obortu;
Frigus ut a fluviis, calor ab sole, æstus ab undis
Æquoris, exesor mœrorum litora circum:
Nec variæ cessant voces volitare per auras:
Denique in os salsi venit humor sæpe saporis,
Quom mare vorsamur propter; dilutaque contra

divo. Vetustissimi nimirum Romanorum *dius* dicebant pro *dies;* Nonius Marcellus, II, 230.

213. *Sereno*. Sic ex uno codice Wak. Vulgo *serena sidera*.

214. *Mundi*, cœli.

215. *Puncto tempore*. I. e. brevi tempore; II, 263.

216. *In*. Sic libri omnes; vulgo *ad*. — *Accidit*. Alii *accidat*. Utroque modo dicitur, sed in concessa certaque re modus indicativus videtur esse præferendus. *Wak*.

217. *Qua re etiam atque etiam*, etc. Hactenus de exsistentia, natura, procreatione, et celeritate motus simulacrorum seu imaginum. Jam vero ex supra disputatis confirmaturus est perpetuo fluore mitti simulacra a rebus, quorum interventu seu potius incursu sensationes omnes fiant, et sine quibus non fierent. Itaque pervagatur singula sensuum objecta; incipitque a visu, de quo disputat ab hoc vs. 217 ad vs. 523. His itaque 14 vss. prioribus continetur primum argumentum, quo probat a simili, ut aiunt, visionem fieri ex incursu imaginum. Quo et argumento usus est Epicurus, teste Macrob. Saturn. VII, 14. *F*. — *Mira*. Vulgo *mitti hæc*, ex emendatione Lambini; contra librorum auctoritatem. — *Qua re mira*. I. e. *de* qua re mira, ob quam rem miram; quasi dixerit: Hanc rem summopere mirandam propriis oculis cernis fieri, et ipsa experientia te cogit assentire: quidnam igitur est causæ, ut contra alia persimilia, nec mirabilia tamen magis, quæ sub oculorum intuitum non cadunt, pertinaciter repugnes? *W*. —*Fateri* porro *corpora* debet accipi ut *fateri peccata*. *Wak*. — Vide autem Disq. var.

218. *Visumque lacessant*. Id est, feriendo quasi provocent; vs. 599. *W*.

219. *Obortu*. Qui dictionem insolentem insimulare velit, illi non longius regrediendum est quam ad vs. 206, ubi etiam desueto vocabulo Noster utitur: ceterum vide Disq. var.

220. *Æstus;* id humoris utique quod effervescit ex impetu et inquietudine maris; sic salsus sapor, vs. 223.

221. *Exesor*. Qui exedit mœnia, juxta oras marinas exstructa. — *Mœrorum*. Antiqua scriptura pro *murorum*. Sic VI, 926; sic etiam Virg. Æn. X, 24.

222. *Per auras*. Turnebus conj. *aures*, perperam.

224. *Contra*. Ad *tuimur* hoc vocabulum referri debet: i. e. « Quum contra

Quom tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, et in cunctas dimittitur undique partes;
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluundi;
Perpetuo quoniam sentimus, et omnia semper
Cernere, odorari licet, et sentire sonare.

Præterea, quoniam manibus tractata figura
In tenebris quædam cognoscitur esse eadem, quæ
Cernitur in luce, et claro candore; necesse est
Consimili causa tactum, visumque moveri.
Nunc igitur, si quadratum tentamus, et id nos
Commovet in tenebris; in luci quæ poterit res
Accidere ad speciem, quadrata nisi ejus imago?
Esse in imaginibus quaproter causa videtur
Cernundi, neque posse sine his res ulla videri.

Nunc ea, quæ dico, rerum simulacra feruntur

stantes tuimur » : ex opposito scilicet et satis propinquo loco. *Wak.*

225. *Tuimur.* Tertiæ conjug. Sic I, 301. — *Amaror.* Gell. I, 21; Virg. G. II, 247.

228. *Inter ... fluundi.* Tmesis vocabuli interfluendi : nec unquam cessant a fluendo.

230. *Sentire sonare.* Sic omnia, quotquot sint quolibet genere, vetera exemplaria : sed tamen editores, quos nihil terruit, de suo nobis obtruserunt *sonorem :* quam inverecunde! Redi ad vs. 99. *Wak.*

231. *Præterea, quoniam manibus*, etc. His 9 vss. continetur secundum argumentum, quo probat visionem fieri ex incursu imaginum. Hoc autem tale est argumentum. Figura, inquit, aliqua in tenebris ac noctu tractata manibus, eadem esse cognoscitur, quæ de die ac in luce cernitur. Atqui figura in tenebris non cognoscitur manu, nisi per speciem et imaginem, quæ a figura illa extrinsecus accedat ad manum. Ergo neque in luce cernitur ab oculo, nisi per imaginem et simulacrum. *F.*

233. *Candore*, lucis solaris nempe.

235. *Tentamus*, tractamus, sentimus, exploramus.

237. *Quadrata imago.* Ut nuper ad *tactum*, nunc ad *visum*, accedens; qui et ipse est species quædam *tactus :* perlegas notata nobis ad II, 816. *Wak.*

238. *Esse in imaginibus*, etc. His itaque 2 vss. concludit Lucretius causam visus esse sola simulacra. Vide Disq. var.

240. *Nunc ea, quæ dico*, etc. Postquam illa præmisit de causis visus, seu de imaginibus, quas visus causas esse ait, his 5 vss. jam docet imagines ubique adesse, nosque circumstare, ita ut per ipsas videre nihil nos prohibeat, si modo oculos illis percipiendis solos destinatos converterimus. Igitur etiamsi volitent ubique et undique imagines, tamen ea duntaxat parte cernimus eas, in quam oculos et faciem vertimus. *F.*

Undique, et in cunctas jaciuntur didita parteis;
Verum, nos oculis quia solis cernere quimus,
Propterea fit, uti, speciem quo vortimus, omnes
Res ibi eam contra feriant forma atque colore.
Et, quantum quæque ab nobis res absit, imago
Efficit ut videamus, et internoscere curat.
Nam, quom mittitur, extemplo procudit agitque
Aera, qui inter se quomque est oculosque locatus;
Isque ita per nostras acies perlabitur omnis,
Et quasi pertergit pupillas, atque ita transit.
Propterea fit, uti videamus quam procul absit
Res quæque; et quanto plus aeris ante agitatur,
Et nostros oculos perterget longior aura,

241. *Didita*, dispersa, distributa; III, 476.

242. *Solis;* non nisi oculis.

243. *Speciem*, vultum, faciem oculos, ὄψιν, *aspectum*. *Lamb.*

244. *Res ibi*, ad alias omnes partes utique, si in omnes poterant oculi se convertere eodem tempore, sensum percussuræ. *W.* — *Forma atque colore*, quæ duæ corporum proprietates solæ possunt oculis usurpari. *Wak.*

245. *Et, quantum quæque ab nobis*, etc. His ita præmissis de simulacris seu imaginibus, quas visus causas agnovit, jam diversa soluturus est problemata de visu; atque inprimis his 12 vss. illud primum: Cur nempe, quum rem aliquam videmus, quantum ea procul absit a nobis cognoscere possimus. Neque enim imago solum rerum figuram ac summum colorem refert, sed et intervallum; idque tanta celeritate fit, ut res simul et illius intervallum internoscatur. Scilicet quia imago a re contendens in oculos compulsat ante se aerem intermedium; prolixiorem quidem, dum eminus appellit: compendiosiorem vero, dum cominus. Atque ita aer ille protrusus et præcoactus ab imagine perlabitur pupillam oculi ea ratione, qua protruditur, h. e. vel compendiosa vel prolixa ratione: unde fit ut et rei intervallum sic internoscatur et videatur. *F.*

246. *Curat.* Facit, efficit: quasi scilicet hæc imago res esset vita sensuque prædita; vide ad vss. 154, 823; III, 128; V, 1014; VI, 231.

247. *Procudit.* Alii *protrudit;* sed illam lectionem, re diligentius pensitata, admittendam esse in contextum duximus: nam exquisitior est, et multo minus indoctum correctorem redolet; vide vss. 188, 281. *Wak.*

248. *Qui quomque.* Hic vs. repetitur infra vs. 282.

249. *Per nostras.* Wak. mallet *sub*, ut sensus sit: « Isque ita aer omnis cujus ope ferit oculos imago, per omne intervallum labitur usque ad nostras acies: » sed vetera exemplaria nihil habent varietatis.

250. *Pertergit*, permulcet, leniter ferit. Alii *perterget*, ut vs. 253; vix interest.

252. *Ante agitatur;* propellitur ante illud simulacrum.

Tam procul esse magis res quæque remota videtur.
Scilicet hæc summe celeri ratione geruntur,
Quale sit, ut videamus; et una, quam procul absit.
Illud in his rebus minume mirabile habendum est,
Quur ea, quæ feriant oculos simulacra, videri
Singula quom nequeant, res ipsæ perspiciantur.
Ventus enim quoque paullatim quom verberat, et quom
Acre fluit frigus, non primam quamque solemus
Particulam venti sentire, et frigoris ejus,
Sed magis unvorsum : fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in nostro, tamquam aliquæ res

255. *Summe celeri*, valde celeri, celerrima.

256. *Quale*. H. e. qualis res sit, et quam longe distet.

257. *Illud in his rebus*, etc. His 13 vss. solvit secundum problema, nimirum cur simulacra, per quæ res cernuntur, a nobis tamen singula non videantur. Respondet autem id nihilo magis debere videri mirum, quam quod nec singulas venti aut frigoris particulas sentire possimus, quum tamen universum frigus, aut universum ventum sentimus, dum in nostro corpore quasi plagas ab iis fieri videmus, etc. *F.*

260. *Paullatim*. Res est evidentissima, hac voce poetæ mentem et loci proprietatem nullo modo adimpleri. Rescribe *pollentim*, id est, pollenter, fortiter. *W.* —At libri omnes vulgatam tuentur, quæ sensum commodum etiam habere potest, hoc modo : Quum ventus paullatim fit vehemens et nos tandem impetu verberat, nullas ejus singillatim particulas sentimus; id est, non modo quum ruit acriter, sed etiam quum *paullatim* surgens, leniter et quasi distincte, nondum confusis violento impetu partibus, ad nos accidit. Nec ipsum Wak. fugit τὸ *paullatim* defendi voce *primam* in vs. sq. Ed.

261. *Acre fluit*. Alii *ferit;* minus bene. — Ita loquitur poeta, quod *frigus* undique sibi viam faciat, et in penitissima diffundatur. Non aliter supra, vss. 219, 220. *Wak.* —*Primam*. Sic magno consensu libri veteres universi; edītt. *privam*. Sensus est : « si venti particulas ullo modo sentire valeremus, tunc procul dubio sentiremus, quum nove afficeremur, nec sensus occalluerat quasi consuetudine » : nec hujusce quidem rei non fautricem habemus in omnibus experientiam. Sic igitur debet accipi *prima particula* Lucretii, ac si ventum non sentiremus, nisi in progressu suo ac maturitate, conglobatim irruentem. *Wak.*

263. *Unvorsum*, universum. Ad hæc compendia dictionum, sive per omissionem literæ, seu per syllabarum colliquationem, nostrum esse sæpiuscule redactum metri necessitatibus, ex multis exemplis liquido constat omnibus : neque apud alios scriptores non est copia similium. *Wak.*

264. *Aliquæ res*, pro *aliqua :* sicut dicitur in simplici pronominis, *quæ*, in recto casu singulari, non, *qua*, ita in composito *aliquæ* dici potest in singulari nominativo, etiamsi vulgo dicatur *aliqua*. (Vide Prisc. XIII, p. 950; Diomed. lib. I, 319. *Wak.*) Porro per has voces *aliqua res* notat Poeta aliquod corpus

Verberet, atque sui det sensum corporis extra.
Præterea, lapidem digito quom tuadimus, ipsum
Tangimus extremum saxi, summumque colorem:
Nec sentimus eum tactu, verum magis ipsam
Duritiem penitus saxi sentimus in alto.
Nunc age, quur ultra speculum videatur imago,
Percipe; nam certe penitus remota videtur;
Quod genus olla, foris quæ vere transpiciuntur,
Janua quom per se transpectum præbet apertum,
Multa facitque foris ex ædibus ut videantur:
Is quoque enim duplici geminoque fit aere visus.

quod sub sensus cadat, et quod feriat extrinsecus et visibiliter. *F.*

265. *Extra*, extrinsecus feriens.

266. *Præterea, lapidem*, etc. Aliud experimentum vocat in rei testimonium. Dum enim, inquit, supremam saxi superficiem tangimus digitis, sane tactu nec sentimus supremam illam superficiem, sed bene sentimus duritiem, quæ penitus, et intus inest saxo. Ergo non omnia cadunt sub sensus: nil mirum igitur si res videantur, quum tamen simulacra, per quæ videntur, sub oculos non cadant. *F.*

267. *Extremum saxi;* extremitatem; cave jungas cum Creechio *colorem extremum summumque.* — *Summumque colorem*, superficiem coloratam. Neque enim *color* tangi potest, etiam ex Lucretii doctrina.

268. *Eum*, id est, colorem, qui designat extremitatem saxi, quam manus tractat. *Wak.*

269. *Penitus... in alto;* id est, eam duritiem saxi, quæ penitus sita est in profundo saxi, omnibus ejus ex particulis et intima textura derivatam. Redi ad vs. 200. *Wak.*

270. *Nunc age, quur ultra*, etc. His 23 vss. solvit et explicat tertium problema; nimirum, cur rerum imagines, quæ in speculo cernuntur, non in summo speculo, sed quasi ultra speculum videantur. Rationem autem hanc reddit, quod, dum in speculo cernitur imago rei, duplex aer prius protruditur et agitur, quam a nobis cernatur illa; qui quidem geminus aer protensus facit, ut imago procul remota videatur, et ultra speculum transmissa appareat. Rem præclara illustrat comparatione. *F.*

271. *Remota.* Vulgo scribitur *remmota;* sed literam non geminant veteres libri: res eodem tamen redit. Pius *semota*, ut in vs. 289.

272. *Quod genus*, II, 194. Veluti quum homo stans in mediis ædibus videt per apertam januam aliquod objectum procul extra januam remotum. Prius aer ille, qui citra januam usque ad oculum videntis intercipitur, protruditur, et perterget oculum: deinde aer ille, qui ab objecto viso ad ipsam januam extrinsecus positus est, protruditur pariter: duplex autem iste aer sic protrusus facit, ut objectum ultra januam foris esse sentiatur. Scilicet supra vs. 245 sqq. docuit distantiam rei visæ internosci, propter aera, qui protruditur ab imagine rei appellentis ad oculum. *F.*

274. *Multa facitque foris.* Et efficit ut ex ædibus cernantur multæ res quæ sunt foris. Verba paulum impedita; sed vide not. ad vs. 90. Ed.

Primus enim citra posteis concernitur aer:
Inde fores ipsæ dextra lævaque sequuntur:
Post extraria lux oculos pertinget, et aer
Alter, et olla, foris quæ vere transpiciuntur.
Sic, ubi se primum speculi projecit imago,
Dum venit ad nostras acies, procudit agitque
Aera, qui inter se quomque est oculosque locatus:
Et facit, ut prius hunc omnem sentire queamus,
Quam speculum: sed, ubi in speculum quoque sensimus ipsum,
Continuo a nobis in eum, quæ fertur, imago
Pervenit, ac nostros oculos rejecta revisit:
Atque alium præ se propellens aera volvit,

276. *Concernitur;* una cernitur, cum postibus utique ex aere externo. In editis communibus *est* sequitur dictionem *enim*, sed libris reclamantibus; item *qui cernitur. Wak.*

278. *Extraria*, externa, extranea, hoc est, quæ advenit foris et extra januam. Usurpat et hanc vocem Terentius in Phorm. IV, 1, 13: « Nam hanc conditionem si cui tulero extrario ». *F.*

280. *Speculi imago.* Non ea, quæ in speculum recipitur missa a nobis occurrentibus, sed ipsa, quam speculum mittit. Sicut enim res quæque sui mittunt imaginem, ita et speculum. *F.*

281. *Ad nostras acies*, ad nostros oculos. — *Procudit;* id est, aera forma sua simulacrum signat; de lineamentis propriis fingit atque χαρακτηρίζει: qua locutione nihil expressius et convenientius excogitari poterat. Sed vulgarem lectionem *protrudit* (vs. 247) meo periculo confidenter equidem ejecerim. *W.*

283. *Hunc omnem.* Suppl. aera.

284. *Sed ubi in.* Particulam *in*, quam libri summo consensu præbent, excepto codice Vindobonensi, timui loco deturbare: nam fortassis vetus verbum fuerit *insentio*, eodem simplici significatu; vel *sentire in speculum* legitimo fuerit regimine, quamvis exemplum consimile nunc dierum non facile erui aliunde poterit. *Wak.* — An fortasse dixit *inspeculum* pro *speculo;* ut *inspicere?* Equidem tamen vix crediderim. Ed.

285. *In eum.* Sequor librorum omnium veterum scripturam. Edd. *in id hæc*, satis pro arbitrio. Hinc utique tuto nobis videtur colligendum, antiquos *eum* in neutro adhibuisse pro *id;* ut *eæ* pro *ei*. Ceterum de distantia apparente imaginis, reflexæ speculo, Lucretii hæc est hypothesis: de qua tamen ipse viderit; nos enim non philosophiæ patronos agimus, sed interpretes orationis. Finxit igitur imaginem corporis, in speculum incidentem, speculo primum projici; et inde propellere aeris effigiati portionem, qui prius in oculos incidit, quam speculi species; deinde vero et speculi species ipsa visitur, quæ redit, secum auferens nostram imaginem, quæ vicissim suum aera propellit, nobis ante visum, quam hæc ipsa tandem imago, de speculo rejecta, revisat oculos. Distantiam simulacri sic arbitratus est videri factam, ob

Et facit, ut prius hunc, quam se, videamus : eoque
Distare a speculo tantum semota videtur.
Quare etiam atque etiam minume mirarier est par
Ollis, quæ reddunt speculorum ex æquore visum
Aeribus binis; quoniam res confit utraque.
Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars est,
In speculis fit, uti læva videatur, eo quod
Planitiem ad speculi veniens quom offendit imago,
Non convortitur incolumis; sed recta retrorsum
Sic eliditur, ut si quis, prius arida quam sit
Cretea persona, allidat pilæve trabive :
Atque ea continuo, rectam si fronte figuram

intervallum temporis, et effectuum moram tali continuatione succedentium. *W.*

290. *Mirarier est par.* De castitate hujusce lectionis vix relinquitur ambigendi locus. Et hic est ordo constructionis : « Quare etiam atque etiam minime est par illis mirarier (ea), quæ reddunt visum ex æquore speculorum binis aeribus » : i. e. illi igitur, qui phænomenon imaginis in speculo per medium duplicis aeris explicant, minime mirari debent rationes nostras, quæ simili prorsus argumento subnituntur. Videtur autem præstringere Pythagoreos, quasi scilicet hanc Epicureorum solutionem sanuis exceperint, quamvis ipsi parem visus retro conversionem finxerint. Lambinus igitur Creechiusque cum sua crisi facessant, hunc versum et duos sequentes inducendos esse arbitrati. *Wak.*

291. *Reddunt,* adscribunt, imputant; rationem visus e speculo aeribus binis reddunt. *Wak.*

292. *Aeribus.* Insolens pluralis usus, de quo Ruddim. Inst. Gr. I, p. 144, not. 27, et Schneid. Gramm. Lat. II, p. 391; cf. V, 644. *Forb.* — *Utraque,* via nempe, vel ratione. Alii *utroque,* quod eodem redit.

293. *Nunc ea, quæ nobis,* etc. His 10 vss. continetur quartum problema; cur in speculis ea, quæ dextera sunt, læva videantur; aut contra.—Vide infra Disq. var.

294. *Uti læva.* Vulgo *fit ut in læva;* nostram lect. malunt Muretus et Wak. ob geminatum *in,* quod hic facile suppleri potest et a nonnullis codicibus omittitur.

295. *Planitiem.* Quam alibi vocat *æquor,* h. e. æqualitatem, vss. 106, 291.

298. *Persona;* larva lutea.—*Pilæve.* Pila, prima producta, stans est columna, quam Græci vocant στύλην; Apul. Met. III : « Pila media, quæ stabuli trabes sustinebat »; vel moles in fluvio aut mari constructæ. Virg. Æn IX, 711 : « Saxea pila cadit », etc.

299. *Rectam si fronte figuram,* etc. Id est, si omnia oris lineamenta, dum ad trabem alliduntur, integra quidem et *recta,* nullo modo deformata manerent, sed ita tamen ut, afflictu impulsa, retro cedant et in postica parte plane exprimantur. Ergo si illa, quæ *recta a fronte servatur,* persona *retro* apparet et repræsentatur, nihil erit mutatum, nisi quod pars dextra *a fronte,* jam a tergo læva fiet. Hinc male, opinor, quidam volunt *rectam forte.* Ed.

Servet, et elisam retro sese exprimat ipsa,
Fiet, ut, ante oculos fuerit qui dexter, hic idem
Nunc sit lævus, et a lævo sit mutua dexter.

Fit quoque, de speculo in speculum ut tradatur imago:
Quinque, etiam sex, ut fieri simulacra suerint.
Nam quæquomque retro, parte interiore, latebit,
Inde tamen, quamvis torte penitusque remota,
Omnia, per flexos aditus educta, licebit
Pluribus hæc speculis videantur in ædibus esse:
Usque adeo e speculo in speculum translucet imago;
Et, quom læva data est, fit rursum ut dextera fiat:
Inde retro rursum redit, et convortit eodem.

301. *Fuerit qui dexter;* nimirum ille, quem persona cretea repræsentat; sive faciem solam, seu totum corpus exprimat.

302. *Mutua.* Adverbialiter, pro mutuo; sic infra vs. 948; sic II, 75; et V, 1099.

303. *Fit quoque, de speculo,* etc. His 9 vss. continetur quintum problema; cur de speculo in speculum tradatur imago, ita ut quinque aut sex imagines reddantur; seu quinquies aut sexies totidem speculis repræsentari possit eadem imago, cujus alternatim pars læva fiat dextera, et dextera læva. Namque si qua sunt in ædibus quantumvis remota, et retro condita, ea tamen, pluribus adhibitis et dispositis speculis, per flexos quosdam aditus, longe videri poterunt. Immo vero fieri potest, ut terga tua cernas. Namque sumito duo specula plana, quorum alterum a tergo collocabis, ita ut sit resupinatum, i. e. neque prorsus rectum, neque prorsus supinum; alterum sublime supra caput appende, ita ut ob oculos tuos obversum sit prono et proclivi situ; sine dubio cernes tergum tuum in hoc sublimi speculo. Cujus rei rationem hanc reddit Lucretius, quod imago rei, missa in speculum, ab eo speculo reddita reflectitur, et recipitur in oppositum quoquomodo speculum. *Lamb.* et *Fay.*

304. *Suerint,* sueverint. De hoc voc. consule eruditos editores ad Phædri fab. I, 2, 8.

305. *Parte interiore.* Puta domus, cubiculi. — *Latebit.* Sic plurimi codd. vulgo *latebunt;* sed haud dubie ex correctione librariorum: nam Lucretius generaliorem vocem, *imago* nempe, respicit; ut aspergit has varietates passim, quod nobis usu contigit sæpiuscule monere. Et suspensa est constructio; quæ poetis perquam familiaris invenitur. *Wak.* — Planior tamen et simplicior mihi videtur vulg. lectio, *quæc. lateb., hæc omnia,* etc.

306. *Inde.* H. e. ex illa interiori parte. — *Torte,* in obliquum.

307. *Educta.* Eæ res, licet longe et penitus ab oculis nostris removeantur, tamen per plura specula, hic et illic rite disposita, e latebris suis veluti eductæ in ædibus esse cernuntur. *Creech.*

311. *Retro redit;* ut I, 785, *retro reverti.* — *Convertit* se. — *Eodem.* I. e. in priorem situm et ordinem, ita ut quæ pars erat læva in priori speculo, iterum fiat læva, dum de secundo in tertium speculum redditur. *F.*

Quin etiam, quæquomque latuscula sunt speculorum
Assimili lateris flexura prædita nostri;
Dextera ea propter nobis simulacra remittunt:
Aut quia de speculo in speculum transfertur imago,
Inde ad nos, elisa bis, advolat; aut etiam quod
Circumagitur, quom venit imago: propterea quod
Flexa figura docet speculi convortier ad nos.
Indugredi porro pariter simulacra, pedemque
Ponere, nobiscum credas, gestumque imitari;
Propterea quia, de speculi qua parte recedas,
Continuo nequeunt illinc simulacra revorti:

312. *Quin etiam, quæquomque*, etc. His 7 vss. continetur sextum problema, cur scilicet in iis speculis, quorum latuscula instar plurimorum speculorum sunt opposita ad dextram et sinistram, fiat quoque imaginis reflexæ restitutio situs, ita ut pars dextra imaginis respondeat parti dextræ objecti seu rei visæ: læva vero pariter lævæ. Nimirum quia latera speculi illius tenent locum speculorum, e quibus tanquam e speculis seorsum sitis in ipsum speculum imago reflectatur. Quod quidem contingit in speculis concavis. Unde videtur mihi Lucretius hic loqui de speculis concavis. Ita et Petrus Gassendus interpretatus est hunc locum. Lambinus vero opinatur Poetam loqui de multis speculis conjunctis columnæ figura convexa. *F.*—*Latuscula*, facieculæ, (*facettes*). —Et minutioris significatus vocabulo Lucretius usus est, quia specula, quæ vellet, nempe, ad cylindratam undique convexitatem, de figura corporis humani, rotundata, nisi metallo constent, aliter, quam per angustiores laminas, serie collocatas invicem, fabricari nequeunt. *Wak.*

313. *Assimili lateris.* Quæcumque latera speculorum prædita sunt flexura simili nostri lateris, id est, convexa; quod mox vocat *flexam figuram*, vs. 318.

314. *Ea propter*, propterea, idcirco. — Novam formulam, et nescio an alibi conspiciendam, animadvertat lector. *W.*

318. *Docet;* nempe figura speculi, quasi res anima sensuque prædita; venustate minime vulgari, et vere Lucretiana: vide vss. 154, 246. Nam sensus et constructio sic se habent: «Propterea quod flexa speculi figura docet (imaginem) convertier (i. e. *se convertere*) ad nos». *Wak.*

319. *Indugredi porro*, etc. His 6 vss. continetur septimum problema; cur nimirum imagines in speculo visæ videantur nobiscum incedere, progredi, anteire, retrogredi, gestumque nostrum imitari. Hanc autem reddit rationem, quod qua de parte speculi recedamus, statim ex ea nequeat imago reverti; nam quæcumque ab rebus simulacra mittuntur, ea ad æquos et pares angulos referuntur. Itaque apposite id refert ad variatas speculi partes; ex quibus aliis atque aliis necessarium est reflexionem in oculum fieri, ac proinde imaginem progredi videri. *F.*

322. *Illinc*, ab illa parte, ad quam [ad eam quo] recedendo perveneris; ita ut imago, te progrediente, statim revertatur, et stationem servet. *Wak.*

Omnia quandoquidem cogit natura referri,
Ac resilire ab rebus, ad æquos reddita flexus.
Splendida porro oculei fugitant, vitantque tueri;
Sol etiam cæcat, contra si tendere pergas:
Propterea quia vis magna est ipsius, et alte
Aera per purum graviter simulacra feruntur,
Et feriunt oculos, turbantia composituras.
Præterea splendor, quiquomque est acer, adurit
Sæpe oculos; ideo, quod semina possidet ignis
Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.
Lurida præterea fiunt, quæquomque tuentur
Arquatei; quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt, simulacris obvia rerum;
Multaque sunt oculis in eorum denique mixta,
Quæ contage sua palloribus omnia pingunt.
E tenebris autem, quæ sunt in luce, tuemur,

325. *Splendida porro*, etc. Hactenus de speculorum ratione. His autem 8 vss. continetur octavum problema; cur nempe splendida lædant oculos, solisque splendor excæcet. Cujus rei hanc reddit rationem; quia splendoris simulacra constant ex ignitis seminibus, quæ adurunt oculos; et quia adeo magna vis est solis ut ejus simulacra lædant oculos. *F.*

326. *Tendere*, ire, cum oculis scilicet: Virg. Æn. XII, 938, « ulterius ne *tende* odiis ». Vel *tendere*, intendere, ut repetamus *oculos* e vs. præced. *Wak.*

327. *Et alte*, etc. Signata est oratio, et quævis dictio suum pondus habet, atque efficaciam: i. e. Feruntur graviter, ob altitudinem casus, per immensum spatium non resistentis aeris. *Wak.*

329. *Composituras*. Sic I, 1026, *disposituras*.—Vox rarior, quam e Sinnio Capitone affert Gellius V, 20; et in *compostura* contractam habet Varro, R. R. 22, § 3. *Forb.*

331. *Semina ignis*; ut Homerus Odyss. V, 490, σπέρμα πυρός; Virg. Ecl. VI, 32; Æn. VI, 6. *Wak.*

333. *Lurida præterea*, etc. His 5 vss. continetur novum problema; cur scilicet quæ tuentur arquati, lurida sibi fiant et appareant. *F.*

334. *Arquatei*. Dicuntur ii, qui ictero, seu morbo regio laborant; i. e. inquit Nonius, quibus color et oculi virent in modum arqui, quem poetæ Irim vocant. Celsus, III, 24. — *Luroris*. Luror seu luridus color dicitur, qui pallore viret; Gallice, *couleur jaunâtre tirant sur le bleu*.

335. *Simulacris obvia rerum*, i. e. rebus incidentia, et eas lurore suo colorantia. *Wak.*

337. *Contage*; III, 734.

338. *E tenebris autem*, etc. His 16 vss. continetur decimum problema; cur nempe e tenebris videamus ea, quæ in luce sunt: non autem contra e luce videre possimus ea, quæ jacent in tenebris. Par

Propterea quia, quom propior caliginis aer
Ater inît oculos prior, et possedit apertos,
Insequitur candens confestim lucidus aer,
Qui quasi purgat eos, ac nigras discutit umbras
Aeris illius : nam multis partibus hic est
Mobilior, multisque minutior, et mage pollens.
Qui simul atque vias oculorum luce replevit,
Atque patefecit, quas ante obsederat ater;
Continuo rerum simulacra adaperta sequuntur,
Quæ sita sunt in luce, lacessuntque, ut videamus.
Quod contra facere in tenebris e luce nequimus;
Propterea quia posterior caliginis aer
Crassior insequitur, qui cuncta foramina complet,
Obsiditque vias oculorum, ne simulacra
Possint ullarum rerum contecta moveri.

namque ratio videtur utrobique. Verum dispar est ratio, inquit Lucretius; quia, quum in tenebris sumus, e quibus res in luce positas cernimus, aer tenebricosus et ater, quia propior nobis, prior etiam ferit oculos : sed aer lucidus posterior adveniens discutit illum, purgatque ac veluti terget oculos; quippe qui mobilior, minutior, et magis pollens, quam aer ater, qui pigrior, lentior, et minus vigens est. Contra vero quum in luce sumus, prius aer lucidus ferit oculos, quam tenebricosus et ater, qui non valet discutere lucidum illum, quia minus potens, minus subtilis, ac minus mobilis. Hinc fit, ut simulacra rerum a tenebris advenientia, aerisque atri atomos missas comitantia, nequeant ferire oculos, ac eos lacessere ut videant. *F.*

340. *Iniit.* Contracta syllaba producitur, ut I, 71.

341. *Candens lucidus,* quarum posterior vox priorem interpretatur, de solita Lucretio ubertate. Virg. Æn. VIII, 720, cum pari copia sermonis : « *niveo candentis* limine Phœbi ». *Candens* igitur *lucidus aer* uno verbo nominari potest *albus aer. Wak.*

343. *Aeris illius.* Atri scilicet, qui prior nominatus est. — *Hic,* aer lucidus.

346. *Patefecit.* Sic syllabam produxit Calpurnius, Ecl. I, 35. Aliter Carus alibi. *Wak.*

347. *Adaperta.* H. e. quæ palam sunt in luce, quæ in aperta luce sunt; « quæ sita sunt in luce », ut sese explicat Poeta.

349. *In tenebris e luce.* At vero nos in luce positi non possumus videre objecta quæ sunt in tenebris. Vulgo *a luce,* sine codd.

351. *Foramina.* Suppl. oculorum.

352. *Obsiditque.* Obsidet, obstruit.

353. *Contecta.* Vulgo *conjecta,* sine librorum auctoritate. — Vox *contecta* respondet e contrario voci *adaperta,* in vs. 347, uti Lambinus etiam vidit. Sensus est : Ne simulacra, quorum calles caliginosus aer ambit contegitque, ita moveri in oculis et excitari possint, ut res, unde emittantur, discerni queant. *W.*

Quadratasque procul turreis quom cernimus urbis,
Propterea fit, uti videantur sæpe rotundæ,
Angulus obtusus quia longe cernitur omnis;
Sive etiam potius non cernitur, ac perit ejus
Plaga, nec ad nostras acies perlabitur ictus;
Aera per multum quia dum simulacra feruntur,
Cogit hebescere eum crebris offensibus aer.
Hoc, ubi suffugit sensum simul angulus omnis,
Fit, quasi ut ad tornum saxorum structa tuantur:
Non tamen, ut coram quæ sunt, vereque rotunda;
Sed quasi adumbratim paullum simulata videntur.
Umbra videtur item nobis in sole moveri,
Et vestigia nostra sequi, gestumque imitari;
Aera si credis, privatum lumine, posse

354. *Quadratasque procul*, etc. His 11 vss. continetur undecimum problema de apparentiis, cur ea, quæ quadrata sunt, nobis procul intuentibus videantur et appareant rotunda; v. g. turres quadratæ nobis procul aspicientibus videntur rotundæ. *F.* — Hæc disputatio, de quadrati cujuslibet angulis ædificii procul visis, multum est antiquis philosophis ventilata. Alexandrum Aphrodisiensem, de hac re disquirentem, in lib. I, probl. 37, Lambinus protulit: videas etiam Diogenem Laertium, ad IX, 35, et scriptores ibi Menagio laudatos; Macrobium quoque, Sat. VII, 14, sub finem; Sextum Empiricum, I, 14, ibique Fabricium. *Wak.*

355. *Sæpe* vocula non *effectum* rei visæ respicit, qui *semper* idem est, sed *videntis* tantummodo *consuetudinem*; quasi dixerat: Turres quadratæ, quas *sæpe* cernimus, procul videntibus rotundæ solent apparere. *Wak.*

358. *Plaga*. Dum enim imago rei visæ appellit ad oculum, ferit illum; vs. 218.

360. *Hebescere*; obtusum facit angulum.

361. *Hoc*, nempe *modo*; sic vs. 660. Alii *hinc*.—*Suffugit sensum*. Non venit sub visum; non cernitur.

362. *Ad tornum*. Lamb. ex arbitrio *tornata ut*.—*Tuantur*, id est, cernantur; passive, ab obsoleto *tuo*, *tuor*. *Wak.*

364. *Adumbratim*. Non adamussim, non exquisite rotunda; sed parum assimilata. *Lamb.*

365. *Umbra videtur item*, etc. His 15 vss. continetur duodecimum problema, cur umbra nobiscum in sole moveri videatur, ac gestum corporis nostri imitari. Res est quidem notissima; causa vero non æque perspicua. Hanc porro rationem reddit Lucretius, quod quum umbra nihil aliud sit quam aer ipse privatus lumine solis, hinc fit, ut ubi corpus interponitur solem inter et locum, is locus privetur lumine solis: ubi vero corpus recessit, ac ultra progreditur, statim idem locus repletur solis lumine, alter vero, cui objicitur corpus, privatur lumine. Hinc nil mirum si umbra videatur nos sequi, gestumque corporis nostri imitari. *F.*

367. *Si credis*, si modo credere po-

Indugredi, motus hominum gestumque sequentem:
Nam nihil esse potest aliud, nisi lumine cassus
Aer, id, quod nos umbram perhibere suemus.
Nimirum, quia terra locis ex ordine certis
Lumine privatur solis, quaquomque meantes
Officimus : repletur item, quod liquimus ejus.
Propterea fit, uti videatur, quæ fuit umbra
Corporis, e regione eadem nos usque sequuta :
Semper enim nova se radiorum lumina fundunt,
Primaque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur.
Propterea facile et spoliatur lumine terra,
Et repletur item, nigrasque sibi abluit umbras.
Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum :
Nam, quoquomque loco sit lux atque umbra, tueri
Ollorum est : eadem vero sint lumina, necne,
Umbraque, quæ fuit hic, eadem num transeat illuc;
An potius fiat, paullo quod diximus ante;

tes. Vulgo *credas*,, libris universis renuentibus.

368. *Gestumque sequentem;* ut ambigua evitetur constructio, editi vulgares *gestusque* exhibent.

369. *Cassus*, vacuus, privatus.

370. *Perhibere*, affirmare, prædicare.

373. *Officimus*, obstamus, objicimur; suppl. soli.—*Ejus*, nempe terræ, aut loci.

375. *Eadem*. Eadem umbra videtur nos sequi, et vestigiis assidue hærere, quasi sit corpus aliquod constans et idem. Ed.

376. *Se ... fundunt*. Ad hoc dicendi genus illustrandum, quod sæpenumero animadvertimus, opere facit maximo Festus : « *Manare solem* antiqui dicebant, quum solis orientis *radii splendorem jacere* cœpissent .... » Ita Carus noster multoties locutus est. *Wak.*

377. *Quasi in ignem lana trahatur*. Quid enim citius consumitur quam tenuissima lanæ capillamenta flammæ admota? *Wak.*

379. *Abluit umbras*. Simili translatione Horat. Od. I, 7, 15, *deterget nubila cœlo*.

380. *Nec tamen hic oculos*, etc. His 8 vss. docet jam Poeta, in hisce rebus, seu apparentiis, ut aiunt, oculos non falli. Licet enim in cernenda luce vel umbra fallamur, tamen hoc vitium non oculorum, sed mentis est vitium. Oculorum enim tantum est cernere lucem ac umbram : quid vero sit lux et umbra, non eorum est, sed mentis dijudicare. *F.* — *Hilum;* III, 221, 517.

384. *An potius fiat, quod*, etc. Umbram scilicet non re vera sequi, sed apparere sequi tantummodo, vss. 374, 375, et radios intercipi subinde, progressu corporis offectos; adeo ut nova perpetuo exsurgat umbra, nec eadem uno ordine continuetur. *Wak.*

Hoc animi demum ratio discernere debet,
Nec possunt oculei naturam noscere rerum.
Proinde, animi vitium hoc oculis affingere noli.
Qua vehimur navi, fertur, quom stare videtur;
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles, campeique videntur,
Quos agimus præter navem, velisque volamus.
Sidera cessare, ætheriis affixa cavernis,
Cuncta videntur; et assiduo sunt omnia motu;
Quandoquidem longos obitus exorta revisunt,

386. *Naturam rerum.* Id est, penitiores causas philosophiæ penetrare, aciei mentis solius obvias. *Wak.*

387. *Affingere*, falso adscribere, perperam attribuere; sic apud Cic. Orat. cap. 22 : « probam orationem affingit improbo »; et Pro lege Man. 4 : « laus ei... falsa afficta esse videatur ». Hinc optime se habere hanc vocem existimo, neque audiendum Wak. qui corrigere velit *affigere*, Forbigero quoque non assentiente. Ed.

388. *Qua vehimur navi*, etc. His 4 vss. ponit primum exemplum seu experimentum de navi visa immota, ac de litoribus prætereuntibus (quum contra stent litora, navis vero feratur in altum mare), ut confirmet Lucretius non falsos aut fallaces esse oculos ac alios sensus, sed certos et veros : mentem vero unam falli ac fallere, quæ male res discernit. *F.*— *Fertur*, movetur, currit. — *Stare videtur*; nobis, quos vehit.

389. *Præter creditur ire.* Nos prætervigantes, dum stare nobismetipsis videmur, navem eam, quæ revera in portu aut aliqua alia statione manet immobilis, præterire et progredi credimus. Ed.

390. *Fugere ad puppim.* Quæcumque enim euntibus occurrunt, ad proram primo fiunt obvia; mox, dum transvehimur, ad puppim nostræ navis videntur fugere; item colles et campi in litore jacentes, præter quos navigamus et ope velorum celeriter currimus. Ad rem Cic. Acad. II, 25. Ed.

391. *Quos agimus præter.* Ordo est : præter quos agimus navem, etc.

392. *Sidera cessare*, etc. His 6 vss. affert secundum exemplum seu experimentum de sideribus, sole ac luna, quæ nobis *cessare*, quiescere videntur, quum tamen perpetuo ac veloci motu ferantur. Quo contendit Poeta non falli oculos, qui sidera, lunam ac solem vident, ubi sunt; sed mentem ipsam, quæ varia loca non discernens putat illa omnia loca, quibus sol, luna, et sidera adsunt, esse unum et eumdem locum. *F.*— *Cavernis*, fornicibus. Sic supra vs. 172, « Cœli complesse cavernas ».

393. *Et assiduo sunt.* Editores *at assiduo in*, temerario consilio; nempe, poeticæ locutionis indoles non est de nihilo ubivis ad cautiores grammaticæ severitatis leges revocanda, ne pereat color ejus proprius, et lepores ingenui evanescant. *Wak.*

394. *Longos obitus exorta revisunt.* Id est, certo quodam loco exorta, cœlum sensim emetiuntur, et tandem ad occasus suos, ab ortu longe distantes, perveniunt; quem cursum quotidie integrant, eodem quotidie reditura. Ed.

Quom permensa suo sunt cœlum corpore claro:
Solque pari ratione manere et luna videtur
In statione; ea, quæ ferri res indicat ipsa.
Exstantesque procul medio de gurgite montes,
Classibus inter quos liber patet exitus; ingens
Insula conjunctis tamen ex his una videtur.
Atria vorsari, et circumcursare columnæ,
Usque adeo fit uti puereis videantur, ubi ipsei
Desierunt vorti, vix ut jam credere possint,
Non supra sese ruere omnia tecta minari.
Jamque rubrum tremulis jubar ignibus erigere alte
Quom cœptat natura, supraque extollere monteis;
Quos tibi tum supra sol monteis esse videtur,
Comminus ipse suo contingens fervidus igni,
Vix absunt nobis missus bis mile sagittæ;

396. *Manere.* Cf. Cic. Acad. II, 26.

397. *Res...ipsa*, experientia ipsa, et evidentia moveri evincit.

398. *Exstantesque procul*, etc. His 4 vss. proponit tertium exemplum, de montibus in medio mari dissitis, qui tamen procul visi videntur conjuncti ita et continentes, ut aut unum montem ingentem, aut unam vastam insulam efficere videantur. Qua in re non falluntur oculi, sed mens sola. *F.* — *Medio de gurgite*, de medio mari. Sic Virg. Æn. I, 118, « in gurgite vasto ». — *Montes.* Nominativus est pendens, vel absolutus. De hac figura constructionis, consulas Hoogeveen. ad Viger. Idiot. III, 1. Cf. Ovid. Fast. II, 73. *Wak.*

400. *Conjunctis*, continentibus.

401. *Atria vorsari*, etc. His 4 vss. proponit quartum exemplum; de quo vide in Disq. var. — Accidit etiam ut pueris, postquam se in gyrum rapide versarunt, atria circumagi videantur, ita ut vix possint credere tecta non ruinam minari.

405. *Jamque rubrum*, etc. His 10 vss. proponit quintum exemplum de sole qui exoriens proximus montibus videtur, etiamsi solem inter et illos montes immensa spatia interjaceant. *F.* — *Tremulis*, coruscis, vibrantibus; sic apud Cic. De div. I, 11: « claro *tremulos* ardore cometas ». *Wak.* — *Jubar.* Hoc vocabulo designari Luciferum docent Varro et Festus; itemque Servius ad Æn. IV, 130; et possis locum sic exponere: « quum primi auroræ ignes jam montes illustrant, tum sol supra eos assurgens, quasi proximos orbe suo contingere videtur. Et tamen hi montes non longe a nobis absunt; sol vero immensis spatiis distat. » Sed malim *jubar* pro sole ipso accipere: quum sol oritur, tum hi montes, supra quos videtur esse, vix absunt, etc. Ed.

406. *Extollere* et *erigere*; ab igne speculatorio locutiones videntur, multa cum elegantia, translatæ. *Wak.*

409. *Missus*; quod aliter *teli jactum* vocant. Id est, vix distant a nobis bis mille jactus sagittæ, immo etiam aliquando vix quingentos jactus veruti; quod multo minus est. Ed. — *Mile*, II, 539.

Vix etiam cursus quingentos sæpe veruti.
Inter eos solemque jacent immania ponti
Æquora, substrata ætherieis ingentibus oreis:
Interjectaque sunt terrarum milia multa,
Quæ variæ retinent gentes et secla ferarum.
At conjectus aquæ, digitum non altior unum,
Qui lapides inter sistit, per strata viarum,
Despectum præbet sub terras impete tanto,
A terris quantum cœli patet altus hiatus;
Nubila despicere, et cœlum ut videare videre, et
Corpora mirande sub terras abdita cœlo.
Denique, ubi in medio nobis equus acer obhæsit
Flumine, et in rapidas amnis dispeximus undas;

410. *Cursus;* spatium per quod excurrit. — *Veruti.* Verutum, inquit Nonius, genus est teli longi; alii tamen volunt telum esse breve et acutum.

412. *Ætheriis oris,* quas Virg. Æn. I, 394, *ætheriam plagam* vocitavit. *W.*

413. *Terrarum milia* (409) *multa;* multi longique terrarum tractus. Conf. ad rem Ovid. Met. VIII, 576 sqq.

414. *Retinent,* tenent, colunt, inhabitant. — *Secla;* I, 21.

415. *At conjectus aquæ,* etc. His 6 vss. profert sextum exemplum de tanto spatio viso vel in minimis aquis, quantum patet altus conspectus a terris ad cœlum. *F.* — *Conjectus.* Int. aquam conjectam, et quæ ex pluribus locis in unum confluxit. Sic Lamb. qui tamen reposuit *conlectus;* i. e. collectio aquæ.

416. *Sistit,* stat, continetur.—*Strata viarum;* I, 316.

417. *Despectum,* aspectum e loco superiore in inferiorem. Sic etiam vs. 419, et alibi. — *Impete tanto;* tanta altitudine. Cf. V, 201.

418. *A terris quantum,* etc. Sic Virg. Æn. VI, 578: «Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras, Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum». —*Altus hiatus.* Phrasis non vulgaris elegantiæ; ut Virg. dixit *cœlum profundum.*

419. *Nubila despicere.* Ita ut videaris aspicere nubila infra pedes tuos currentia, et cœlum sub terras patens, et varia simul corpora, astra videlicet, quæ in remotissimis cœli partibus reposita et quasi abdita sunt: quæ omnia infra terras posita mirandum in modum tibi videntur. Consule Disq. var. Ed.

421. *Denique, ubi in medio,* etc. His 6 vss. continetur septimum exemplum de flumine. Quum hæsit equus (inquit) in medio flumine, despicientibus nobis in aquas celeriter labenteis, equus videtur rapi in adversam et superiorem partem fluminis, et flumen scilicet stare. *Lamb.*

422. *Dispeximus.* Admittendam habui lectionem, tam ob codicum (Lug. 1, 2, et Vind.) præcellentem auctoritatem, quam ob vs. 425, et quia spectator equo sic demerso, magis *in latus* prospiciat, quam deorsum. *Wak.* —Vulgo *despeximus;* quam lectionem reduxit Forbiger interpretationem Wak. argutiorem quam veriorem pronuntians; non injuria, forsitan; quamquem τὸ *dispeximus* con-

Stantis equi corpus transvorsum ferre videtur
Vis, et in advorsum flumen contrudere raptim :
Et, quoquomque oculos trajecimus, omnia ferri
Et fluere assimili nobis ratione videntur.
Porticus æquali quamvis est denique ductu,
Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis,
Longa, tamen parte ab summa quom tota videtur,
Paullatim trahit angusti fastigia coni,
Tecta solo jungens, atque omnia dextera lævеis;
Donec in obscurum coni conduxit acumen.
In pelago nauteis, ex undis ortus, in undis
Sol fit uti videatur obire et condere lumen;
Quippe ubi nil aliud nisi aquam cœlumque tuentur :
Ne leviter credas labefactari undique sensus.

firmare et explicare videantur sequentia *quocumque oculos trajecimus*, v. 425. Ed.

424. *Vis*, impetus fluminis, vis aquarum. — *Raptim*, celeriter, cum impetu, rapientis in morem. Sic I, 663.

427. *Porticus æquali*, etc. His 6 vss. continetur octavum exempl. de porticu, quæ rectis ac stantibus columnis in perpetuum æqualibus (not. seq.) suffulta, quæ æquali altitudine tecti, ac parietum æquali pariter latitudine ac distantia patens, si a summa parte procul inspiciatur, videtur paullatim superne atque inferne, ac dextra lævave, ita demum contrahi in apicem, ut in angustum conum desinat, qui vix sub oculos cadat. Qua in re non oculus, sed mens ipsa decipitur, quæ non animadvertit eamdem aut æqualem magnitudinem, quanto fit recedentior, tanto ad speciem fieri minorem, ob decrescentem angulum, quo illius species seu radii oculum subeunt. *F.*

428. *Stans in perpetuum*, in seriem longiuscule continuata : sic *perpetuis mensis* apud Virg. Æn. VII, 176. — *Paribus ;* eadem altitudine ; non gradatim decrescentibus. *Wak.*

429. *Longa.* Id est, si modo in tantum producatur, quantum sufficiat effectui creando : nam brevior laterum extensio dictam rem non exhibet. *Wak.*

430. *Fastigia coni.* Si quis opticum phænomenon, quod Lucretius luculentissimis versibus, et accuratissima subtilitate depinxit nobis, (hactenus sane præcellentissimus, et omnes post se relinquens) oculis velit usurpare ; sacellum lautissimum Collegii Reg. Cantabrigiensis adeat. *Wak.* — Vide Disq. var.

432. *Donec in obscurum*, etc. Nam quum tectum descendere, pavimentum surgere, et parietes concurrere videantur, in acutum conum prospectus desinat necesse est. *Creech.* — *Conduxit ;* conum ita produxit et contraxit ut ejus acumen in tenebras evanesceret. Ed.

433. *In pelago nauteis*, etc. His 4 vss. profertur nonum exemplum de sole, qui nautis videtur oriri ex undis ; et in undas demergi. *F.*

435. *Nil aliud*, etc. Ergo fieri nequit, ut sol illis videatur alibi occidere ; adeoque non falluntur ulla de causa, ne levi quidem, oculorum sensus. *Wak.*

At maris ignareis in portu clauda videntur
Navigia aplustris, fractas obnitier undas :
Nam quæquomque supra rorem salis edita pars est
Remorum, recta est; et recta superne guberna:
Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia convorti, sursumque supina revorti;
Et reflexa prope in summo fluitare liquore.
Raraque per cœlum tum ventei nubila portant
Tempore nocturno, quom splendida signa videntur
Labier advorsum nimbos, atque ire superne
Longe aliam in partem, quam quo ratione feruntur.
At, si forte oculo manus uni subdita, subter
Pressit eum, quodam sensu fit, uti videantur

437. *At maris ignaris*, etc. His 7 vss. affert poeta decimum exemplum de remis, qui in mari apparent inflexi, et refracti. Pars enim remorum, quæ in aquis mergitur, refracta et reflexa apparet : pars vero, quæ supra aquas eminet, recta est. *F.* — Vide Disq. var. — Sic Virg. Æn. V, 278, *vulnere claudam* vocat serpentem, cum qua comparabat *ratem* Sergesti, fractis remis et corpore concusso debilem; Lucretii sui non fortassis immemor. *Wak.*

438. *Aplustris ;* II, 556. Vide infra Disq. var. — *Fractas undas.* Hæ voces non ad solitum sensum tam valent *undas violentius collisas* in hoc loco, quam *undas se frangentes,* i. e. inflectentes et incurvantes, ἀγνυμένας : quæ notio vocabuli maxime speciosa est ac poetici leporis. *Wak.* — Cf. Cic. Acad. II, 7.

439. *Supra rorem salis.* Supra aquam maris ; salsum et amarum maris humorem. Sic Virg. Æn. I, 35 : « Et spumas salis ære ruebant ».

440. *Superne,* in superiori parte. — *Guberna,* gubernacula. Sic lib. II, 554 var. lect.

441. *Obeunt.* An dictum quasi *subeunt,* vel in aquas incurrunt, coll. I, 223?

442. *Omnia ;* omnes remorum et gubernaculi partes, in mari demersæ, frangi et inflecti videntur, et quasi in aquæ superficie fluitare.

444. *Raraque per cœlum*, etc. His 4 vss. affert undecimum exemplum de stellis, quæ noctu præter nubila videntur properare, et adverso motu ferri. *F.*

445. *Signa*, sidera, stellas.

446. *Nimbos.* Lambinus ex arbitrio, *nubeis,* audacissime; multos tamen sectatores nactus : confer nostrum V, 290; VI, 482. Qui ne in uno quidem loco videtur *nimbos* adhibere aliter, quam simpliciter ut *nubes. Wak.*

447. *Ratione.* H. e. natura; motu naturali, quo aliqua cum ratione feruntur. *F.*

448. *At, si forte oculo*, etc. His 6 vss. continetur duodecimum exemplum de rebus, quæ ob distortam tantisper oculi pupillam videntur geminari ; ita ut v. g. videamur videre binas candelas pro una, binas hominis unius facies, etc. *F.* — Vide Disq. var.

449. *Quodam sensu*, quodam modo, quadam ratione II, 804.

Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuundo;
Bina lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas ædeis geminare supellex;
Et duplices hominum facies, et corpora bina.
Denique, quom suavi devinxit membra sopore
Somnus, et in summa corpus jacet omne quiete,
Tum vigilare tamen nobis ac membra movere
Nostra videntur; et in noctis caligine cæca
Cernere censemus solem lumenque diurnum;
Conclusoque loco cœlum, mare, flumina, monteis
Mutare, et campos pedibus transire videmur;
Et sonitus audire, severa silentia noctis
Undique quom constent; et reddere dicta tacentes.
Cetera de genere hoc mirande multa videmus,

450. *Tuimur.* V. 225, et alibi.—*Tundo;* quum intuemur; cf. ad I, 313, 534 al.

451. *Florentia;* I, 899. Sic *florentes ære catervas*, ap. Virg. Æn. VII, 804.

452. *Geminare.* Absolute dictum; cf. vs. 456. Sic apud Virg. G. I, 333: « *ingeminant* austri ».

454. *Denique, quom suavi,* etc. His 9 vss. continetur decimum tertium exemplum et ultimum de rebus iis, quæ per somnia videntur, quasi per vigiliam. Aliquando enim obruti sopore videmur videre solem, lucem, cœlum, mare, flumina, montes, campos, etc. Immo videmur audire sonitus, et loqui, quum omnia tamen alte sileant. Quod accidit ex eo, quod male ac temere mens interponat suum judicium de his rebus, et opinetur ejusmodi res ita se habere. *F.*—*Sopore;* ea vox gravedinem quamdam et torporem significat. — Plinius, Nat. Hist. XXI, 71: « Hujus semine *somnum* allici; sed modum servandum, ne *sopor* fiat ». Inde recte Lucani locus percipietur, Phars. III, 8. *Wak.*

456. *Movere;* absoluto sensu, ut sæpius alibi; cf. III, 69. Membra scilicet, quamvis altissimo sopore *vincta*, libero tamen *motu* frui videntur. Sentis, opinor, oppositionis efficaciam; quæ profecto locum totum permeat. *Wak.*

457. *Nostra videntur.* Sic venustissime optimi et antiqui codices; vulgo *videmur.*

458. *Censemus*, arbitramur, nobis videmur.

459. *Conclusoque loco.* Et dum reipsa in angusto loco conclusi jacemus, videmur tamen nobis iter facere, et aliud cœlum invisere terrasque *alio sub sole jacentes.* De locutione *mutare cœlum, domos*, etc. vide Horat. Ep. I, 11, 27; Virg. Georg. II, 511 sq. et alios passim. Ed.

461. *Severa.* Vel tristia, vel potius seria, et sacrum horrorem quodammodo incutientia; *un silence solennèl.*

462. *Tacentes*, quamvis taceamus.

463. *Cetera de genere hoc*, etc. His 7 vss. tandem ait multa alia esse ejusmodi, quæ afferuntur adversus veritatem et certitudinem sensuum; quæ tamen nullatenus sensus labefactent aut violent; quum, si quid erroris in ejusmodi exem-

Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt:
Nequidquam; quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipsei,
Pro visis ut sint, quæ non sunt sensibu' visa.
Nam nihil ægrius est, quam res secernere apertas
Ab dubiis, animus quas ab se protinus abdit.
Denique, nil sciri si quis putat, id quoque nescit,
An sciri possit quo se nil scire fatetur.
Hunc igitur contra mittam contendere causam,
Qui capite ipse suo in statuit vestigia sese.
Et tamen hoc quoque uti concedam scire, at id ipsum
Quæram, quom in rebus veri nil viderit ante,
Unde sciat, quid sit scire, et nescire vicissim:

plis annotetur, id omne non in sensus ipsos, sed in ipsam mentis opinionem sit transferendum. Sic præclare Cicero Acad. II, 25; Sext. Empir. contra Math. VII; Tertull. De anima, c. 17; et Macr. Sat. VII, 14. *F.*

464. *Quærunt.* Quasi nimirum rationalibus curis et cogitationibus hoc facere conarentur. Vivide ac poetice, ut superius, ad vss. 154, 246. *W.*

466. *Opinatus*, opinationes, judicia.

468. *Ægrius*, difficilius, quo sensu nihil congruentius esse poterat tam totius loci scopo, quam universis, quibus protulit, delusæ visionis exemplis et argumentis. *Wak.* — Sic Plin. Nat. Hist. XXVI, 19, *ægrius revelluntur*; Cic. Tusc. IV, 37, *ægrius depellitur*; cf. Plaut. Amph. III, 2, 29. — *Apertas*, id est, quæ sensibus apparent.

469. *Abdit.* Id est, repellit, rejicit ab se dubia, ut certa teneat: quod difficillimum est scilicet: aptissimo sensu et apertissimo. *Wak.* — Alii legunt *addit*; minus bene.

470. *Denique, nil sciri*, etc. His 4 vss. jam ex occasione Poeta arguit Academicos novos, quorum princeps fuit Arcesilas. « Hic quippe », ut ait Lactantius de falsa sapientia III, « introduxit genus philosophiæ ἀσύστατον, » i. e. instabile, seu inconstans. *F.* — De his autem consule Cic. Acad. II, 23.

471. *Quo fatetur*; id est, an certa sit illa notio qua confisus fatetur se nihil scire. Ed.

472. *Mittam*, omittam, desinam. — *Contendere causam.* Cic. in Catilin. II, 11: « si causas contendere velimus ». H. e. disputare, certare.

473. *Qui capite*, etc. Ordo est: Qui ipse statuit sese suo capite in vestigia: i. e. qui vertit caput ad vestigia jam relicta, quasi cursum relecturus; et progressus nihil est. *Wak.* — Intricata quidem verba; sed cf. ad vs. 90. Vulgo legitur *instituit vestigia retro*, hoc est, qui capite suo retro graditur; ut signet eos Poeta præpostero et perverso esse capite seu judicio, qui ita sentiunt.

474. *Et tamen hoc quoque*, etc. His 5 vss. jam inchoatam contra novos Academicos disputationem monet se prosecuturum contra veteres Academicos, qui quidem cum Socrate dicebant se nihil scire, nisi quod nihil scirent. *F.*

475. *Veri nil*, nihil certi hactenus viderit.

Notitiam veri quæ res falsique crearit;
Et dubium certo quæ res differre probarit.
  Invenies primis ab sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensus posse refelli:
Nam majore fide debet reperirier illud,
Sponte sua veris quod possit vincere falsa.
Quid majore fide porro, quam sensus, haberi
Debet? an ab sensu falso ratio orta valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab sensibus orta est?
Quei nisi sunt verei, ratio quoque falsa fit omnis.
An poterunt oculos aures reprehendere? an aureis
Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris?
An confutabunt nares, oculeive revincent?
Non, ut opinor, ita est: nam seorsum quoique potestas
Divisa est; sua vis quoique est: ideoque necesse est,
Et, quod molle sit et gelidum fervensve, videri;

478. *Differre*, distare, distingui.

479. *Invenies primis*, etc. His itaque 22 vss. probare contendit Lucretius ad mentem Epicuri veros esse sensus, et ab iis, tamquam a primis principiis, oriri scientiam; nec esse quidquam, quod eos falsitatis arguere queat. *F.* — Vide Disq. var.

480. *Neque sensus:* sic L. M.; reliqui omnes, *sensu;* quæ lectio quidem primum intuitum feret, sed sequentia pensitantibus haud probabitur, et potissimum, si progrediamur ad vs. 498. Notum est etiam ex Plutarcho, Plac. Phil. IV, 9, et S. Empirici locis pluribus, Epicurum sensus habuisse ἀληθινοὺς atque ἀνεξελεγκτικοὺς, veros, nec obnoxios refutationi. *W.*

481. *Majore fide.* Aliquid enim inveniendum est certitudine majori præditum, quod per se et sua vi vera statim discernere, ideoque falsa rejicere et convincere possit. «Quid ergo est, ut ait Cic. Acad. II, 25, quod percipi possit, si ne sensus quidem vera nuntiant?»

485. *Eos contra*, adversus eos sensus quid ratio valet, *quæ tota*, etc. Sic Epicurus apud Laert. X, 32: Πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται· πᾶσα δὲ αἴσθησις ἄλογός ἐστιν. I. e. «omnis enim ratio a sensibus pendet: sensus autem omnis expers est rationis». *Lamb.*

487. *Oculos*, etc. Si falsi fuerint.

489. *An confutabunt*, etc. Ipsum scilicet hunc tactum.

492. *Et quod molle sit.* Nos ne latum quidem unguem ab optimorum exemplorum fide discessimus. Ordo est: Ideoque necesse est, et quod molle sit et gelidum fervensve, ita, ut est, videri molle, gelidum, vel fervens. *Wak.* — Versum unum hic librariorum negligentia omissum putabat Lamb. quem sic supplevit: «quod molle aut durum est, gel. fervensve seorsum, Id molle aut durum, gel. ferv. videri». Et sic omnes vulgo editi, sine causa; nos igitur Wak. cum Forbigero sequimur. Ed.

Et seorsum varios rerum sentire colores,
Et quæquomque coloribu' sint conjuncta, necesse est.
Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores
Nascuntur, seorsum sonitus; ideoque necesse est,
Non possint alios aliei convincere sensus.
Nec porro poterunt ipsei reprehendere sese;
Æqua fides quoniam debebit semper haberi:
Proinde, quod in quoque est his visum tempore, verum est.
Et, si non poterit ratio dissolvere causam,
Quur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint
Visa rotunda; tamen præstat rationis egentem
Reddere mendose causas utriusque figuræ,
Quam manibus manifesta suis emittere quoquam;
Et violare fidem primam, et convellere tota

493. *Et seorsum.* Necesse est etiam ut unus tantum sensus percipiat varios colores. *Creech.*

495. *Seorsus odores nascuntur.* Unicus olfactus odores sentit; unicus auditus sonos. *Creech.*

497. *Convincere,* confutare, refellere, falsitatis arguere; inf. vs. 766.

500. *Proinde quod,* etc. Itaque illud verum esse constat quod singulis his sensibus item semper in quolibet tempore perceptum est. Ed.

501. *Et, si non poterit,* etc. His 13 vss. probat sensus alios ab aliis, nec ipsos a seipsis reprehendi posse. Quamquam objectionem potius solvit, quam argumentum profert. Poterat enim quis arguere, quod sæpius contingat, ut ratio nequeat assequi causam alicujus rei; v. g. cur turris, quæ in promtu et cominus quadrata est, procul tamen visa appareat rotunda. Respondet Lucretius monendo ut quis potius operam impendat in perscrutanda causa cur simulacra quandoque ferantur mutilata, quam abjicere evidentiam, ac rem manifestam, violareque primam fidem sensibus debitam ac evertere prima fundamenta, quibus vita hucusque tota nititur. Qui namque poterimus declinare pericula, aut res bonas ac jucundas prosequi, si sensibus semel diffidamus? Ruit igitur ratio omnis nostra. *F.*

502. *Juxtim,* cominus, juxta, proxime; cf. infra vs. 1209; Suet. Tib. 33.

503. *Præstat.* I. e. præstat, sis quamvis non idoneis, vel etiam falsis, rationibus subnixus, causam dissolvere et explicare conari, quam de rebus manifestissimis omnium, in quibus totius vitæ salus et regimen, ut in quibusdam cardinibus, vertuntur (*sensibus corporeis* nimirum), fidem derogare: nempe, falli melius est, quam se conscium turpiter ludificare, et mentiri. *Wak.*

504. *Utriusque figuræ,* rotundæ scilicet et quadratæ.

505. *Quoquam,* in quamcumque partem sinere manifestam veritatem elabi, atque adeo amittere; I, 429.

506. *Fidem primam,* eam scilicet, quæ debetur sensibus.

Fundamenta, quibus nixatur vita salusque.
Non modo enim ratio ruat omnis, vita quoque ipsa
Concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
Præcipiteisque locos vitare, et cetera, quæ sint
In genere hoc fugiunda; sequi, contraria quæ sint.
Olla tibi est igitur verborum copia cassa
Omnis, quæ, contra sensus instructa, parata est.
Denique, ut in fabrica, si prava est regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum;
Omnia mendose fieri atque obstipa, necessum est,
Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta;
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque
Prodita judiciis fallacibus omnia primis:
Sic igitur ratio tibi rerum prava, necesse est,
Falsaque sit, falsis quæquomque ab sensibus orta est.

509. *Nisi credere sensibus ausis.* I. e. si diffidas; si fidem deroges sensibus; si dicas sensus esse fallaces et incertos. *Lamb.* — Ad rem cf. Tertullianus De anima, cap. 17.

511. *Contraria*, fugiendis; h. e. nisi audeas requirere quæ sint expetenda.

512. *Cassa*, vana, inanis. Sic vs. 127, et alibi passim.

514. *Denique, ut in fabrica*, etc. His 9 vss. probat a simili, ut aiunt, veros et certos esse sensus. Vult enim sensus esse tamquam rerum omnium regulas, ac normas, ac libellas, quibus rerum ratio ac notitia regatur. Itaque sicut in architectura si regula, si norma prava sit; si libella aliqua ex parte claudicet; sane totum opus, totum ædificium mendose fiat necesse est. Ita si sensus, qui prima sunt scientiæ fundamina ac principia, falsi sint et incerti, nulla jam erit certa cognitio. *F.* — *Fabrica*, τεκτονική, ars fabrilis. — *Regula.* Gallice, *Règle.* Lignum est oblongum, rectum, et parum latum, ad dirigendos parietes aptum. Græci vocant κανόνα. *Lamb.*

515. *Norma.* Gallice, *équerre;* duabus constat ex regulis rectis, quæ ad angulum rectum coeunt: ex ligno fit nonnunquam; sæpius ex ferro. Græcis dicitur γνώμων. *Lamb.* — *Rectis regionibus exit*, non recto angulo directa est.

516. *Libella.* Gallice, *niveau;* duabus constat regulis, rectis, æqualibus, et coeuntibus ad rectum angulum, a quo pendet e filo globulus plumbeus, qui tertiam regulam transversam mediam tangat æqualiter hinc inde ab duabus prioribus, quæ pronæ altera in alteram suis extremis nituntur. *Lamb.*

517. *Obstipa.* I. e. curvata, obliqua, inflexa. Sic libri omnes; Festus *obstita.* Vide Disq. var.

518. *Absona*, absurda, non respondentia ceteris ædium partibus.

520. *Prodita judiciis fallacibus*, constructa ad falsas et mendaces regulas.

Nunc aliei sensus quo pacto quisque suam rem
Sentiat, haud quaquam ratio scruposa relicta est.
Principio, auditur sonus et vox omnis, in aureis
Insinuata suo pepulere ubi corpore sensum.
Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est,
Et sonitum; quoniam possunt impellere sensus.
Propterea radit vox fauceis sæpe; facitque
Asperiora foras gradiens arteria clamor.
Quippe per angustum, turba majore coorta,

523. *Nunc aliei sensus*, etc. Hactenus de visu. Quia vero visionem fieri docuit ex incursu simulacrorum seu imaginum specierumve coloris et figuræ, ansam inde capit Lucretius disputandi de ceteris sensibus, quorum sensationes pariter censet fieri ex incurrente aliquo extrinsecus in ipsum sensorium. Itaque his 2 vss. monet se de reliquis sensibus disputaturum, præfaturque faciliorem jam nos nacturos viam ad ceteros sensus percipiendos. *F.* — Nec lateat lectorem in hoc versu nominativus pendens, de quo nos ad vs. 398. *W.* — Forsan etiam construendum, quasi dixerit: Nunc quo pacto alii sensus *sentiant* quisque, etc.

524. *Scruposa*, difficilis, aspera. Metaphora ducta a viis, in quibus aspera saxa dicuntur scrupi. *Lamb.*

525. *Principio, auditur sonus*, etc. His itaque 92 vss. sqq. disputat de auditu, cui secundum tribuit merito locum, utpote qui maxime conducat ad disciplinas capessendas, plurimumque conferat ad generis humani salutem atque societatem. His autem 12 vss. prioribus etiamsi vocem inter et sonum aliquid insit discriminis, quod speciatim vox de solo animali aut homine dicatur, sonus autem de quocumque strepitu; videtur tamen de sola voce disputare; quam docet corpoream esse; quia dum vox per fauces e pectore ejicitur, lædit, præterradit fauces, et asperiora reddit arteria, præsertim si cum vehementiori conatu emittatur. *F.*

526. *Insinuata*. Id est, quum se insinuaverint, vel in sinuosos aurium tramites penetraverint. *Wak.* — *Pepulere*, impulere; sic apud Virg. Ecl. VI, 84, « *pulsæ* referunt ad sidera valles ». Nimirum vetus atque perpetua quæstio inter nobilissimos philosophorum agitata est; *corpus*ne sit vox, an incorporeum: hinc enim stabat Plato, inde autem Stoici et Epicurus; teste Gellio, V, 15. Locus etiam Plutarchi, quem Gronovius ibidem laudat, lucem confert iis, quæ statim sequuntur in Lucretio, licet nec ambiguis sane, nec obscuris. Hæc autem soni *corpora* vocitavit Epicurus ὄγκους: vide locum Diogenis Laertii X, 53. *Wak.*

529. *Propterea*, ob corpoream naturam soni. *Wak.*

530. *Arteria*. In neutro genere. Sæpius tamen in fœminino usurpatur. — Scriptor Rhetoricorum ad Herenn. III, 12: « Nam læduntur arteriæ, si ante quam leni voce permulsæ sunt, acri clamore compleantur ». In quo capite legi possunt alia, Lucretium haud mediocri luce perfundentia. *Wak.* — Cic. Nat. D. II, 59: « Primum enim a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet; per quam vox, principium a mente ducens, percipitur et funditur ». Lege apud eumdem eodem lib. præclara de auditu et auribus. *Lamb.*

Ire foras ubi cœperunt primordia vocum
Scilicet, expletis quoque janua redditur oris
Rauca viis; et iter lædit qua vox it in auras.
Haud igitur dubium, quin voces verbaque constent
Corporeis e principiis, ut lædere possint.
Nec te fallit item, quid corporis auferat, et quid
Detrahat ex hominum nervis ac viribus ipsis
Perpetuus sermo, nigrai noctis ad umbram
Auroræ perductus ab exoriente nitore;
Præsertim, si cum summo est clamore profusus.
Ergo corpoream vocem constare necesse est,
Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
Nec simili penetrant aureis primordia forma,
Quom tuba depresso graviter sub murmure mugit,
Et revocat raucum retro cita barbara bombum;

532. *Primordia,* atomi, e quibus vox consistit.

533. *Scilicet.* Post hanc vocem cum Wak. distinximus, alii vero post *vocum*: sed jam *quippe* præcessit, ad hæc verba *expletis,* etc. referendum; quare *scilicet* cum τοῖς *ire foras,* etc. melius conjungitur. Ed. — *Janua oris*', gutturis os, raucisona fit, quia expletur corpusculis vocis egredientis; et fauces ipsæ radantur asperitate corpusculorum; vox ipsa *iter* suum lædit, quum nempe vehementiori conatu, aut, ut ait, multa turba coorta, egrediuntur corpuscula.

537. *Nec te fallit item.* His 7 vss. continetur alterum argumentum, quo vocem corpoream esse probat. Scilicet quia vox continuata diu parit loquenti lassitudinem, detrahitque de viribus illius. *F.*

539. *Nigrai noctis ad umbram,* ad noctem. — Suaviores versus in tenui materie, quam quibus hoc constat distichon poetæ nostri, et tota sane periodus, nusquam legi. *Wak.*

540. *Perductus,* ab uno usque fine scilicet ad alterum, ita ut omne intervallum compleatur. *Wak.*

544. *Nec simili penetrant,* etc. His 5 vss. continetur tertium argumentum, quod deducit ex diverso modo quo auditus noster afficitur, seu tangitur, quum tubæ raucum sonitum audimus, et quum dulce cycni morientis melos ferit aures nostras. *F.*

545. *Sub murmure.* Wak. legendum putat, *depressum... sub murmura;* id est, tuba submugit murmura, depressum aliquid; sed idem significat lectio vulgata, et simplicius profecto. Ed.

546. *Et revocat,* etc. Nihil certius est lectionibus hujusce versus sic ad libros vetustissimos constituti, et sensu nihil manifestius aut commodius. « Et barbara tuba, retro cita (i. e. reflexa) revocat (ob curvaturas numerosas scilicet) raucum bombum ». Mirum tamen est, quod varietatibus scriptura versus divexetur. *Wak.* — *Bombum.* Bombus proprie sonus est quem apes edere so-

Vallibus et cycnei, nece tortei, ex Heliconis
Quom liquidam tollunt lugubri voce querelam.
Hasce igitur penitus voces, quom corpore nostro
Exprimimus, rectoque foras emittimus ore,
Mobilis articulat verborum dædala lingua,
Formaturaque labrorum pro parte figurat.
Asperitas autem vocis fit ab asperitate
Principiorum, et item lævor lævore creatur.
Hoc, ubi non longum spatium est, unde una profecta
Perveniat vox quæque, necesse est verba quoque ipsa
Plane exaudiri, discernique articulatim :
Servat enim formaturam, servatque figuram.

lent, examen novum emissuræ; Pers. I, 99; Catull. Epith. Pel. et Thet. 264.

547. *Vallibus et cycnei, nece tortei.* Locus omnino desperatus, quem plurimi codices et veteres edd. sic exhibent, *Et validis nece tortis ex Heliconis.* Hinc conjecturis indulgere licebat; sed versum e meo penu lectori intrudere nolui: quare lectionem a Forbigero admissam sequutus sum, quamquam ipsa quoque mendosa mihi videatur. Vide Disq. var. En.

548. *Liquidam,* claram. Sic II, 145. —*Lugubri voce,* quia jam morituri sunt. —Nam unanimi consensu veteres testantur, hanc avem, nisi morte appropinquante, nunquam canere; quod innumerabiles loci, vel puerulis notissimi, satis ostendunt : quibus et hodiernorum nonnulli suffragantur. Videtur itaque canor ille querulus, avi non aliter canoræ, mortis doloribus expressus. *Wak.* — *Querelam,* lugubriter eliquatam cantionem; cf. vs. 586. *Wak.*

549. *Hasce igitur penitus,* etc. His 4 vss. docet interim modum, quo vox configuratur et articulatur. *F.*

551. *Verborum dædala,* opifex, formatrix, I, 7, et 229. Sic præclare Cicero Nat. Deor. II, 59 : « Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus; ea vocem immoderate profusam fingit et terminat, sonosque vocis distinctos et pressos efficit, quum et ad dentes et ad alias partes pellit oris ». Cf. Arnob. III, p. 111; et VII, p. 217.

553. *Asperitas autem vocis,* etc. His 2 vss. docet duplicem esse vocis differentiam insignem, nempe lævorem et asperitatem : censet autem asperitatem seu insuavitatem aut inconcinnitatem vocis oriri ab asperis atomis, quibus ea constat, et quæ in aures subeuntes dilacerent illas et exasperent; lævorem vero seu suavitatem ex lævigatis atomis. *F.*

555. *Hoc, ubi non longum,* etc. His 10 vss. docet quid causæ sit cur vox distincte aut confuse audiatur. Hoc autem utrumque refert ad diversam intervalli distantiam, a quo profecta vox pervenit ad aures. *F.* — *Hoc,* id est, hoc modo, ut supra vs. 361, et sæpius. Sic pro vulgari *atque* Wak. restituit. — *Una;* vulgo *illa;* junge *unaquæque.*

558. *Formaturam figuramque :* per hendyaden hoc debet accipi, pro *formaturam figuræ,* vel *formaturam,* per quam *figurata* est, ac discreta : redi ad vs. 554. *Wak.*— *Servat,* ipsa vox.

Àt si interpositum spatium sit longius æquo,
Aera per multum confundi verba necesse est,
Et conturbari vocem, dum transvolat auras.
Ergo fit, sonitum ut possis sentire, neque ollam
Internoscere, verborum sententia quæ sit;
Usque adeo confusa venit vox inque pedita.
Præterea, verbum sæpe unum perciet aureis
Omnibus in populo, missum præconis ab ore.
In multas igitur voces vox una repente
Diffugit, in privas quoniam se dividit aureis,
Obsignans formam verbis clarumque sonorem.
At, quæ pars vocum non aureis incidit ipsas,
Præterlata perit frustra, diffusa per auras:
Pars solideis allisa, lapis rejecta, sonorem
Reddit, et interdum frustratur imagine verbi.
Quæ, bone! quom videas, rationem reddere possis

562. *Ollam.* Lamb. *illum;* Pius *illa;* quod correctoris est, non percipientis constructionem; « neque internoscere illam *sententiam,* quæ sit»: substantivo, quod sæpiuscule fit, in priore clausula subintellecto; de qua figura sermonis ad I, 15. *Wak.*

564. *Inque pedita,* et impedita.

565. *Præterea, verbum.* His 5 vss. explicat Poeta, quomodo vox una, quæ quasi totalis seu generalis ab ore unius hominis emittitur, eadem a multis tamen audiatur: v. g. dum præco edictum promulgat, a plebe tota adstante auditur. Scilicet quia vox ea dissilit in voculas innumeras inter se consimiles. *F.* — *Verbum.* Vulgo *edictum;* sed nostram lectionem codices Lugd. 1, 2, longe veterrimi emendatissimique; et stabilit vs. 567, ubi *vox una* repetitur, ut vicissim respondens *uni verbo,* quod præcesserat. *Wak.* — *Perciet,* III, 185.

568. *Privas,* singulas, privatas. Sic III, 390, 723, etc.

569. *Obsignans.* I. e. discriminatam figuram imprimens, qua dignoscantur. —Formam propriam effigians, ac peculiarem. Pulchre, et maxime ad rem Plutarchus Plac. Phil. IV, 20. *Wak.*

570. *At, quæ pars vocum,* etc. His vero 4 vss. docet non omnes quidem vocis particulas incidere in aures audientium, quum undique in omnes partes dispergantur: sed partem in aures incidere; partem aures præterlabi, et per aera frustra diffusam perire; partem denique allidi ad saxa, aut ad alia solida corpora, quibus repercussa reddat sonum. *F.—Incidit aures;* Virg. Æn. IX, 721: «Bellatorque *animos* deus *incidit* ».

572. *Lapis rejecta;* comparatio.

573. *Imagine verbi.* H. e. echo; de qua jam multa disputaturus est Poeta. Virg. Georg. IV, 50: « vocisque offensa resultat imago ». *F.* — *Frustratur;* nos decipit, quum non jam vox vera sit, sed vocis tantum imago. Ed.

574. *Quæ, bone! quom videas,* etc.

Tute tibi atque alieis, quo pacto per loca sola
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites quom monteis inter opacos
Quærimus, et magna dispersos voce ciemus.
Sex etiam, aut septem, loca vidi reddere voces,
Unam quom jaceres : ita colles collibus ipsei
Verba repulsantes iterabant dicta referri.
Hæc loca capripedes Satyros Nymphasque tenere
Finitumei fingunt, et Faunos esse loquuntur,
Quorum noctivago strepitu, ludoque jocanti,
Affirmant volgo taciturna silentia rumpi;
Chordarumque sonus fieri dulceisque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum:
Et genus agricolum late sentiscere, quom Pan,

His itaque 5 vss. docet Lucretius ex dictis facile reddi rationem posse, cur fiat echo. Scilicet, quia voculæ allisæ ad saxa, ad arbores, ad parietes, aut ad alia solida corpora rejiciuntur ac resiliunt, vocisque reddunt imaginem. *F.*

575. *Loca sola*, deserta.

579. *Sex etiam, aut septem*, etc. His 8 vss. notat vocem eamdem non semel tantum, sed sexties etiam aut septies reddi. Cujus rei alia est causa. Nempe id interdum accidit ex multitudine locorum ita inter se positorum, ut propiora prius vocem referant, remotiora posterius : interdum vero ex locis seu corporibus sibi mutuo oppositis, vicissimque reflectentibus vocem. *F.* — Vide Disq. var.

581. *Iterabant dicta referri.* Alii *referre.* Ordo est : Ita colles, repulsantes dicta verba, iterabant referri (i. e. ὥστε referri, ita ut referrentur) collibus. *Wak.*

583. *Finitumei.* Vulgo *Finitimi*; ut in libris omnibus, contra morem seculi, et in primis poetæ, priorum temporum venerabilem orthographiam sectantis. *W.* — *Faunos esse.* Cic. Nat. Deor. II, 2 : « sæpe Faunorum voces exauditæ, sæpe visæ formæ Deorum, quemvis..... Deos præsentes esse confiteri coegerunt ».

584. *Noctivago strepitu :* nempe *noctu* ferias amatorias exercebant, ne mortalium oculis contingerentur. *Wak.* — *Ludoque jocanti*, petulante, lascivo. — Voces *strepitu ludoque* potissimum respiciunt *Satyros Nymphasque* lascivo lusu discurrentes, et *sonos querelasque tibiæ* pertinent ad Faunos, musicos deos ac facundos vates : vide Virg. Æn. VII, 81; Hor. Art. Poet. 244; Calpurn. Ecl. I, 91; Isidor. Origg. VIII, 11. *Wak.*

586. *Sonus.* Sic Lugd. 2 optime; ad consuetudinem nimirum antiquissimorum. Nonius Marcellus, VIII, 67 : « Soni et sonus pro sonitus ». *Wak.*

587. *Digitis pulsata canentum.* I. e. accinentium; pulsantium scilicet et canentium eodem tempore. Virgilius hunc locum imitatus est Æn. VI, 646. *Wak.*

588. *Agricolum*, agricolarum. — *Sentiscere*, III, 393. — *Pan.... quassans.* Deus pastorum, coronam pineam in capite gerit.

Pinea semiferi capitis vallamina quassans,
Unco sæpe labro calamos percurrit hianteis,
Fistula sylvestrem ne cesset fundere musam.
Cetera de genere hoc monstra ac portenta loquuntur,
Ne loca, deserta ab Divis quoque, forte putentur
Sola tenere; ideo jactant miracula dictis:
Aut aliqua ratione alia ducuntur; ut omne
Humanum genus est avidum nimis auricularum.
Quod superest, non est mirandum, qua ratione
Per loca qua nequeunt oculei res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, aureisque lacessant:
Colloquium clusis foribus quoque sæpe videmus:
Nimirum, quia vox per flexa foramina rerum

589. *Vallamina.* Vulgo *velamina.* Certe fatendum est τὸ *vallare* sæpius adhiberi de capitum tegumentis terrorem incutientibus; ut, exempli gratia, in loco Senecæ, ne alios cumulem, Herc. OEt. 1935. *Wak.* — *Semiferi capitis :* ob cornua nimirum, a temporibus pullulantia, et *aures* in acumen tenuatas: de quibus poetæ passim. *Wak.*

590. *Calamos,* arundines, quibus fistula compacta est. Sic V, 1406: « Et supera calamos unco percurrere labro ». *Unco labro,* mobiliter flectente, et curvaturæ calamorum se fluctuatim accommodante. *Wak.* — *Percurrit,* celeri labrorum motu. — *Hiantes,* apertos, adeoque vocales et personantes. Propert. III, 15, 34. *Wak.*

591. *Fistula;* Virg. Ecl. II, 32, 36. — *Ne cesset.* Cum potestate scilicet Græcæ formulæ, ἵνα μὴ παύηται, « adeo ut re vera nunquam cesset »; vel Pane, vel Faunis, indesinenter sonores musicos exercentibus. Conjeceram tamen rescribendum esse : *nec cessat. Wak.* — *Sylvestrem musam.* Virg. Ecl. I, 2.

594. *Tenere.* Alii legendum censent *teneri;* male. Agricolæ enim suum cum Divis commercium jactant, ideoque portentosas hujusmodi fabulas effingunt. *Cr.*

596. *Avidum nimis auricularum.* I. e. omnes homines portenta et miracula libenter narrant; eaque a multis audiri jucundissimum illis est. *Faber.*—Immo, ea *omnibus* auditu jucundissima sunt; non nova, sed ingenita quibusdam, mentiendi voluptate. *Bentl.* — *Avidum auricularum;* ad constructionem formularum scilicet *integer vitæ, notus animi,* ac similium; possis tamen scribere, si placeat, *avidûm,* pro *avidarum;* quæ minus ambigua sane verborum structura fuerit. *Wak.*

597. *Quod superest.* His 8 vss. docet cur omnia voci sint pervia, non vero simulacris seu rerum imaginibus. Namque, clausis foribus, voces prætereuntium audimus, quos tamen non videmus; scilicet quia vocis corpuscula transire possunt per aliqua foramina, simulacra vero seu imagines non possint; alias enim perscinduntur ac franguntur. *F.*

599. *Hæc loca per voces.* Ordo est : per hæc loca voces *veniant,* permeent, et aures *lacessant,* impellant, cum vi quadam adveniant.

600. *Colloquium.* Colloquium nempe *fieri,* vel *esse,* sæpe clausis foribus, vi-

Incolumis transire potest, simulacra renutant;
Perscinduntur enim, nisi recta foramina tranant:
Qualia sunt vitri, species quæ transvolat omnis.
Præterea, parteis in cunctas dividitur vox,
Ex aliis aliæ quoniam gignuntur; ubi nam
Dissiluit semel in multas, exorta quasi ignis
Sæpe solet scintilla suos se spargere in igneis:
Ergo replentur loca vocibus, abdita retro
Omnia quæ circum fuerunt, sonituque cientur.
At simulacra viis de rectis omnia tendunt,
Ut sunt missa semel: quapropter cernere nemo
Sæpta supra potis est, at voces accipere extra.

demus: in qua structura nihil duri, atque inusitati. *W.*—*Videmus;* de auditu.

602. *Renutant*, abnuunt. Rarius vocabulum legitur etiam apud Prudent. Hamart. 774.

603. *Tranant*, nempe per aera *liquidum*; redi ad vs. 178.

604. *Qualia sunt vitri*. Suppl. foramina.

605. *Præterea, parteis*, etc. His 12 vss. secundum adstruit discrimen vocem inter ac imagines: seû secundam reddit rationem cur vox transvolet parietes, non item imago. Nimirum, quia vox missa sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum in multas partes dissilit; sicque loca omnia complet recta, indirecta, et aperta, et abdita; et aer etiam remotus et inclusus per consensum verberatur, verberatus sonitum reddit, sonus seu vox ad aures pervenit. Auditus enim semper patet, ut sonos ex omni parte editos excipiat. Vocem autem in voculas multas spargi confirmat similitudine ignis, qui in multas scintillas igneas, seu in multos parvulos ignes diffunditur. Verum hæc non contingunt rerum simulacris. Neque enim per obliquam aut transversam feruntur viam, sed per rectam semper ad oculos perveniunt. Quare non nisi ea, quorum imagines recte perducuntur ad oculos, cernere possumus. *Fay.* e *Lamb.*

606. *Ubi nam;* vulgo *una*. Libros plures sequor, editoribus desertos, orationis texturam parum callentibus; quam nos hoc pacto plenam exhibemus: «Nam, ubi *vox* exorta dissiluit semel, in multas voces *solet se spargere*, quasi scintilla ignis sæpe solet se spargere in *multos* ignes». Ratio, quæ distulerit dominantes sententiæ dictiones *solet se spargere* in posteriorem clausulam, nec necessum habuit repetitas dare in priore, obscuritatem illam, quæ circa virorum doctorum animos caligavit, videtur peperisse. *W.*

609. *Retro*, penitus abstrusa, et a tergo.

610. *Fuerunt*. Alii *fuerint*. — *Cientur*, quasi excitantur, et resonant.

611. *Viis de rectis*; ad vias rectas, secundum vias rectas, feruntur omnes imagines. Sic correxit Wak. e codd. Vulgo *directis*, minus bene.

613. *Sæpta*. Vulgo *se*. Id, quod dederim, quamvis ex conjectura sit, nullus dubito, quin a poetæ manu venerit; nam reliqua omnia exemplaria magno cum consensu dant *Sæpe*, vocem scopo loci non magis consentaneam, quam vulgata. *Wak.*

Et tamen ipsa quoque hæc, dum transit clusa viarum,
Vox obtunditur, atque aureis confusa penetrat;
Et sonitum potius, quam verba, audire videmur.
Hoc, quî sentimus sucum, lingua atque palatum
Plusculum habent in se rationis, plus operæque.
Principio, sucum sentimus in ore, cibum quom
Mandundo exprimimus: ceu plenam spongiam aquai
Si quis forte manu premere ac siccare coepit.
Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, et raræ per plexa foramina linguæ.
Hoc, ubi lævia sunt manantis corpora suci,
Suaviter attingunt, et suaviter omnia tractant,

614. *Clusa viarum*; cf. I, 355, al.

616. *Et sonitum.* Id est, merum uniformem sonitum, non articulatum ac discretum. *Wak.*

617. *Hoc, qui sentimus*, etc. Hactenus de auditu, deque voce seu sonitu. Nunc de gustatu deque sapore disputaturus est his 59 vss. seqq. Itaque his 2 vss. prioribus monet paullo plus inesse rationis, plusque operæ ac laboris, in disputatione de gustatu, quam in superioribus, nempe in visu et auditu. *F.* — *Hoc, qui* (ἀργαϊκῶς pro *quo*) *sentimus*; id est, *Hæc res, qua* sentimus; per formulam sermonis utrumque nomen, *lingua* ac *palatum*, singulatim respicientem. *Wak.*

619. *Principio, sucum*, etc. His 16 vss. subseqq. docet Poeta quid sit sapor, quomodo sentiatur, quo tempore sentiatur, et a quo. Sapor autem ex Epicuri doctrina Lucretio nihil aliud videtur esse, quam corpuscula e rebus manducatis exorta, quæ varie, hoc est, suaviter aut insipide, linguam atque palatum feriant, moveant, et afficiant, ita ut inde fiat gustatus. *F.*

621. *Siccare coepit.* Ita mallem scribere ad insitatam formam vocis, de qua propter paucitatem reliquiarum, ab antiquitate traditarum, minus idonei sumus nunc dierum judices, quam fidissimorum testimonia susque deque habere codicum. *Wak.* — Alii *exsiccareque cœpit*; alii *siccare recepit.* — Ceterum *siccare cœpit* usitatissima est utriusque linguæ scriptoribus redundantia, pro *siccavit* simplice. *Wak.* — De diæresi cf. ad I, 224, 561; II, 951, etc. *Forb.*

622. *Per caulas*, per concavitates, per poros, quos Græci vocant; II, 951.

623. *Diditur*, dispergitur, differtur, distribuitur per poros palati et per meatus obliquos linguæ spongiosæ.

624. *Hoc*, (vs. 557) *ubi lævia*, etc. Lævor et asperitas atomorum, quibus succus constat, Lucretio causa est suavitatis et insuavitatis saporum: sicut et in aliis rebus supra docuit. Sed de his fusius disputatum est II, 399 et sqq. *F.* — *Manantis corpora suci.* Vulgarem lectionem, quæ plana est, cum Forbigero sequimur. Wak. autem edidit *manantes*, quod exquisitius pronuntiat; sed durius dictum videretur *suci manantes corpora*. Ed.

625. *Tractant*, tangunt, contingunt, demulcent.

Humida linguai circum sudantia templa:
At contra pungunt sensum lacerantque coorta,
Quanto quæque magis sunt asperitate repleta.
Deinde, voluptas est e suco fine palati;
Quom vero deorsum per fauceis præcipitavit,
Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus.
Nec refert quidquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo, quod capias, concoctum didere possis
Artubus, et stomachi humectum servare tenorem.
Nunc alieis alius quî sit cibus, ut videamus,
Expediam : quareve, alieis quod triste et amarum est,

626. *Linguai templa.* Sic vocitata scilicet ob rotundiorem palati cavitatem, et quasi *concamerationem :* uti Græcis οὐρανὸν nomen mos est usurpare. — *Humida* et *sudantia* eo insuper apponit, quod gustui jucunda, ac sapida, salivam moveant. *Wak.* — Cf. Isidor. Orig. XI, 1. Ennius ap. Cic. Nat. D. II, 18, *palatum cœli* commemorat. *Forb.*

627. *Coorta.* Ea vox videtur in pœnda cubare; nequeo equidem discernere potestatem ejus, nisi interpreteris per « ea semina cibi, vel suci quæ inter mandendum oriuntur », et exprimuntur. *Wak.*

629. *Deinde, voluptas,* etc. Lucretius itaque ex Epicuro docet omnem, quæ ex cibis percipitur, voluptatem in linguæ ac palati extremis regionibus sentiri. Ubi enim cibus in ventriculum delapsus est, nulla jam restat gustus voluptas. Hinc non immerito Nigrinus apud Lucianum ridebat eos, qui plus nimio studii adhiberent in ciborum condimentis. *Fay.* e *Lamb.* — *Fine palati.* Sic legendum; non, ut vulgo, *in fine :* i. e. palato tenus, et non ultra, sapores gustamus. *Bentleius,* in Horat. Od. II, 18, 30. *Wak.*

630. *Præcipitavit,* præcipitata est, seu præceps data est. De hoc sensu verbi docte disputat Vossius pater de Anal. III, 3. *Hav.*

634. *Humectum.* Exempla dictionis tibi suppeditabunt lexicographi ex Apuleio et Macrobio. Vide etiam Arnob. VI, p. 212; Tertull. De rapt. 3. *Wak.* — Infra vs. 1190 : « Et tenet assuctis humectans oscula labris ». Sicuti enim ibi *humectans* est assidue irrigans atque nutriens, ita hic *humectus tenor* stomachi illam salivæ designat copiam, quæ digerendo cibo assiduitate et perpetuitate sua sufficit. *Hav.*

635. *Nunc alieis alius,* etc. His 29 vss. novum jam et arduum proponit problema, solvitque; cur scilicet idem cibus aliis animantibus jucundus sit et salubris, suavis et amarus; aliis vero injucundus et noxius, ingratus et dulcis. Cujus rei rationem reddit ex eo, quod organum gustatus in sua contextura, sive atomorum spatiorumque inter atomos interceptorum configuratione, in animantibus variis differat, perinde ac differunt ceteræ partes, speciatimque externæ. *F.* — *Qui,* id est, quo modo; III, 738; editores autem ex arbitratu *cur,* inutiliter. *W.*

636. *Triste et amarum.* Hæ voces non raro indifferenter usurpantur, ut plus semel etiam in Lucretio; hæc de

Hoc tamen esse alieis possit perdulce videri :
Tantaque in his rebus distantia differitasque est,
Ut, quod alîs cibus est, alieis fuat acre venenum.
Est itaque, ut serpens, hominis quæ tacta salivis,
Disperit, ac sese mandundo conficit ipsa.
Prætereа, nobis veratrum est acre venenum;
At capreis adipes et coturnicibus auget.
Id quibus ut fiat rebus cognoscere possis,
Principio meminisse decet, quæ diximus ante,
Semina multimodis in rebus mixta teneri.
Porro omnes, quæquomque cibum capiunt, animantes,
Ut sunt dissimiles extrinsecus, et generatim
Extima membrorum circumcæsura coerçet;
Proinde et seminibus constant, variantque figura.

causa, quod amaritudo gustatæ rei tristitiam vultus pariat : adi Virgil. Georg. II, 247; atque adeo, effectu locum causæ adimplente, quod *triste* est, id sensu secundario τὸ *amarum* valet. *Wak.*

638. *Differitas.* Differentia, inquit Nonius. Hac voce utitur etiam Arnobius, VII, p. 228, al.

639. *Ut quod alis;* per contractionem pro *alieis.* — *Fuat*, sit. Virg. Æn. X, 108, et alii.

640. *Est itaque.* Nihil esse potest faciliore intellectu, atque explicatu, quam sunt hujusce versus sensus et constructio : « Est itaque, ut (ubi, vel quando) serpens, quæ tacta *est* salivis hominis, disperit ». *Wak.* — De hac re Plinius Nat. Hist. VII. 2, § 5 ; Ælian. Hist. Anim. II, 24. Vide Disq. var.

642. *Veratrum.* Græci vocant hellebborum ; de quo Plin. Nat. Hist. XXV, 21. Vide etiam V, 898.— Plin. X, 33: « coturnicibus veratri semen gratissimus cibus. » *Lamb.*

643. *Capreis*, id est, *capris* in dativo, non a *caprea.* Orthographiam Forbigeri in his sequimur.—*Adipes.* De hoc plurali cf. Ruddim. Inst. Gr. I, p. 145, et Schneid. Gramm. Lat. II, p. 387. *Forb.*

644. *Id quibus ut fiat.* Obscura sane constructio ; et maxime placeret, si codices addicerent, vulgata lectio *Ut, quibus id fiat*, etc. Codd. igitur cum Wak. et Forb. sequimur, non sponte. Ed.

645. *Quæ diximus ante.* Nempe II, 1053, et sqq.

648. *Generatim*, per singula animantium genera; I, 21, 228, etc.

649. *Extima membrorum.* H. vs. positus fuit III, 220, ubi vide notam.

650. *Proinde*, ita, sic, similiter ; vs. 658.—*Constant.* Id est, eadem est ratio constitutionis in seminibus, ac in extimis figuris animantium : dissimilitudo scilicet. Nihil rectius et sincerius hac lectione, nobismetipsis saltem judicibus : editores autem *distant* in Lucretium importavere. Aliter insuper hoc pacto declarari potest verborum constructio : Proinde (ad eumdem modum) constant etiam seminibus (dissimilibus scilicet) : i. e. ea est seminum constitutio, quæ externæ speciei, quatenus in utroque animum discrepant. *Wak.*

Semina quom porro distent, differre necesse est
Intervalla, viasque, foramina quæ perhibemus,
Omnibus in membris, et in ore ipsoque palato.
Esse minora igitur quædam majoraque debent;
Esse triquetra alieis, alieis quadrata necesse est:
Multa rotunda, modis multis multangula quædam.
Namque figurarum ratio ut motusque reposcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ,
Et variare viæ, proinde ac textura coercet.
Hoc, ubi quod suave est alieis, alieis fit amarum,
Illi, quoi suave est, lævissima corpora debent
Contractabiliter caulas intrare palati:
At contra, quibus est eadem res intus acerba,
Aspera nimirum penetrant hamataque fauceis.
Nunc facile est ex his rebus cognoscere quæque.
Quippe, ubi quoi febris, bili superante, coorta est,
Aut alia ratione aliqua est vis excita morbi;
Perturbatur ibi jam totum corpus, et omnes
Commutantur ibi posituræ principiorum:

654. *Minora.* Suppl. intervalla, pori scilicet et meatus, vs. 652.

655. *Triquetra,* trigona, triangula. Ad hunc locum patefaciendum apprime facit Theophrastus, de Caus. Plant. VI, 2. *Wak.*

657. *Reposcunt,* pro simplici *poscunt;* II, 369.

658. *Proinde,* ita, sic; vs. 650.

659. *Proinde ac* (cf. ad III, 1066) *textura coercet.* Id est, secundum limites coercentes; quibus textura utique circum claudit, vel continet, ac complectitur, viam unamquamque. *Wak.*

660. *Hoc;* redi ad vss. 557, 626. Editores *ergo,* pro scriptura omnium omni genere proborum exemplarium. *W.*

661. *Illi, quoi*; sic omnes MSS. Vulgo contra omnes libb. *illis queis.* — *Lævissima.* I. e. lævigata foraminum rotunditate, per quæ transeunt: adeo ut aspera suo ingenio semina, propter læves meatus, non conservent asperitatem; nam, quum cibus idem sit, necesse est differitas in palati solius textura reperiatur: in caulis ejus, qui gustat; non autem in seminibus gustatæ rei. *Wak.*

662. *Contractabiliter;* per mollem tractationem, facile et leniter; vel potius ut contrectari innoxie queat.

665. *Nunc facile est ex his,* etc. His vss. confirmat exemplo suam hanc doctrinam. Quod igitur ille cibus aut potus, qui suavis est aliis, fiat aliis amarus, id accidere docet Lucretius ex perturbatione atomorum in corporibus: qualis perturbatio aut commutatio fieri solet in ægro ex bile superante, aut ex alia causa. *F.* — Vide autem Disq. var.

667. *Aliqua,* junge cum *ratione.*

Fit, prius ad sensum quæ corpora conveniebant,
Nunc non conveniant, et cetera sint magis apta,
Quæ penetrata queunt sensum progignere acerbum.
Utraque enim sunt in mellis commixta sapore;
Id quod jam supera tibi sæpe ostendimus ante.
Nunc age, quo pacto nareis adjectus odoris
Tangat, agam. Primum, res multas esse necesse est,
Unde fluens volvat varius se fluctus odorum;
Et fluere, et mitti volgo, spargique, putandum est.
Verum alieis alius magis est animantibus aptus,
Dissimileis propter formas; ideoque per auras
Mellis apes, quamvis longe, ducuntur odore;
Volturieique cadaveribus: tum fissa ferarum

672. *Penetrata.* I. e. *se penetrantia*, ut mox etiam ad vs. 1242, *penetratum*, quum *se penetraverit*; in reflexo verbi sensu: quod diligenter notandum. Similiter Gellius, V, 14.: « Specum quamdam nactus remotam latebrosamque, in eam *me penetro*, et recondo »: qui Plautum sequitur, in Amphit. I, 1, 94. *W.*

673. *Utraque*: adeo ut lævia mellis elementa, ob commutatas posituras principiorum, ad sensum jam non penetrent, asperis interea penetrantibus. *Wak.*

674. *Supera*, antique pro *Supra*. Wak. sumit pro *supera via* positum; quod non prorsus intelligo. *Forb.* — *Sæpe ostendimus ante.* Nempe, plus semel noster docuit, semina diversa in iisdem corporibus inveniri, adeoque consequenter in *melle* quoque: non innuens profecto, se speciatim de *melle* disputasse inter hoc argumentum disquirendum; quod nusquam factum memini. Conf. I, 815, 894; II, 585; IV, 648. *Wak.* — Vide Disq. var. ad v. 665.

675. *Nunc age, quo pacto*, etc. Hactenus de sapore et gustu: nunc de odore et odoratu disputaturus est ab h. vs. 675 ad vs. 721. His itaque 11 vss. prioribus docet, sicut imagines, voces, sapores e rebus emittuntur; ita odores variis e rebus fluere, et animalia cuncta diversimode afficere propter dissimiles figuras atomorum ex quibus constant. Primum igitur astruit odores fluere, mitti, spargique continuo certis e rebus. Deinde monet non omnia animalia pariter affici cunctis odoribus: sed alios odores aliis animantibus esse aptos. *F.* — *Adjectus*, appulsus, seu appulsio odoris; cf. I, 690. *Lamb.*

676. *Tangat*, afficiat, feriat, *lacessat*, ut mox vs. 689.

678. *Et fluere.* Editores de suo *Nam*; contra libros universos. Hoc dicit Lucretius: Necesse est, inveniantur multæ res, unde odores fluant; et facile est existimare, vulgo quoque eos ab rebus mitti: non *multis* utique, sed omnibus. *Wak.*

679. *Alius*, odor.

680. *Dissimileis propter formas.* I. e. propter varias atomorum contexturas in olfactus sensorio. *F.*

682. *Volturiique.* Vultures, quos Plinius X, 7, narrat triduo ante volare eo, ubi cadavera futura sunt, quasi præsentiant multo ante cadaverum odorem. *Lamb.* — *Fissa ferarum Ungula.* Id est, feræ, quæ ungulas habent fissas. *F.*

Ungula quo tulerit gressum, permissa canum vis
Ducit; et humanum longe præsentit odorem,
Romulidarum arcis servator, candidus anser.
  Sic alieis alius nidor datus ad sua quemque
Pabula ducit, et a tetro resilire veneno
Cogit; eoque modo servantur secla ferarum.
  Hic odor ipse igitur, nareis quiquomque lacessit,
Est alio ut possit permitti longius alter:
Sed tamen haud quisquam tam longe fertur eorum,
Quam sonitus, quam vox; mitto jam dicere, quam res,
Quæ feriunt oculorum acies, visumque lacessunt:
Errabundus enim tarde venit, ac perit ante
Paullatim, facileis distractus in aeris auras.

683. *Permissa*, immissa, ita missa ut ad feras perveniat, omni intervallo peragrato. Vocabulum autem illud ad mediæ vocis potestatem accipit Wak. *permissa*, id est, *se permittens*. Sed ita melius loco conveniat *ducitur*, quam *ducit* si cum interpp. intelligas *canum vis ducit ipsos canes;* quare melius, opinor, possis interpretari : *canes* in vestigia ferarum *immissi ducunt venatores, quo*, etc. vel e præcedd. repete *gressum* suum *ducit*. Nisi *vis canum* pro olfactu accipias, quo sensu non male legeretur, ut est in vulg. edd. *promissa*, longius emissa. Ed.

685. *Arcis servator anser*, Capitolii. Hujus historiæ meminit Cicero pro Roscio Amerino, 20; Plinius lib. X, 22, seu 26; Liv. V, 47; Propert. III, 3, 12.

686. *Nidor datus*. Æque commodum est per se, et colori sermonis poetici magis consentaneum, accipere *nidorem* in hoc loco, pro rei odoriferæ profluentia, atque pro narium odorantium facultate; vide vs. 681; effectu scilicet, uti multoties, pro causa adhibito, ac vocem gubernante. Appositus est huic notioni illustrandæ Virg. Æn. XII, 301. *Wak.*

689. *His ergo ipse igitur*, etc. His 11 vss. docet quid odorem inter et sonum imaginemque sit discriminis. Duplicem autem discriminis rationem instituit, 1° quia non æque longe mittitur e rebus odor, ac sonus aut imago; 2° quia sæpius effluit odor e rebus, quam sonus aut imago ferantur per aera. Scilicet quia odor ex alto, ut ait Lucretius, h. e. ex intimis rebus manat : imago vero tantum ex summa rerum superficie. Unde prius interdum periit odor per aera, quam ad nares pervenerit; nec nisi lente et segniter missus fertur. *F.*

690. *Est* (vs. 640) *alio ut*. Ex odoribus, alius alio longius emitti potest.

691. *Sed tamen*, etc. Vide Disq. var.

692. *Quam res quæ*, etc. Scilicet imagines, simulacra.

694. *Perit ante* quam ad nares *veniat*.

695. *Facileis*. Interpretes et editores male et perquam invenuste ceperunt τὸ *facilis* librorum pro casu recto numeri singularis; quum tantum non certissimum est, poetam de quarto casu cogitasse. Jam vero, quid loco congruentius desiderari potest, quam *faciles auras*, vel ob tenuitatem facile cedentes odoribus; inde nimirum undique dispersis, aut disperditis? *Wak.*

Ex alto primum quia vix emittitur ex re :
Nam penitus fluere atque recedere rebus odores
Significat, quod fracta magis redolere videntur
Omnia, quod contrita, quod igni collabefacta.
Deinde, videre licet majoribus esse creatum
Principiis, quam vox; quoniam per saxea sæpta
Non penetrat, qua vox vulgo sonitusque feruntur.
Quare etiam quod olet, non tam facile esse videbis
Investigare, in qua sit regione locatum :
Refrigescit enim conctando plaga per auras;
Nec calida ad sensum decurrunt, nuntia rerum.
Errant sæpe canes itaque, et vestigia quærunt.
Nec tamen hoc solis in odoribus atque saporum
In genere est : sed item species rerum atque colores
Non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes,

696. *Ex alto,* ex fundo, ex intimis ac penitioribus rerum partibus. Sic vss. 71, 90. — *Vix*, ægre, non statim.

697. *Nam penitus,* etc. Probat odores ex alto rerum fluere, quia, quæ res odoriferæ franguntur, et conteruntur, et friantur, eo magis redolent; quia odor latet intus. *F.* — II, 1128.

699. *Collabefacta.* Pius vellet *concalefacta;* sed recepta lectio multo venustior est, et exquisitior; conf. I, 493. *Wak.*

700. *Deinde, videre licet,* etc. His 8 vss. alterum notat discrimen, quod intercedit odorem inter et vocem ac sonitum. Odor quippe, quia halituosa est effluxio rerum, constat atomis crassioribus : vox vero ac sonus tenuioribus. Hinc fit ut odor non penetret, quo vox ac sonitus. Itemque fit ut ea ratione non diffundatur odor, qua vox ac sonus. *F.* — *Creatum,* scil. odorem.

701. *Quam vox;* supple : est creata. Sic Wak. et Forb. codicum auctoritatem secuti. Lambinus et post illum omnes edd. vulg. *voci,* non intelligentes locum per ellipsin non adeo insolitam esse explicandum. Ed.

703. *Quod olet,* etc. Non tam facile est invenire qua in regione locatum sit illud quod odorem mittit, quam facile est cognoscere et reperire unde vox mittatur.

705. *Conctando;* redi ad III, 67, 192. — *Plaga.* Suppl. quam odor olfactui infert appellendo.

706. *Decurrunt;* per eamdem variationem, quâ Græci delectantur. Vulgo *decurrit,* contra librorum auctoritatem. Cf. I, 87. — *Nuntia.* An pro substantivo accipienda sit ea vox, vel pro adjectivo, inter doctos ambigitur; equidem potius adjective caperem, hoc sensu : Illa quæ res nuntiant, odores scilicet, non *calida,* quia cunctando refrigescunt, sine vi ad sensus perveniunt nostros. Ed.

707. *Errant sæpe canes,* etc. Quia facile non agnoscunt, ex qua parte veniat odor ferarum, quas insectantur. *F.*

708. *Nec tamen hoc solis,* etc. His 4 vss. confirmat idem accidere in aliis sensibus, nempe in visu, et gustatu, quod et in olfactu. *F.*

Ut non sint alieis quædam magis acria visu.
Quin etiam gallum, noctem explodentibus alis,
Auroram clara consuetum voce vocare,
Nenu queunt rapidei contra constare leones,
Inque tueri : ita continuo meminere fugai.
Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ, quom sunt oculeis immissa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces;
Quom tamen hæc nostras acies nil lædere possint:
Aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus olleis
Exitus ex oculis liber datur, in remorando
Lædere ne possint ex ulla lumina parte.
Nunc age, quæ moveant animum res, accipe; et unde,
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.

711. *Acria visu,* quia oculos magis feriunt et lacessunt. Wak. nescio annon typographi errore, edidit *visis*, nulla tamen emendationis facta mentione. Ed.

712. *Quin etiam gallum*, etc. His 12 vss. confirmat pariter idem fieri in voce ac sonitu. Quod exemplo galli probat, cujus vox iis est constans atomis, quæ leonem ferociorem terreat. Immo ea est gallorum corporis conformatio, ut ex iis certa fluant simulacra, quæ ita acriter feriunt leonum oculos, ut fugere cogantur. Quod tamen nobis non contingit, quia vel eadem gallorum corpuscula nostros oculos non penetrant : aut si penetrant, nos non lædunt. *F.*—*Noctem explodentibus alis.* Noctem enim sonitu et veluti plausu excutientibus atque exturbantibus. *Lamb.*

714. *Nenu*, non; ut III, 200. — *Rapidi,* rapaces; Lucan. X, 517, *rapido dente ferarum.* Sensus et ordo loci ita se habent : Leones alioquin violenti nequeunt *constare*, cum constantia stare, *contra gallum* cujus clara vox est. Cf. Plin. VIII, 19, 5, qui eadem fabulatur. Sed contra veterum omnium fidem, in notis ad hunc Plinii locum, testatur *G. Cuvier* gallum a leone vorari, nedum timeatur. Ed.

715. *Inque tueri.* Intueri eos nequeunt ob cristas, teste Plinio. — *Meminere fugai.* I. e. in fugam se conjiciunt.

717. *Semina*, atomi.

718. *Interfodiunt*, pungunt, stimulant.

720. *Acies*, pupillas oculorum.

722. *In remorando ;* nam ex secunda hypothesi penetrant oculos ; sed, quum penetraverint, non diu manent. *Wak.*

724. *Nunc age, quæ moveant*, etc. Hactenus Poeta docuit, qua ratione visus, auditus, gustatus, et olfactus fiant. Nunc vero disputaturus est ab h. vs. 724 ad vs. 821 de animi motu, de cogitatione, quam per rerum imagines in animum incurrentes fieri docet, sicut visio fit per rerum simulacra in oculos appellentia. *F.*

Principio hoc dico, rerum simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique parteis
Tenuia; quæ facile inter se junguntur in auris,
Obvia quom veniunt; ut aranea bracteaque auri.
Quippe etenim multo magis hæc sunt tenuia textu,
Quam quæ percipiunt oculos, visumque lacessunt;
Corporis hæc quoniam penetrant per rara, cientque
Tenuem animi naturam intus, sensumque lacessunt.
Centauros itaque et Scyllarum membra videmus,
Cerbereasque canum fauceis, simulacraque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur ossa:
Omne genus, quoniam passim simulacra feruntur,
Partim sponte sua quæ fiunt aere in ipso,

726. *Principio hoc dico*, etc. His 8 vss. primum distinguit cum Epicuro duo simulacrorum seu imaginum genera : alterum crassius, quod oculos feriat : alterum tenuius, quod mentem penetret ac percellat, quo fit ut imaginetur, intelligat, ac cogitet. *F.* — Cf. Virg. Æn. VII, 89, aperte Lucretium sequutus. *F.*

729. *Ut aranea*, etc. Nempe, ut aranea et auri bractea, facile implicantur, et rebus obviis adhærescunt : quod monendum habui, ne particulam similitudinis ad *tenuitatem* simulacrorum, non ad *perplexabilem naturam* referas. Nam, si simulacra, quæ moveant animum, subtiliora sunt illis, quæ lacessant oculos : quanto magis araneis, et auri bracteis? *Wak.* — *Bractea*, tenuissima lamina; cf. Virg. Æn. VI, 208.

731. *Percipiunt*, occupant, afficiunt, perfundunt; III, 29.

732. *Corporis per rara.* I. e. per cavernas, per inania corporis spatia, per poros, ut dixit supra. *F.*

734. *Centauros itaque*, etc. His 7 vss. confirmat exemplo id, quod jam supra docuit; nimirum a rebus omnibus omnis generis simulacra decedentia ferri per aera : quæ casu fortuito coeuntia atque convenientia creant nobis in animo varias rerum species, varia spectra, variaque monstra. *F.* — Vide Disq. var.

735. *Cerbereasque canum fauceis.* Hæc est de locutionibus Lucretianis pro faucibus canum Cerbereorum, vel canum eo genere quo Cerberus : redeas ad I, 120, 475. *Wak.*

736. *Quorum morte obita*, etc. I, 136.

737. *Omne genus.* Simili formula jam sæpius *quod genus* poeta dixit; sic I, 164, 1025, al.

738. *Partim sponte sua*, etc. Triplex simulacrorum prædicat genus : 1° eorum, quæ sponte sua fiunt in aere ac nubibus, qualia sunt simulacra gigantum, montium, belluarum, et similium quæ in nubibus nobis interdum apparent; 2° eorum, quæ ab rebus recedunt; qualia sunt simulacra hominis, leonis, equi, domus, et rerum omnium, quæ nobis feriunt oculos, ac visum lacessunt; 3° eorum, quæ ex horum simulacrorum figuris coeuntibus fiunt, qualia sunt simulacra Centaurorum, Scyllarum, Cerberorum et similium. Duo priora simulacrorum genera descripsit fusius supra

Partim quæ variis ab rebus quomque recedunt,
Et quæ conficiunt ex horum facta figuris.
Nam certe ex vivo Centauri non fit imago;
Nulla fuit quoniam talis natura animai:
Verum ubi equi atque hominis casu convenit imago,
Hærescit facile extemplo, quod diximus ante,
Propter subtilem naturam et tenuia texta.

Cetera de genere hoc eadem ratione creantur:
Quæ quom mobiliter summa levitate feruntur,
Ut prius ostendi, facile uno commovet ictu
Quælibet una animum nobis subtilis imago:
Tenuis enim mens est et mire mobilis ipsa.

Hæc fieri, ut memoro, facile hinc cognoscere possis;
Quatenus hoc simile est illi, quod mente videmus,
Atque oculis, simili fieri ratione necesse est.
Nunc igitur, docui quoniam me forte leonum

vs. 135 et sqq. Tertium hic nobis ob oculos præclare ponit jam infra vs. 743. *F.* e *Lamb.*

740. *Et quæ conficiunt.* Vulgo *consistunt* contra libros omnes. Ordo est ac constructio: Et quas imagines simulacra, ex horum duorum figuris facta, confingunt. *Wak.*

741. *Nam certe ex vivo*, etc. His itaque 5 vss. docet nos, qua ratione fiat tertium hoc simulacrorum genus.

742. *Natura animai.* Id est, vitæ, seu viventis alicujus. Sic optimi codices; vulgo *animalis.*

748. *Ut prius ostendi.* Nimirum vs. 730 et sqq. — *Facile uno.* Hinc fit, ut unumquodque subtile simulacrum uno ictu animum nostrum facile commoveat.

751. *Hæc fieri, ut memoro*, etc. His 6 vss. hanc doctrinam confirmat exemplo, vel similitudine potius, atque paritate. Ut enim, inquit, oculus movetur simulacris, quæ ab rebus decidentia feriunt pupillam: ita et mens facile movetur simulacris istis tenuioribus. *Ford.*

752. *Quatenus hoc simile est illi.* Ordo verborum sic se habet: Quatenus hoc simile est illi, (nempe imago in mente imagini, quæ lacessit oculos) necesse est *id*, quod mente videmus, atque *id quod* oculis *videmus*, simili fieri ratione *utrobique*. Vel, si mavis: necesse est *id*, quod mente videmus, simili fieri ratione, atque *id quod* oculis *videmus*. Eodem redit, utram libet viam ineas: et nihil optes clarius atque expeditius. *Wak.* — Lambinus tamen contra libros omnes *hoc simile est oculis*, i. e. quod mente videmus, simile est atque illud quod oculis cernimus. Et in altero vs. jungit *oculis simili.*

754. *Forte leonum*, etc. Lectio *leones* male placuit editoribus contra tantam vim librorum. Ordo est: Quoniam docui me per simulacra leonum forte, quæ lacessunt oculos, cernere *leones*. Iidem editores transposuerunt voces *docui quoniam*, libris omnibus reclamantibus. *W.*

Cernere per simulacra, oculos quæquomque lacessunt;
Scire licet, mentem simili ratione moveri
Per simulacra leonum, cetera, quæ videt æque,
Nec minus, atque oculei: nisi quod mage tenuia cernit.
Nec ratione alia, quom somnus membra profudit,
Mens animi vigilat, nisi qua simulacra lacessunt
Hæc eadem nostros animos, quæ, quom vigilamus:
Usque adeo, certe ut videamur cernere eum, quem,
Reddita vita, jam mors et terra potita est.
Hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes

— Adjecit adverbium *forte*, quia leones posuit potius quam aliud animal. Quasi ita dicat: Finge me aliquo casu leones videre. *Lamb.* — Sensum autem totius loci, cui hyperbaton inesse dicit, Wak. sic exponit: Leo, quem mens concipit, idem est prorsus leoni, quem oculi cernunt: ne dubites igitur, utramque imaginem per simulacra incidentia generari. — Sequitur ergo (vs. 756) *per simulacra leonum*, (i. e. ex his leonum simulacris, pro exemplo adhibitis) quæ tam oculos, quam mentem, feriunt consimili quodam modo, cetera etiam omnia, quæ mens cernit, æque atque oculi, non alio pacto cerni, quam quo leones cernuntur. *Wak.* — Simplicius mihi videtur, si per notissimam ellipsin copulæ *et* ante *ceteri, reliqui, omnes*, etc. locum sic expediamus: Scire licet mentem simili ratione (atque oculos) moveri per simulacra leonum *et* cetera *simulacra* (id est, aliarum rerum simulacra), quæ videt æque atque oculi, etc. Quare comma, a Wak. post *moveri* insertum, rursus delevi. *Forb.*

759. *Nec ratione alia*, etc. His 11 vss. docet idem fieri in somnis nostris, dum aliquid cogitamus, quod contingit, quum vigilamus; nimirum mentem nostram in somnis cieri per tenuia rerum simulacra. Quod autem videamur in somnis cernere illos, tanquam vivos, ac colloquentes nobiscum, qui jampridem tamen mortem obierunt, id oriri docet ex eo, quod per somnum sensus omnes nostri quiescant, languescatque ipsa memoria, quæ, quominus id cogitemus, non reluctatur, neque animo refricat diem jam obiisse illos, quorum simulacra spectantur. Hæc igitur contingunt ob sensuum otium, et memoriæ torporem. *F.* — *Membra profudit*, explicuit et prostravit.

760. *Mens animi.* Vide ad III, 615. — *Nisi qua*; vulgo *quod*; sed facillimi sunt errores in his compendiis scripturarum. *Wak.*

763. *Reddita vita.* Veteres pro *reddere* etiam *reddire* dicebant; vide Nonium VII, 75. Hunc igitur archaismum Lucretio redonavere post Salmasium docti editores. Vulgo antea legebatur *reddita vitai jam mors*, id est, « mors cum vita commutata », interprete Lamb. vel, si Wak. audias, « mors vitæ jam data, et illata ». Sed ista lectio sane obscura et difficilis; quamquam archaismus Nostro in usitatissima voce nunquam alias adhibitus, parum placet. Sensus autem, interprete Forbigero, sic planus est: « eum qui, vita, quam a natura acceperat, huic ipsi naturæ reddita, jam diu mortuus et humatus est ». *Potiri* cum quarto casu jam adhibuit Noster, III, 1051. Ed.

Corporis offectei sensus per membra quiescunt,
Nec possunt falsum veris convincere rebus.
Præterea, meminisse jacet, languetque sopore;
Nec dissentit, eum mortis letique potitum
Jam pridem, quem mens vivum se cernere credit.
Quod superest, non est mirum, simulacra moveri,
Brachiaque in numerum jactare et cetera membra:
Nam fit, ut in somnis facere hoc videatur imago.
Hoc, ubi prima perît, alioque est altera nata
Inde statu, prior hic gestum mutasse videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum est:
Tanta est mobilitas, et rerum copia tanta,
Tantaque sensibili quovis est tempore in uno
Copia particularum, ut possit suppeditare.
Multaque in his rebus quæruntur, multaque nobis

765. *Offectei.* Id est, obstructi, et somno, quasi obice quodam, impediti. Sic I, 338; II, 155. *Lamb.*

766. *Convincere;* III, 524; IV, 499.

767. *Meminisse.* H. e. memoria. Infinitivus substantivi munere fungitur.

768. *Nec dissentit.* Nec sentiendo contra et animadvertendo monet, etc.— *Mortis potitum.* Hoc est, in potestatem mortis redactum. Sic Plautus Capt. I, 1, 24, *Potitus hostium,* h. e. in hostium potestatem redactus.

770. *Quod superest,* etc. His 6 vss. docet cur simulacra moveri ac gesticulari in numerum videantur nobis interdum per vigiliam aut in somnis. Nimirum, non quod una et eadem imago pristinum suum statum ac gestum mutet, sed quia nova nascitur imago, quæ alium statum aliumve gestum referat. Neque enim, dum aliquid diu cogitamus, nos eadem utimur imagine, uti dictum est supra, sed pluribus continuo succedentibus, atque uno et eodem tempore creatis: quemadmodum non est unum lumen, quod a sole fluit, sed aliud atque aliud. *F.* — *Moveri;* id est, se movere, de reflexa vocis mediæ virtute. *W.* —Vide Disq. var.

771. *In numerum,* apte, composite, numerose. Sic vs. 790. Sic II, 637. *Lamb.* — Ita ut unusquisque suas vices servet, neque extra numerum moveatur.

773. *Hoc.* Ita codices Brit. 1, 2, optime; vide vs. 624. Vulgo *quippe. W.* —*Periit;* contracta syllaba ideo producitur.

774. *Inde statu.* I. e. postea, ἔνθα: ut passim: editores tamen, nulla coacti vel necessitate, vel utilitate saltem, Lambini conjecturam, *Endo* scilicet, intruserunt. *W.* — *Heic,* vel *hic;* et sic optime respondent, ut alibi sæpissime, *hic* et *inde:* editores tamen, contempta librorum omnium veritate, de suo dederunt *hæc. Wak.*

777. *Tantaque sensibili.* De hac voce, Lucretio alias incognita, ut de omnibus his vss. vide Disq. var. ad 770.

778. *Suppeditare,* suppetere: neutram potestatem retinet, ut I, 1039.

779. *Multaque in his rebus,* etc. His

Clarandum est, plane si res exponere avemus.
Quæritur in primis, quare, quod quoique libido
Venerit, extemplo mens cogitet ejus id ipsum.
Anne voluntatem nostram simulacra tuentur;
Et, simul ac volumus, nobis occurrit imago?
Si mare, si terram, cordi est, si denique cœlum,
Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas;
Omnia sub verbone creat natura paratque?
Quom præsertim alieis eadem in regione locoque
Longe dissimileis animus res cogitet omneis?
Quid porro, in numerum procedere quom simulacra

2 vss. monet multa esse quærenda, quibus enodandis sese accingit. — *Multa clarandum est*, clarare oportet; cf. I, 111.

781. *Quæritur in primis*, etc. His itaque vss. 9 nobilis primo occurrit quæstio; cur scilicet, quoties aliquid cogitare, imaginari, aut intelligere lubet, illius imago statim discernatur, et deligatur. Cujus solutio pendet ex superiori quæstione, quamobrem simulacra moveri videantur. Itaque, Peripateticorum et Academicorum veterum more, pluribus modis et quasi dubitans ac sibi diffidens respondet, et tandem, ultimo loco, quam magis probat, sententiam ponit. *F.*

782. *Id ipsum.* Ordo verborum hic est: « Quare mens cogitet id ipsum, *secundum*, vel κατὰ, *quod* libido cuique venerit ». Locus etiam Ciceronis Nat. Deor. I, 15, quem Lambinus apposuit, Lucretiano est consimillimus: « Hæc quæstio, *Quare, quod cuique libuerit, id cogitet*, quum cogitatio simulacris excitetur, pendet ex superiore; Quam ob rem simulacra moveri videantur? » *W.*

785. *Si terram cordi est.* Supplent editores ex præcedentibus *cogitare*: ego potius ex ipsis sententiæ hujus verbis retraherem *cœpi* et *parari*. Ed.

787. *Sub verbo;* ad nutum nostrum; ubi semel verbo jussimus.

789. *Res cogitet omneis.* Solemnis est membranarum scriptura *omnis*, ideoque relinquitur dubium an jungas *omnis animus* vel *omneis res*. Inde autem duplex sensus oritur; vel, quum præsertim *omnis*, quilibet animus in eadem regione, qua nos ista omnia cogitamus, cogitet res longe dissimiles istis aliis rebus: vel, quum præsertim aliis hominibus, qui nobiscum in eodem loco versantur, animus res omnes longe dissimiles cogitet. Posterior interpretatio nobis unice placet. Ed.

790. *Quid porro*, etc. His 12 vss. altera difficultas occurrit de choreis in somno, ubi nobis videmur ad numerum alterno pede quatere terram, brachiisque molliter æmulari pedum laborem. Quid igitur? Callentne saltandi artem simulacra, vaganturque nocturnos actura ludos? An potius repetendum, quod jam supra docuit, subita nimirum imaginum successione deludi animum, unamque rem uno tempore, multas vero diversis momentis illi objici. Itaque nec mutatur eadem imago, sed alia atque alia diversa diversis temporibus occurrit menti. Non secus ac in voce præconis v. g. aut oratoris, quæ non eodem momento profertur, et ad aures auditorum pervenit, etiamsi

Cernimus in somnis, et mollia membra movere;
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt,
Et repetunt oculis gestum pede convenienti?
Scilicet arte madent simulacra, et docta vagantur,
Nocturno facere ut possint in tempore ludos?
An magis illud erit verum, quia tempore in uno,
Consentimus id, ut quom vox emittitur una,
Tempora multa latent, ratio quæ comperit esse?
Propterea fit, uti quovis in tempore quæque
Præsto sint simulacra locos in quosque parata:
Tanta est mobilitas, et rerum copia tanta:
Hoc, ubi prima perît, alioque est altera nata
Inde statu, prior hic gestum mutasse videtur.
Et, quia tenuia sunt, nisi quæ contendit, acute

confestim illam percepisse se sibi videantur ac persuadeant. *F.* — *In numerum.* Sic vs. 771.

791. *Mollia*, flexilia. Virg. Georg. III, 76.

793. *Repetunt gestum.* I. e. iterant, vicibus repetitis exhibent; non semel tantummodo, sed porro sæpius. *Wak.* — *Oculis*, in oculis, ante oculos nostros, ut nobis videmur cernere. Lamb. male, opinor, jungit *pede oculis convenienti*, ποδὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἁρμόζοντι. Vult Noster, nisi fallor, motum pedum convenire cum brachiorum gestu. Ed.

794. *Arte madent*, arte imbuta sunt. Ita Cic. De fin. III, 2, dixit *artibus infici*. Sic sæpissime disciplinis, literis imbui. Horat. Od. III, 21, 9; Propert. IV, 4, 76.

797. *Consentimus id ut.* Poetæ mentem sic concipio: « An ob hanc causam varios motus simulacrorum tuimur, quia temporum diversorum motus unum tempus complectitur? quemadmodum, quoties una vox emittitur, quamvis uno tempore dicatur mitti, plura tempora gradatim absolvuntur, unicuique scilicet literæ gradatim exprimendæ impensa ». Hoc si non voluerit Lucretius, sensum loci penetrare nullo modo possum; et sane propter difficultatem pro spurio multi habuerunt. *Wak.* — Vide Disq. var.

800. *Locos in quosque.* Vulgo *locis in queisque*, vetustis exemplis universis contra stantibus. *In locos* autem exquisitissime dictum pro vulgari *in locis*, vide ad I, 889. *Wak.*

881. *Tanta est*, etc. Vide in Disq. var. ad vs. 770 sqq.

802. *Hoc ubi*, etc. Hi duo versus positi sunt jam supra 775 sqq. eosque hinc expellunt editores, quamvis ne unus quidem MSS illis careat. Vide autem in Disq. var. ad vs. 770 sqq.

804. *Et, quia tenuia sunt*, etc. His 13 vss. objectionem solvit. Poterat enim quis quærere: Sed, si præsto sunt omnia simulacra, qui igitur fit, ut sæpius fallatur mens, neque distinguat inter simulacra, neque æque videat eodem tempore ea, quæ non vult, atque ea quæ vult? Respondet Lucretius id ex simulacrorum, quæ mens videt, tenuitate oriri; ea enim sunt tenuiora quam quæ

Cernere non potis est animus; proinde omnia, quæ sunt
Præterea, pereunt, nisi quæ ex sese ipse paravit.
Ipse parat sese porro, speratque futuram,
Ut videat quod consequitur, rem quamque : fit ergo.
Nonne vides, oculos etiam, quom, tenuia quæ sunt,
Cernere cœperunt, contendere se atque parare;
Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acute?
Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
Si non advortas animum, proinde esse, quasi omni
Tempore semotum fuerit longeque remotum.
Quur igitur mirum est, animus si cetera perdit,
Præter quam quibus est in rebus deditus ipse?
Deinde, adopinamur de signis maxuma parvis,
Ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsei.

oculus cernit. Quapropter animus non, nisi contendit se, potest acute cernere; quæ igitur accurate et contente cernit, ea cernit acute et distincte; quæ vero leviter, et quasi aliud agens, cernit, ea dilabuntur et pereunt. Rem illustrat comparatione. Oculi, dum rem aliquam cernere cœperunt, (quam per simulacra cernunt) eam acute cernere non possunt, nisi contenta acie cernant illius rei simulacra. *F.* — *Nisi quæ :* vulgo *nisi se*, at contra libros; temeriter et indocte. Constructio plena est, « Nisi quæ contendit cernere » : i. e. enititur, et opere maximo conatur. *Wak.*

805. *Omnia.* Scilicet omnia simulacra, quæ sunt præter illa, ad quæ cernenda contendit se et parat animus, pereunt, nec cernuntur. *Lamb.*

807. *Futuram.* Structura est : sperat rem quamque ita futuram ut id videat quod consequitur, id est, connexum habet. *Wak.* — Sic plerique libri, quos Wak. sequutus est. Forb. maluit vulgatam lectionem *futurum* retinere, cujus constructio non minus dura mihi videtur, siquidem jungit *rem quamque quod.* Ed.

808. *Fit ergo ;* res igitur ita accidit.

811. *Sine eo ;* nisi se contendant et parent ad cernendum. *L.* — V. Disq. var.

812. *Apertis,* manifestis, non obscuris.

814. *Semotum fuerit... remotum.* Sic omnia vetera exemplaria. Editores post Lamb. *semota fuerint... remota.* Nimirum, nihil viderunt Lucretiani sermonis indolem, suavissimis variarum constructionum condimentis passim summo studio conspersi. *Id* nempe, vel *ea res,* « *semotum* fuerit, quod contemplamur ». Gemellum structuræ specimen nuperrime confirmavimus ad vs. 804. *W.*

815. *Perdit,* non percipit, inobservata omittit.

816. *In rebus deditus.* Sic loquitur Catullus in Nupt. Juliæ et Manlii : « Non tuus levis in mala Deditus vir adultera ». Sic Lucretius III, 648.

817. *Deinde, adopinamur,* etc. His 2 vss. addit et aliud de distractione animi. In fraudem enim etiam vigilantes nos sæpe induimus, si quando rem parvam concipimus tamquam magnam, ex eo nimirum quod animum non attendamus. *F.*

818. *In fraudem induimus ;* id est,

Fit quoque, ut interdum non suppeditetur imago
Ejusdem generis; sed femina, quæ fuit ante
In manibus, vir uti factus videatur adesse:
Aut alia ex alia facies ætasque sequatur:
Quod ne miremur, sopor atque oblivia curant.
Illud in his rebus vitium vehementer inesse
Effugere, errorem vitareque præmetuenter,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Prospicere ut possimus; et, ut proferre viai

inferimus, injicimus. Translatio elegans ab avibus vel feris in casses incidentibus. Sic Cicero in Verr. V, 29; in Lucullo, II, 6; et lib. De divin. II, 17: « Cur vos induitis in eas captiones, quas nunquam explicetis »? Sic Plaut. Cas. I, 1, 25.— *Frustraminis*. Vox nova, quæ ideo in codicibus turbas movit. Lambinus, *frustramur et ipsi*. Alii, *frustra nimis ipsi*, quæ est plurimorum MSS lectio.

819. *Fit quoque, ut interdum*, etc. His 5 vss. aliqua difficultas occurrit; cur scilicet varient simulacra, quæ repræsentantur nobis in somno; ita ut quæ imago prius mas visa est nobis, subito videatur femina: aut alia ejusmodi facies diversa. Respondet autem id nobis mirum videri non debere, sed merito causam rejicit in soporem, quo præsente homo somnians nequit externorum sensuum suorum opera uti. Sic supra monuerat vs. 769. *F.*

821. *In manibus*. Hæc optime cum præcedentibus *quæ fuit* jungenda esse vidit Wak. Antea autem distinctionem editores ponebant post τὸ *ante*; sensu minus vivido. Ed.

823. *Curant*. Vide supra ad vs. 246.

824. *Illud in his rebus*, etc. His 35 vss. interim monet nos poeta, ut caveamus a perversa illorum sententia, qui opinantur pellucidos oculos esse factos, ut prospiciamus, etc. Nimirum quæ sunt a natura, ea prius nata esse docet: deinde dederunt, inquit, notitiam suæ utilitatis, nempe cuinam forent usui. *Fay.* — Nihil erit difficultatis loco, dissimilitudinibus lectionum et male feriatorum criticorum licentia vexatissimo, si statuamus Lucretium τὸ *inesse* pro *interesse*, vel *utile esse*, adhibuisse: quod melius putem, quam codices sincerissimos proculcare. De hoc modi infinitivi usu in præceptis enunciandis, nos affatim disputavimus ad Silv. Crit. III, p. 87; IV, p. 136. *W.* — Vide Disq. var. — Fateor tamen hæc omnia mihi parum satisfacere; sed ulcus, cui sanando me imparem sentio, mihi videri altius sedere. Sensus haud dubie hic esse debet: Illud vitium vehementer effugere, hunc errorem vitare oportet, ne facias, etc. quem si quis conjectura non nimis audaci restituere valeat, hunc de Lucretio optime meritum prædicem. *Forb.*—Quæ quum verissima videatur expositio, miror virum doctum cum Wak. sic interpunxisse, *effugere errorem, vitareque*. Quomodo enim explicari possunt τὰ *inesse vitium effugere errorem*? Equidem interpretor: « *inesse*, inesto, cave ut sit tibi *in his rebus* τὸ *effugere vitium et vitare errorem*.» Illud *que* alteri sententiæ voci aliquando subjicitur; cf. vs. 618. Ed.

825. *Præmetuenter*, præcaute, prudenter, circumspecte.

827. *Proferre*. Suppl. possimus.

Proceros passus, ideo fastigia posse
Surarum ac feminum, pedibus fundata, plicari :
Brachia tum porro, validis ex apta lacertis,
Esse manusque datas, utraque a parte ministras,
Ut facere ad vitam possemus quæ foret usus.
Cetera de genere hoc, inter quæquomque pretantur,
Omnia pervorsa præpostera sunt ratione :
Nil ideo quoniam natum est in corpore, ut uti
Possemus; sed, quod natum est, id procreat usum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata;
Nec dictis orare prius, quam lingua creata est :
Sed potius longe linguæ præcessit origo
Sermonem; multoque creatæ sunt prius aures,
Quam sonus est auditus; et omnia denique membra
Ante fuere, ut opinor, eorum quam foret usus :
Haud igitur potuere utundi crescere causa.
At contra conferre manu certamina pugnæ,
Et lacerare artus, fedareque membra cruore,
Ante fuit multo, quam lucida tela volarent :
Et volnus vitare prius natura coegit,

828. *Fastigia surarum.* H. e. summas suras, seu summa crura.

829. *Fundata;* V, 926. — *Plicari,* torqueri, convolvi.

830. *Validis ex,* ex validis; I, 841.

832. *Usus,* opus; I, 185.

833. *Inter quæquomque pretantur.* Tmesis est, interpretantur.

834. *Præpostera;* III, 621. — Quodcumque dicunt de aliis quibuscumque partibus corporis, nempe illas propter usum fieri, futile et ineptum est, et veræ philosophiæ adversatur. *Creech.*

836. *Procreat,* invenit usum suum.

837. *Videre.* H. e. visus, visio non exstitit ante factos oculorum lucidos orbes; cf. 767; nec *orare,* oratio. Nisi quis malit, *nec fuit* dictum pro : nec licuit orare.

843. *Crescere,* augeri, creari, nasci. — *Utundi causa.* Ut iis uteremur; ut uti possemus; sic vs. 835 sese explicat poeta, et vs. 858.

844. *Conferre manu certamina.* Insolita quidem locutio, pro qua Wak. mallet *conferre manum certamine.* Sed ipse optime censet contra libros nihil novandum : et quidni ita loqui poetæ licuerit, nullam equidem causam video. Immo aliud est *conferre manum,* id est, pugnare quocumque modo, et quibuscumque armis; aliud *conferre certamen manu,* ut proprie dictum sit, pugnis, non telis. Ed.

Quam daret objectum parmai læva per artem.
Scilicet et fessum corpus mandare quieti,
Multo antiquius est, quam lecti mollia strata:
Et sedare sitim prius est, quam pocula, natum.
Hæc igitur possunt utundi cognita causa
Credier, ex usu quæ sunt vitaque reperta:
Olla quidem seorsum, sunt omnia quæ prius ipsa
Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis:
Quo genere in primis sensus et membra videmus.
Quare etiam atque etiam procul est, ut credere possis,
Utilitatis ob officium potuisse creari.
Illud item non est mirandum, corporis ipsa
Quod natura cibum quærit quojusque animantis.
Quippe etenim fluere atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui: sed plurima debent
Ex animalibus; hæc quia sunt exercita motu:

848. *Objectum parmai.* I. e. objiceret parmam. Parma breve est scutum. *F.*

850. *Mollia strata.* Animadvertas velim aures poetæ nostri duriores, non formidantes syllabam τοῦ *mollia* postremam corripere sic positam. Ceterum Maro phrasin de solito sibi mutuatus est, Æn. VIII, 415. Cf. Prisc. II, 2, § 13. *Wak.*

852. *Hæc*, puta, quæ ex arte fiunt. — *Utundi causa*; vs. 843.

853. *Vita*, experientia, πράξει τῶν ἐν τῷ βίῳ.

854. *Olla*, puta, quæ sunt a natura; cujusmodi sunt sensus et membra. — *Seorsum.* I. e. diverso tempore, quam quo nata sint, ad usus hominum perducta sunt. *Wak.* — Forb. comma post *quidem* transposuit, Eichst. post *omnia.*

859. *Illud item non est*, etc. His 19 vss. causam investigat modo Lucretius, cur animalia sitiant et esuriant perpetuo. In promtu responsio est illi, qui supra sancivit de rebus quibusvis defluere semper corpuscula. Enimvero multa corpuscula ex intimis corporis partibus exhalantur per sudorem: multa per exspirationem, quum defessa anhelant animalia. At cibus in animalis partes universas insinuat se; resarcit corpus, recreat vires, ac famelicam edendi cupidinem opplet. Pariter potus partes humoris indigentes irrigat, ardorem sitis exstinguit, igneas atomos dissipat, ac cavet ne corpus torrefiat. *F.* — In his autem noster tacitæ objectioni occurrere videtur. Annon hac lege factum est corpus, ut necessario statim cibum cuperet posceretque? En! itaque finalem causam; nisi dicas, homines non se prius ad cibos contulisse, et edendi rationem invenisse, quam in longum duravissent, et ex usu magistro tandem artem cibi sumendi didicissent. Huic argumento utcumque respondet Lucretius in sequentibus. *W.*

863. *Hæc quia sunt.* Sic ex ingenio Wak. Vulgo *Ex animalibus iis quæ;*

Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur;
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.
His igitur rebus rarescit corpus, et omnis
Subruitur natura : dolor quam consequitur rem.
Propterea, capitur cibus, ut suffulciat artus,
Et recreet vireis inter datus; atque, patentem
Per membra ac venas, ut amorem obturet edundi.
Humor item discedit in omnia, quæ loca quomque
Poscunt humorem : glomerataque multa vaporis
Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro,
Dissupat adveniens liquor, ac restinguit, ut ignem;
Urere ne possit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
Abluitur; sic expletur jejuna cupido.
Nunc, quî fiat, uti passus proferre queamus,

sed vox *iis* omnino deest in pluribus MSS.—Nostrum *quia* in universis libris comparet, ut ut ausi sint editores de suo *quæ* reponere; sed λογικὸν est *quia;* quum sæpius dixerat ex inanimatis rebus particulas indesinenter fluere. *Wak.*

864. *Ex alto*, ex internis corporis partibus expressa; sic vs. 71, et 90.

866. *Rarescit*, fit quasi inane; minus cohærent partes.

867. *Natura*, nempe animalium. — *Quam rem.* H. e. quam deperditionem, quem effluxum atomorum sequitur debilitas ac dolor.

868. *Suffulciat artus;* sic II, 1148.

869. *Inter datus*, interea datus, interjectus. De voce *interdare* aliisque verbi *dare* compositis, ad primam conjugationem flexis, cf. Ruddim. Inst. Gr. I, p. 210, not. 20. *Forb.* — *Atque patentem.* Hæc et quæ sequuntur venustissima; ubi enim fames patulis suis faucibus hians convenientius quam in exsiccatis pæne venis hospitetur? et quid accommodatius dici possit quam anhelam sitim de corpore nostro infuso humore ablui? *Creech.*

870. *Obturet*, occludat et comprimat.

871. *Discedit.* Nolim proprietas vocis *discedit* hoc in loco prætereat lectorem; ne, quasi scripserit noster *decedit*, fortassis incogitans intelligat. *Humor decedit* foret, « humor ab ore in omne corpus divertitur »: sed *humor discedit* potest, « humor dispertitus a se per membra passim spargitur ». Quæ diligenter sunt notanda. *Wak.*

872. *Vaporis corpora*, caloris atomi.

876. *Anhela.* Quæ anhelare facit præ nimio calore intus agente. Venustum in primis epitheton.

877. *Jejuna cupido*, fames, esuries.

878. *Nunc, quî fiat*, etc. His 30 vss. investigat quæ causa sit, cur ambulare, membra movere, ac totum corpus contorquere possimus, quo volumus. Itaque docet causam motus ad locum esse simulacra ad meandum apta, quæ advenientia mentem feriunt, ac e loco ad locum

Quom volumus, vareque datum sit membra movere;
Et quæ res tantum hoc oneris protrudere nostri
Corporis insuerit, dicam : tu percipe dicta.
Dico, animo nostro primum simulacra meandi
Accidere, atque animum pulsare, ut diximus ante :
Inde voluntas fit : neque enim facere incipit ullam
Rem quisquam, quam mens providit, quid velit, ante :
Id, quod providet, illius rei constat imago.
Ergo, animus quom sese ita commovet, ut velit ire,
Inque gredi, ferit extemplo, quæ in corpore toto
Per membra atque artus animai dissita vis est :
Et facile est factum, quoniam conjuncta tenetur.

movendi voluntatem efficiunt. Quibus peractis animus imperat animæ sibi conjunctæ, per totum corpus excubanti; hæc vero artus atque lacertos sollicitat, inque mandatum corpus dirigit. His ita dispositis rarefit corpus, perque data foramina concitus aer ex debito penetrat. Rem illustrat exemplo. Sicut enim, inquit, navis velis ac vento fertur, ita advenientia corpuscula feriunt animum, ac animam simul, quæ cum animo conjuncta est; anima vero, quæ spiritus est, proporro pulsat ipsum corpus et contorquet, quo volumus. Itaque ad motum animalium spontaneum seu voluntarium duo faciunt, cognitio et appetitio. Ubi enim rerum præcedentia simulacra ferierunt animum, animus pulsatus ferit voluntatem : voluntas sollicitat animam, quæ per totum corpus dissita facile totum contorquet corpus. Sic II, 257 et sqq. docuit voluntatem esse principium motus, et a corde initium motus exsistere. Sic Aristoteles de Anim. 3, vult appetitum et mentem esse duas motus causas. *F.*

879. *Vareque;* sic Vind. L. M. Ω. Σ. certissime; et proportione loci flagitante. *Vare movere*, nempe *in obliquum*; ut modo *proferre* scilicet; i. e. *porro ferre*, vel in directum : reliqui plures, *varie*. *Wak.*

881. *Insuerit*, insueverit, solita sit. Quidam tamen, ait Lambinus, volunt dictum pro *insuefecerit*. Ita quidem Lucanus active posuit *assuescere*, lib. V, 776. Ed.

882. *Animo,* pro, ad animum, ut locutus est supra vs. 216 et 237.

883. *Ut diximus ante*, nempe II, 261 et sqq.

886. *Id quod;* nempe *secundum*, κατὰ *id*, more poetæ nostro familiari. *W.*—Vulgo *at quod*, hoc sensu : At id, quod mens providet, illius rei, quam quis facere instituit, est imago. Sic Lambinus; Creech. autem : at necesse est ut sit imago illius rei quam providet. *Rei*, μονοσυλλάβως pronuntiandum; cf. III, 931. Ed.

888. *Ferit extemplo*, etc. H. e. animus subito ferit ipsam animam, quæ sibi conjuncta est, et quæ per totum corpus fusa permanat. *F.*

889. *Membra atque artus;* redi ad II, 282. Euripides, in Hipp. 199, pressiore phrasi μελέων σύνδεσμα vocitat.

890. *Factum.* Alii *factu*, magis vul-

Inde ea proporro corpus petit; atque ita tota
Paullatim moles protruditur atque movetur.
Præterea, tum rarescit quoque corpus, et aer
Scilicet, ut debet, qui semper mobilis exstat,
Per patefacta venit, penetratque foramina largus;
Et dispergitur ad parteis ita quasque minutas
Corporis: hic igitur rebus fit utrimque duabus,
Corpus ut, ac navis velis ventoque, feratur.
Nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
Tantula quod tantum corpus corpuscula possint
Contorquere, et onus totum convortere nostrum.
Quippe etenim ventus, subtili corpore tenuis,
Trudit agens magnam magno molimine navem;
Et manus una regit quantovis impete euntem;
Atque gubernaclum contorquet quolubet unum:

gari genere dicendi. *Wak.*— *Conjuncta*, anima cum animo, ut docuit libro II fusius.

891. *Ea*. Suppl. anima.—*Proporro*, ulterius, præterea : sic II, 979; III, 276, 282. — *Petit*. MSS omnes *perit;* hinc editores *ferit;* sed ille qui animadverterit quanta cum industria sermonem Lucretius variare soleat, divinationi meæ non ægre accessurus est. *W.* — Forb. tamen *ferit* retinet, quia illud verbum ad omnem locum magis quadrat, coll. vs. 888.

892. *Moles*, corpus.

893. *Præterea, tum rarescit*, etc. Altera causa motum adjuvans. — *Rarescit*, nempe motu adhibito; redi ad vs. 861-867. *Wak.*

896. *Quasque*, ad singulas minimas corporis partes. Vide Disq. var.

897. *Rebus ... duabus*. Nempe, et ex appetitione ac cognitione; et ex corporis rarefactione ac aeris ingressu. Hoc est, ex prima causa motus, et ex causa motum adjuvante. Scilicet non sola interna causa, sed et externa concurrit ad motum animalem, inquit Poeta. *F.*

898. *Corpus*. Sic P. B. reliqui omnes, *Corporis;* quod ferri possit, si accersas nomen *molem* a vs. 892, et *is* syllaba elidatur, ad veterrimorum consuetudinem : sed vulgata longe præstant, et Lucretii facilitatem multo magis resipere videntur. Porro, vice *ut ac*, evulgari solet *uti ut*, contra omnes libros, temeriter et insulsissime. *Wak.*—*Velis ventoque*. Hæc per hendyaden dicta debent intelligi, pro *velis ventosis*, vel inflatis vento; i. e. feruntur pleno impetu. *Wak.*

900. *Corpuscula*, atomi, seu simulacra rerum tenuia, quæ advenientia feriunt animum et animam.

902. *Quippe etenim*, etc. Quia mirabile hoc videtur ut minima corpuscula simulacrorum totum contorqueant corpus, rem exemplo confirmat. *F.* — Vide in Disq. var.

905. *Unum*. Id est, unum gubernaculum contorquet magnam navem. Alii legunt *una*, scil. *manus;* male; alii *unus*.

Multaque per trochleas et tympana pondere magno
Commovet, atque levi sustollit machina nixu.
Nunc, quibus ille modis Somnus per membra quietem
Irriget, atque animi curas e pectore solvat,
Suavidicis potius, quam multis, versibus edam;
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus austri.
Tu mihi da tenueis aurcis, animumque sagacem:
Ne fieri negites, quæ dicam, posse, retroque
Vera repulsanti discedas pectore dicta:
Tutemet in culpa quom sis, neque cernere possis.
Principio, somnus fit, ubi est distracta per artus

906. *Trochleas.* Trochlea machina est tractorii generis, cum æreo aut ligneo orbiculo, qui per axem brevem versatur trajecto func ductario. Gallice *poulie.* Sic dicitur a trochis seu rotis. Isidor. Etym. XIX, 2. *Lamb.* — *Tympana.* Tympanum, quod Græci γέρανον appellant, genus est rotæ magno circuitu præditæ, cujus axis func obvolvitur, interea dum homines eam circumagunt quasi ascendentes pro gradibus certas regulas affixas, quibus pedes infigunt. Gallice *grue. Lamb.*

907. *Sustolit,* sursum tollit.— *Nixu,* vulgari solet *nisu;* sed nos antiquiorem orthographiam amplectimur. *Wak.*

908. *Nunc, quibus ille modis,* etc. His 58 vss. sqq. disputat Poeta de somno, qui nobis per membra irrigat quietem. Sed priusquam modum nobis explicet, quo somnus fiat, his 9 vss. prioribus attentum sibi postulat auditorem. *F.* — *Somnus.* Deus nempe, per προσωποποιΐαν, e cornu soporiferos liquores fundens: quod pulchre vidit Servius ad Virgilium Æn. I, 691. *Wak.*

909. *Animi curas pectore.* Nam pectus est animi domicilium: unde pendet etiam Virgilianus versus, Georg. IV, 83: « Ingentis *animos* angusto *in pectore* versant ». *Wak.*

910. *Suavidicis potius,* etc. Hi 3 vss. positi sunt jam supra vs. 181.

913. *Tu.* Suppl. o Memmi, quem edocet. — *Tenucis aureis.* Figurata est locutio; quum, quoties arrigantur aures et ὄρθιαι fiant, eadem opera *tenues* evadant, vel acuminatæ, quodammodo. Hæc maxime vivida est et poetica interpretatio. Hanc autem naturalis effectus proprietatem, haud dubium est, quin voluerit atque innuerit Horatius, Od. II, 19, 4: « Nymphasque discentes, et *aures* Capripedum Satyrorum *acutas* ». *Wak.*

914. *Negites,* crebro neges; frequentativum verbum. Hor. Epist. I, 16, 49.

915. *Discedas.* Sensus loci hic declarari potest, ne tibi structura verborum videatur impeditior: « Et te segreges a me, retrorsum cedens, cum pectore veritatem meorum dictorum aversato ». *Wak.*

916. *Neque.* Vulgo, *nec;* quasi dixerit: Ne tuæ mentis ἀῶ.εψίᾳ unice sit affinis culpæ, qui ad verum obstinatissime caliges. *Wak.*

917. *Principio, somnus,* etc. His itaque 13 vss. sqq. primum docet so-

Vis animæ; partimque foras ejecta recessit,
Et partim contrusa magis concessit in altum:
Dissolvuntur enim tum demum membra, fluuntque.
Nam dubium non est, animai quin opera sit
Sensus hic in nobis; quem quom sopor impedit esse,
Tum nobis animam perturbatam esse putandum est,
Ejectamque foras; non omnem; namque jaceret
Æterno corpus perfusum frigore leti,
Quippe ubi nulla latens animai pars remaneret
In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis;
Unde reconflari sensus per membra repente
Possit, et ex igni cæco consurgere flamma.

mnum fieri, quum membra dissolvuntur fluuntque ob animæ vim labefactam. Sic autem argumentatur : Somno sensus nostri impediuntur : at sensus, qui sunt in nobis, fiunt opera animæ : igitur necesse est, quum dormit animal, ut ejus anima partim foras ejecta recesserit, partim in penetrales corporis sedes altius concesserit, partim per membra distracta dispersa sit. Neque enim vult totam animam, dum dormit animal, e corpore ejectam esse; alias enim, nisi remaneret aliqua pars animæ superstes, non esset unde post somnum revivisceret animal. Rem illustrat exemplo. Sicut enim ignis in cinere sepultus non omnino exstinguitur : ita nec anima tota exstincta est in animali dormiente. *Lamb.* et *Fay.*

918. *Foras ejecta;* vs. 924, 961.

919. *Partim contrusa*, etc. Sic fere Aristoteles lib. De somno, ubi ait somnum esse coitionem calidi in intimis partibus, et ejus naturalem ab adverso frigore circumfuso compressionem, quia calidum ab humore exhalationis revertentis ad interiora repellitur ac detruditur. Sic Plin. X, cap. ult. ait, « Somnum esse animi in sese medium recessum ». *Lamb.*—*In altum*, in penetrales et intimas sedes. Sic vs. 861 et alibi.

920. *Membra fluunt;* quasi cum liquore somni circum fuso. Atque, ut hic Lucretius *membra fluere ac dissolvi* gemello Mortis dixit, ita Virgilius de ipsa Morte consimiliter, Georg. III, 523; Æn. XII, penultimo. *Wak.*

922. *Sensus hic;* hæc sentiendi facultas, vel hic status, quo sensibus nostris fruimur, totus ab animæ opera pendet.

925. *Perfusum frigore*, immersum scilicet gelidis *undis Leti*, non *Somni roribus* rigatum; ut vs. 908. Et conferas I, 356, 535. *Wak.*

926. *Remaneret.* I. e. *retro* posita *maneret*, in significatione maxime propria vocabuli; abdita et recondita in penetralibus. M. Tullius, Tusc. Dispp. I, 12. *Wak.*

927. *Cinere multa.* Sic Nonius ait nomen *cinis* esse feminini generis apud Cæsarem, Catullum, et Calvum. — *Cinere multa.* De voce *cinis* genere feminino usurpata, cf. Ruddim. Inst. Gr. I, p. 26, not. 37. *Forb.*

928. *Reconflari sensus.* Perite et venuste perstat in metaphora. Nec minus venuste I, 474. *Wak.*

929. *Et*, sic Cant. multo elegantius quam *ut*; quod alii exhibent.

Sed, quibus hæc rebus novitas confletur, et unde
Perturbari anima, et corpus languescere possit,
Expediam : tu fac, ne venteis verba profundam.
Principio, externa corpus de parte necessum est,
Aeriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque ejus crebro pulsarier ictu:
Proptereaque, fere res omnes aut corio sunt,
Aut etiam conchis, aut callo, aut cortice tectæ.
Interiorem etiam partem spirantibus aer
Verberat hic idem, quom ducitur, atque reflatur.
Quare utrimque secus quom corpus vapulet, et quom
Perveniant plagæ per parva foramina nobis
Corporis ad primas parteis, elementaque prima;
Fit quasi paullatim nobis per membra ruina :

930. *Sed, quibus hæc rebus,* et. His interim 3 vss. monet se dicturum, quibus rationibus fiat ut anima partim foras ejici, partim in intimas corporis sedes contrudi, partimque per membra dispergi possit; ac tota simul cum corpore languescat. *F.*

932. *Ne ventis verba profundam.* Cf. Virg. Æn. IX, 312.

933. *Principio, externa corpus,* etc. His itaque 21 vss sqq. sic explicat rationem, qua corpus languescat, et in soporem abeat. Exorditur autem ab aere tum circum verberante corpus, quum intus ducto et reflato ab animalibus. Is enim exteriores corporis partes, quibus vicinus est, crebro feriat necesse est: intus vero spiratus ferit pariter viscera; quo fit, ob duplicem hanc plagam, ut posituræ principiorum disturbentur, ac totius corporis atque animæ ruina sequatur; pars enim animæ inde elicitur: pars introrsum cedit: pars distracta per artus nequit sibi esse conjuncta, ita ut mutuam nequeat præstare operam. Igitur mutatis motibus sensus abit ac anima : et quia non superest, quod jam suffulciat corpus, hoc debile cadat necesse est. *F.*

934. *Aeriis auris;* I, 771.

935. *Tundier.* Sic apud Virg. Georg. III, 382, *tunditur Euro.* Alii, *trudier.* — *Ejus,* id est, aeris; quæ continetur vox in periphrasi *aeriis auris. Wak.*

936. *Proptereaque, fere,* etc. I. e. ut res sint ab injuria aeris externi tutæ ac munitæ, teguntur aut corio, aut, etc. Festivum est animadvertere, quo modo poeta noster se fefellerit, super his finalibus causis, re vera concedens omnia, quæ laboriosis argumentis conatus erat refellere, atque funditus evertere, superius, vs. 824 ad vs. 859. Is est futilium philosophorum stupor atque inconstantia! *Wak.* — Vide Disq. var.

939. *Quom ducitur, atque reflatur.* H. e. quum attrahitur atque respiratur, seu quum redditur. *Lamb.*

940. *Utrimque secus.* I. e. ex utraque parte; interna scilicet, externaque. Cato De re rust. XXI, 2 : « Dextra, sinistra, foramina *utrimque secus*, laminas ». Formulam ille scitissimus Apuleius frequentavit. *Wak.*

Conturbantur enim posituræ principiorum
Corporis atque animi; sic, ut pars inde animai
Eliciatur, et introrsum pars abdita cedat;
Pars etiam, distracta per artus, non queat esse
Conjuncta inter se, neque motu mutua fungi:
Inter enim sæpit cœtus natura viasque;
Ergo sensus abit, mutatis motibus, alte.
Et, quoniam non est, quasi quod suffulciat artus,
Debile fit corpus, languescuntque omnia membra;
Brachia, palpebræque cadunt, poplitesque cubanti
Sæpe tama submittuntur, viresque resolvunt.
Deinde cibum sequitur somnus, quia, quæ facit aer,

945. *Inde.* Ex animo et corpore, per quod dissita est anima. Quæ autem sententia continetur his 3 vss. eadem posita fuit supra vs. 917 et sqq. et iterum infra vs. 960, et sqq. *F.*

946. *Eliciatur.* I. e. exteratur, exturbetur, expellatur: redi ad notata III, 496; nam audaculi editores commentitiam vocem *Ejiciatur* intro duxere. *W.*

948. *Mutua fungi.* I. e. mutua *officia* fungi *per* motum. Hic ordo est ac constructio; redi ad III, 734. *Wak.*

949. *Inter enim sæpit.* Tmesis, intersæpit enim. — *Cœtus.* Id est, coitus, vel conjunctionem partium, modo memoratam. Editores temerarii, contra libros universos, *aditus. Wak.*

950. *Sensus abit.* Quippe quia, mutatis atomorum posituris in corpore, ipsa recedit anima, quæ dat sensiferos motus. *F.* — *Abit alte*, penitus recedit, concedit *in altum*, ut vs. 919.

951. *Quasi quod suffulciat.* Caute loquitur et perpense: usus formula, quæ rem significat difficilem comprehendi verbis; et quam tacito magis sensu quis percipiat, quam orationis ope declaratam dare. *Wak.*

952. *Languescuntque;* τὸ *que* deest omnibus præter emendatissimos et veterrimos M. L. unde in contextum revocavimus: quum tardior et ponderosior hinc versus fiat, atque adeo cum re depicta longe convenientior. *Wak.*

953. *Cubanti.* Vulgo *procumbunt*, contra libros omnes. — *Cubanti* ita accipiendum dixerim, ut effectus hoc ipso temporis momento futurus tamquam res jam præsens commemoretur, ideoque sensus sit: palpebræ poplitesque cadunt, ut homo jam sopitus procumbat et in lecto cubet. Sic Forb. qui ejiciendum vs. sq. contendit. — *Cubantem tamam* dicit, quod deorsum ad pedes tendat: sic supra, vs. 518, *cubantia tecta. Tama* quid sit, docet Festus. (Vide Disq. var.) Non certum est vocem alibi occurrere: adeo ut in tanta insolentia minime mirum, depravatam nobis per librariorum manus devenisse. *Wak.* — *Viresque resolvunt.* Intransitive dictum est more Lucretianissimo, pro *resolvuntur*, vel se solvunt: aliter constructio loci foret perturbata. *Wak.* — Forb. tacitus edidit *vireis.*

955. *Deinde cibum sequitur*, etc. His 8 vss. alteram somni causam reddit. Scilicet quia alimentum, dum per corpus distribuitur, idem præstare experimur,

Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit : et multo sopor ille gravissumus exstat,
Quem satur, aut lassus capias; quia plurima tum se
Corpora conturbant, magno contusa labore.
Fit ratione eadem conjectus parte animai
Altior, atque foras ejectus largior ejus;
Et divisior inter se ac distractior intus.
Et, quo quisque fere studio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante moratei,
Atque in ea ratione fuit contenta magis mens;
In somnis eadem plerumque videmur obire :

quod aer irrepens atque percutiens : quin majores etiam infert ictus, quo firmior est illi compages. *F.*

956. *Hæc eadem cibus efficit;* nempe, inferiora corporis plagis versat et defatigat; unde conturbatio principiorum et animæ distractio consequuntur. *Wak.*

959. *Contusa.* Quidam male volunt, *concussa*, libris repugnantibus; confer sis vss. 935, 940, 941. *Wak.* — *Magno labore.* Videtur nunc poeta de somno ob lassitudinem subrepente tantummodo loqui.

960. *Conjectus.* I. e. collectio, anima se conjiciente, et abstrudente : adi dicta in II, 961. *Wak.* — *Parte.* I. e. ex parte : nam partim anima se membris intimis recondit, partim foras ejicitur. Pius, pro *parte*, edidit *porro;* quem sequuta est editorum turba. Nobis autem ea lectio hodiernam correctionem resipit, neque admittenda videtur, contra librorum sane universorum testimonium. *Wak.*

962. *Divisior ac distractior.* Tria nimirum affirmantur : 1° partem animæ foras ejici; 2° partem in artus penitius contrusam; 3° illam ipsam partem diffusione multa spargi. Ita superius, vss. 945-950. *Wak.* — De forma *divisior* aliisque rarioribus comparativis participiorum cf. Ruddim. Inst. Gr. I, p. 177, not. 48. *Forb.*

963. *Et, quo quisque fere*, etc. Hactenus de somno : nunc de somniis disputaturus est ab hoc versu ad finem usque hujus libri. His itaque 65 vss. prioribus plurima somnia narrat, quæ solent somniare homines per somnum; et quorum causam præcipuam refert ad varia hominum studia, quibus incumbunt per vigiliam; ad moram, per quam nimis rebus immorantur; et ad mentis attentionem, in qua magis contenti sunt. *F.* — *Defunctus.* I. e. quoties aliquis negotium perfecit, nec tamen ab illo mentem adhuc abalienavit. Quid planius, et appositius ? Vulgo, *devinctus;* quod cum *adhæret* quis probaverit ? *W.*

964. *Moratei;* nec *defuncti* tamen; scilicet ut a præcedentibus hæc rite distinguantur. *Wak.*

965. *In ea.* Sic structuram sermonis passim noster solet variare, et artificio suavissimo condire. Nonne est igitur audacia editorum odio maximo habenda, quæ reposuerit *in qua;* fide omnium veterum exemplarium pedibus subjecta? Hic autem versus cum præcedente arctissime devincitur. « In qua re nempe multum morati sumus, et cum magna animi contentione ». *Contenta.* I. e. *se*

Causidicei causas agere et componere leges;
Induperatores pugnare ac prælia obire;
Nautæ contractum cum ventis degere bellum;
Nos agere hoc autem, et naturam quærere rerum
Semper, et inventam patriis exponere chartis.
Cetera sic studia atque artes plerumque videntur
In somnis animos hominum frustrata tenere:
Et queiquomque dies multos ex ordine ludeis
Assiduas dederint operas, plerumque videmus,
Quom jam destiterunt ea sensibus usurpare,
Relicuas tamen esse vias in mente patenteis,
Qua possint eadem rerum simulacra venire.

contendens, vel omni vi connisa. *Wak.*

967. *Componere leges.* Quidam lectum volunt, *componere lites;* Preigero comprobante. Nimirum sensus locutionis Lucretianæ non perceptus est. *Componere leges* igitur vult, «eas conditiones definire, quibus lites dirimantur, et fiat reconciliatio litigantium» : quod erat haud dubie probiorum subinde causidicorum, annis melioribus, officium. *W.*

968. *Induperatores;* I, 83; V, 1226. — *Prælia obire.* Virg. Æn. VI, 167: «Et lituo *pugnas* insignis *obibat*, et hasta». Ex hoc autem somniorum negotio Silius Italicus visionem vere poeticam, et egregia pulchritudine, feliciter imaginatus est, de Hannibale, Pun. I, 64. *Wak.*

969. *Contractum bellum.* I. e. initum, commissum; ut *contrahere amicitias, invidiam, culpam*, ac consimilia, satis nota vel tironibus. Livius, V, 37, 3: «Tribuni, quorum temeritate *bellum contractum* erat, summæ rerum præerant». *W.* — *Degere.* Lambinus, quem sequuti sunt editores, reposuit certissima, uti ille dicit, et inexpugnabili conjectura, ut egomet vero dixerim, futili et impudente, *cernere. Degere bellum* ponitur, plana nimium et elegante phrasi, ut *degere vitam;* i. e. administrare, ducere. *Wak.*

970. *Nos agere hoc.* Nimirum de rerum natura philosophicum carmen scribere.

971. *Patriis ... chartis.* H. e. Latinis versibus. *Chartis* pro *libris*, aut versibus, in charta scriptis.

973. *Frustrata*, decipientia, ludificantia in somnis. *F.*

974. *Et queiquomque,* etc. H. e. Et quicumque per dies aliquot spectaverint tragœdos, aut comœdos, eosque recitantes audiverint, ubi desierunt spectare et audire illos, tamen sibi videntur eosdem audire cantores, tibicines aut fidicines. *F.*

975. *Dederint.* Alii *dederunt;* et contra *destiterint* pro *destiterunt;* inscite.

976. *Sensibus usurpare.* Nimirum oculis ac auribus percipere. Sic I, 55, 302, etc.

977. *Relicuas.* De h. v. v. ad I, 561.

978. *Eadem rerum.* Retinui omnium fere libb. lectionem quam Wak. e solis Ver. et Ven. in *rebus* mutavit, hoc sensu: «eadem virtute et efficacia ac si res ipsæ coram obversentur». Tutius tamen mihi

Per multos itaque olla dies eadem obvorsantur
Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere saltanteis, et mollia membra moventeis;
Et citharæ liquidum carmen chordasque loquenteis
Auribus accipere; et consessum cernere eumdem,
Scenaique simul varios splendere decores.
Usque adeo magni refert studium atque voluntas;
Et quibus in rebus consuerint esse operatei
Non homines solum, sed vero animalia cuncta.
Quippe videbis equos forteis, quom membra jacebunt
In somnis, sudare tamen spirareque semper,
Et quasi de palma summas contendere vireis,
Aut quasi carceribus patefactis sæpe quiete.
Venantumque canes in molli sæpe quiete
Jactant crura tamen subito, vocesque repente
Mittunt, et crebro reducunt naribus auras,

videbatur codd. auctoritati obtemperare. *Forb.*

979. *Per multos.* Vulgo una voce, *permultos;* quod reduxit Forb.; vix interest.

981. *Mollia;* sic vs. 791.

982. *Liquidum carmen.* Velim id intelligas, « quod Musæo melle contactum, puras *guttas* dulcedinis in aures *stillet* ». *Wak.* — *Loquenteis.* I. e. sonantes. Sic Catullus carm. ad Phasel. de arbore vento agitata : « Loquente sæpe sibilum edidit coma ». *Lamb.*

984. *Decores,* species venustas ac decoras; ornatus, ornamenta; florida pulchritudine nitores.

985. *Usque adeo magni,* etc. H. e. usque adeo interest, quo quisque studio teneatur, ac qua sit voluntate. Vel usque adeo magnum momentum affert cujusque studium ac voluntas. *Lamb.*

986. *Operatei,* versati, occupati.

987. *Sed vero.* Sic etiam Cic. in Verr. act. II, lib. V, cap. 6. *Forb.*

989. *Spirare,* anhelare. — *Semper.* Sic Wak. cum pluribus libris; vulgo *sæpe.* — Vult Lucretius simile aliquid *semper* fieri, quoties equi in his certaminibus per dies multos operati sint. *Wak.*

990. *De palma,* de victoria.

991. *Patefactis sæpe quiete.* Ultima hujus versus verba corrupta sunt, librariorum manifesto errore. Oportebat ad sensum *sæpe volare* vel aliquid simile. Ed. .

992. *Venantum,* id est, venatorum; ut I, 935, *medentes.*

993. *Jactant.* Vir doctissimus Wak. edidit *Lactant;* quod verbum explicat per *palpare, tractare, mulcere.* Hanc quoque lectionem arripuit Eichst. Sed mihi vulgata magis placuit, quæ codicum pæne omnium auctoritate innixa melius etiam cum loci sensu congruere videtur. Ipse quoque Forb. vulgatam defendit. Ed.

994. *Reducunt,* breviter dictum, ut

Ut vestigia si teneant inventa ferarum;
Expergefacteique sequuntur inania sæpe
Cervorum simulacra, fugæ quasi dedita cernant;
Donec discussis redeant erroribus ad se.
At, consueta domu, catulorum blanda propago
Discutere et corpus de terra corripere instant;
Proinde quasi ignotas facies atque ora tuantur.
Et, quo quæque magis sunt aspera seminiorum,
Tam magis in somnis eadem sævire necessum est.
At variæ fugiunt volucres, pinnisque repente
Sollicitant Divom nocturno tempore lucos,
Accipitres somno in leni si prælia pugnasque
Edere sunt persectantes visæque volantes.
Porro, hominum mentes, magnis quæ motibus edunt,
Magna itidem sæpe in somnis faciuntque geruntque.

alibi noster sæpiuscule, pro *iterum iterumque ducunt*, vicibus repetitis ducunt. *Wak.*

998. *Discussis erroribus;* qui sunt utique caligo animi: nam translatio videtur esse ab ortu solis, noctis tenebras fugante, derivata. Maro apertiore phrasi rem eamdem declaravit in Æn. XII, 669. *Wak.*

999. *Consueta domu*, id est, domui. De insolentiori dativi forma vid. Prisc. VII, 18, § 88; Gellius IV, 16; Ruddim. Inst. Gr. I, p. 103, not. 47; Schneid. Gr. Lat. II, p. 322, et qui hic laudantur. *Forb.* — Locutus est de canibus venaticis; nunc de iis qui domui custodiendæ præponuntur, et de domesticis. *Lamb.*

1000. *Discutere corpus.* Nihil notius hac consuetudine canum expergiscentium. *Wak.*

1001. *Ignotas facies.* Homines ignotos et mendicos, domum ingredientes.

1002. *Quo.* Vulgo contra libros *quam;* perperam. Cf. vs. 252, 1085; II, 197, sq. — *Seminiorum.* Pleræque vulgares editiones *semina eorum;* sed vide III, 742, 746, et 764.

1004. *Variæ;* II, 344.

1005. *Sollicitant.* I. e. movent, agitant, turbant pinnarum pulsibus. Virgilius, Georg. III, 503. *Wak.* — *Divom lucos*, Divorum nemora sacra. Itaque noctu somniantes aves in lucis opacis interdum imaginantur sibi bellum inferri ab accipitribus; quo timore percitæ volitant per lucos. *F.*

1006. *Accipitres.* Usurpatur hæc vox in femin. genere a Lucretio. Ordo est: Si accipitres visæ sunt pugnas edere persectantes volantesque.

1008. *Porro, hominum*, etc. Redit jam ad hominum somnia, aitque eos sæpe in somnis eadem conari, quæ per vigiliam summopere contendunt efficere. Alii per exclamationem *quæ* pro *quanta* accipiunt; et in versu sq. *etenim* legunt pro *itidem;* sed contra libros. Melius Wak. quem sequimur. Ed.

1009. *Faciuntque, geruntque.* Varro,

Reges expugnant, capiuntur, prælia miscent;
Tollunt clamorem, quasi si jugulentur ibidem.
Multei depugnant, gemitusque doloribus edunt;
Et quasi pantheræ morsu sævive leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
Multei de magnis per somnum rebu' loquuntur:
Indicioque sui facti persæpe fuere.
Multei mortem obeunt: multei, de montibus altis
Ut quei præcipitent ad terram, corpore toto
Exterrentur; et ex somno, quasi mentibu' captei,
Vix ad se redeunt, permotei corporis æstu.

Flumen item sitiens aut fontem propter amœnum
Assidet, et totum prope faucibus occupat amnem.
Purei sæpe lacum propter ac dolia curta,

De ling. Lat. V, 8 : « Potest aliquid *facere*, et non *agere*; ut poeta facit fabulam, et non agit : contra actor *agit*, et non *facit*. Contra, imperator, qui dicitur res *gerere*, in eo neque *agit*, neque *facit*, sed gerit; id est, sustinet ». *Wak.*

1010. *Reges expugnant*. I. e. reges, quorum mentes magnis motibus agitantur, consimilia, ut par est, in somnis exsequuntur; atque adeo expugnant, turres puta, castella, etc. ut sit nomen *reges* in casu recto : quod monendum habui, quum interpretes male rem administraverint, pro casu quarto accipientes. *W.*

1011. *Clamorem*. Alii *clamores*. — *Quasi si*. Sic Plaut. Cas. prol. 46.

1013. *Doloribus*, præ *dolore*, ob dolorem, tamquam vulnus acceperint.

1016. *Indicioque sui facti*, etc. H. e. Et sæpe indicant suum factum.

1018. *Ut quei*; sic elegantissime L; at vulgo *se quasi*. *Wak.* — *Præcipitent*; II, 248; VI, 1039. Recte Wak. jungit *toto corpore* cum *exterrentur*.

1019. *Exterrentur*. Wak. legendum haud dubie ait *exterruntur*, ad germanum morem vetustatis, alia conjugatione subinde usæ. Vulgatam tamen cum pluribus et melioribus libris retinere, consultius habuit Forb.

1020. *Permotei*; adeo eos commovit et concussit *æstus* (III, 174) *corporis*. Ergo *permoti* est *omnino moti*. Forbiger autem e vett. edd. Ver. Ven. Ald. 1, Bon. maluit *promoti* ut elegantius atque significantius, hoc sensu : « interno æstu, ex angore orto, e somno emoti, erecti et excitati ». Sed ea non apte, opinor, congruerent cum verbis *vix ad se redeunt*; et cetera minus bene inter se opponerentur. Libris igitur plurimis standum. Ed.

1021. *Flumen aut fontem propter*. De hac absentia præpositionis in priore clausula redi ad vs. 96.

1023. *Purei*; id est, pueri. Isidor. Orig. XI, 2 : « *Puer* a *puritate* vocatur ». Nonius, II, 672. — *Dolia curta*. Id est, amphoræ, quæ per angiportus et ad angulos platearum collocatæ, fortasse etiam parietibus insertæ erant, ut prætereuntes vesicam in eas exonerare possent, eædem haud dubie quæ apud Petron. 70, 79 *gastra* vel *gastræ* vocantur. Cf. Macrob.

Somno devinctei, credunt se extollere vestem;
Totius humorem saccatum corpori' fundunt,
Quom Babylonica, magnifico splendore, rigantur.
Tum, quibus ætatis freta primitus insinuantur,
Semen ubi ipsa dies membris matura creavit,
Conveniunt simulacra foris e corpore quoque,
Nuntia præclari voltus pulchrique coloris,
Qui ciet irritans loca turgida semine multo;
Ut, quasi transactis sæpe omnibu' rebu', profundant
Fluminis ingenteis fluctus, vestemque cruentent.
Sollicitatur id in nobis, quod diximus ante,
Semen; adulta ætas quom primum roborat artus.

II, 12, et Casaub. ad Suet. Vesp. c. 23. *Forb.* — Equidem *lacum* vel de illis in media Roma lacubus (*réservoirs*) vel potius de vase quodam recipiendis humoribus apto intelligerem. Ed.

1025. *Humorem saccatum.* Lotium, quod per totum corpus quasi per saccum percolatur. Hoc eodem vocabulo lotium appellat Arnobius lib. II Adv. gent. p. 69. *Lamb.*

1026. *Babylonica.* H. e. vestes stragulæ, diversis coloribus tinctæ, quæ ex Babylonia avehebantur. Cf. Plaut. Stich. II, 2, 54; Plin. VIII, 74; Martial. VIII, 28, 17. — *Rigantur*, comminguntur.

1027. *Tum quibus.* Ubi quidam Lucretii immodestiam, ibi ego illius artem agnosco et suspicio: neque profecto ille unquam aliquid de hujusmodi insomniis, nisi ad connectendam sequentem de libidine et amore disputationem necessaria fuisset istorum explicatio. *Creech.* — *Ætatis freta.* Hanc locutionem sibi exprimendam sumit Florus, I, 26: «populus Romanus, *fretum* illud *adolescentiæ* habuit»: i. e. *æstum* ac *fervorem* adolescentiæ; vel, uti suspicor equidem, *humorem fluctuantem*; γόνον utique: nam obscœnitates ejus circumlocutionibus decentibus nemo studiosius Lucretio velavit. *W.* — *Insinuantur*; apposite; quasi *sinus* et meatus corporis, seu πόρους σπερματικοὺς inundarent. *W.*

1028. *Dies*, ætas adulta, v. 1035.

1030. *Nuntia præclari vultus*; præ se ferentia speciem vultus valde clari, nitidissimi.

1031. *Qui ciet.* Qui vultus eximius, quique color pulcher commovet irritando loca, in quibus inest semen virile. *Lamb.*

1033. *Fluminis*; magnam copiam seminis fluentis. *Lamb.* — *Cruentent.* Nempe cruor *madidat*; ergo possumus interpretari sensu secundario, *humectent vestem*, vel cum Lambino, *vestem inquinent*; cui favent Horatiani versus nimis noti: «Nocturnam *vestem maculant*». Malim tamen ad sensum maxime proprium vocem *cruentent* interpretari, quum virile σπέρμα diserte vocetur, et vere forsitan, νόστιμον αἷμα in fragm. apud Stobæi Ecl. Phys. lib. I, p. 87. *W.*

1034. *Sollicitatur.* Tota libido, tam quæ ad animum, tam quæ ad corpus spectat, vss. 18 explicatur: formosa sq. simulacra animum commovent. Ille vero semen ex omnibus membris in partes genitales deducit, quæ partes tument, deinde res ipsa peragitur. Præter hæc nec Venerem nec Cupidinem exspectes. *Cr.*

Namque alias aliud res commovet atque lacessit;
Ex homine humanum semen ciet una hominis vis:
Quod simul atque suis ejectum sedibus exit,
Per membra atque artus decedit corpore toto,
In loca conveniens nervorum certa; cietque
Continuo parteis genitaleis corporis ipsas:
Irritata tument loca semine, fitque voluntas
Ejicere id, quo se contendit dira libido:
Idque petit corpus mens, unde est saucia amore.
Namque omnes plerumque cadunt in volnus; et ollam
Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu:
Et, si comminus est, hostem ruber occupat humor.
Sic igitur, Veneris qui telis accipit ictus,
Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier, toto jactans e corpore amorem;
Unde feritur, eo tendit, gestitque coire,
Et jacere humorem in corpus de corpore ductum:

1037. *Una hominis vis.* Sive imago formosi corporis commovens animum, sive animus ipse semen e toto corpore deducens. *Creech.*

1039. *Decedit;* nempe *de* loco, in quo fuit, *migrat* per totum corpus; sed aptius tamen putavissem egomet jam nunc *discedit:* i. e. in varias partes abit, dispergitur. Virgilius autem, Æn. V, 683, dum satis tuetur proprietatem ipsam verbi *decedit,* favet porro suspicioni, Lucretium scripsisse *descendit. Wak.* — Immo de mutanda vulgari lectione ne cogitandum quidem. *Forb.*

1040. *Loca nervorum;* videre jusserim Hor. Epod. XII, 19.

1043. *Quo se contendit;* vel interpreteris licet, «ad quem locum se cupide promovet»; vel rursus, *quo se distendit.* Hoc ipse præferam: vide vs. 810 superius. *Wak.* — *Dira libido.* Maro Georg. I, 37: «*Dira* autem, pro *magna*, vel *vehemens*». Servius. Hoc autem hinc habet proprietatem suam, quod *magnæ* cupidines *dira* moliri soleant. *Wak.*

1045. *Namque omnes.* Rem feliciter illustrat solita cum ubertate Lucretius, et aptissimarum ope figurarum, decentiumque, in hoc, et sequentibus duobus versibus; quos summam per inscitiam, ac libris omnibus renuentibus, Lamb. et Faber inducendos esse statuerunt. *W.* — *Cadunt in vulnus,* in eam corporis partem quæ vulneratur; Virg. Æn. X, 488. *Pr.*

1047. *Ruber occupat humor;* atque adeo *cruentat* scilicet, ut vs. 1033, ubi videas animadversa modo nobis. *Wak.*

1048. *Accipit ictus;* qui amore saucius est. Alii *ictum.*

1049. *Puer membris muliebribus,* mollicellis, delicatis, quæ meram spirant Cyprin. *Faber.* — *Jaculatur,* tanquam jaculo ferit.

1052. *Jacere humorem;* nempe γόνιμον de qua re usitatissima est Lucretii locutio, sicut nos pluribus osten-

Namque voluptatem præsagit multa cupido.
Hæc Venus est nobis; hinc ductum est nomen Amoris:
Hinc olla et primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, et successit frigida cura.
Nam, si abest, quod ames, præsto simulacra tamen sunt
Illius, et nomen dulce obvorsatur ad aureis.
Sed fugitare decet simulacra, et pabula amoris
Absterrere sibi; atque alio convortere mentem;
Et jacere humorem conjectum in corpora quæque,
Nec retinere, semel convorsum unius amore,
Et servare sibi curam certumque dolorem.
Ulcus enim vivescit et inveterascit alundo,
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit,
Si non prima novis conturbes volnera plagis,

dimus dudum, in Silv. Crit. sect. CLII, et tom. V, p. 148. *Wak.*

1053. *Multa.* Vehemens et acris *cupido* sive libido voluptatem quasi auguratur et sibi ante promittit. *Lamb.*

1054. *Ductum;* ita scriptum reperi in margine II, pro varia lectione, et dignum putavi, quo Lucretius jam tandem postliminio redonaretur. Vulgo, *autem,* quæ scriptura summopere nobis friget. *Wak.*

1055. *Olla et.* I. e. hinc *etiam* illa gutta Veneris. *Wak.*—*Lamb.* voluit *illæ* pro *illius.* — Hujus autem loci hæc sententia est: Hinc, nempe ex cupiditate, seu ex amore, primum gutta dulcedinis, quæ inest in Venere, stillavit in animum: deinde consecuta est cura, animum graviter angens, et sollicitans; vel dic, hinc primum, id est, ex simulacris et imaginibus: quod magis probo. *Lamb.*

1057. *Nam si abest.* Vocis monosyllabæ, similiter elisionem non passæ, plura jam specimina noster dedit in præcedentibus. Virg. Æn. VI, 507. *Wak.*

1059. *Frigida,* quia sæpe in amatoriis curis cor obrigescit. Vide Disq. var. Ed.

1059. *Sed,* etc. Vide in Disq. var.

1060. *Absterrere,* a se arcere; ideoque fugere, vitare; conf. etiam vs. 1230, et V, 844, ubi hoc v. simillima significatione legitur. *Forb.* — Vide Disq. var.

1061. *Humorem,* semen in plura corpora jacere. — *Conjectum.* Alii *collectum.* Verbum *conjicere* sæpenumero noster adhibuit pro *conferre,* in unum locum jacere, vel importare; *colligere* denique: redeas ad vs. 416 hujusce libri. Has insuper affinium vocabulorum societates, *conjicere conjectum,* suaves esse lusus in Cari deliciis, nos ad satietatem usque monuimus, et lector ille tardiusculus, aut negligens sit necesse est, qui non animum sponte id adverterit. *Wak.* — Cf. III, 568; IV, 713.

1062. *Convorsum;* nempe hominem; nam hic est ordo verborum, et constructionis ratio: « Nec decet *hominem,* semel conversum unius amore, retinere conjectum humorem ». Quod miror nemini perspectum. *Wak.*

1064. *Ulcus;* Mart. XI, 60. — *Alendo,* dum alitur; cf. Virg. Georg. III, 454.

1066. *Conturbes.* Cf. Catull. V, 1, 11.

Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures,
Aut alio possis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem;
Sed potius, quæ sunt sine pœna, commoda sumit.
Nam certe pura est saneis magis inde voluptas,
Quam misereis: etenim potiundi tempore in ipso
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum:
Nec constat, quid primum oculis manibusque fruantur.
Quod petiere, premunt arcte; faciuntque dolorem
Corporis, et denteis illidunt sæpe labelleis,
Osculaque affligunt, quia non est pura voluptas:
Et stimulei subsunt, quei instigant lædere id ipsum,
Quodquomque est, rabies unde ollæ germina surgunt.
Sed leviter pœnas frangit Venus inter amorem
Blandaque refrenat morsus admixta voluptas.
Namque in eo spes est, unde est ardoris origo,

Et translatio est, nisi fallor, ex geometrarum usu ducta; pulverem in tabulis subinde complanantium, ut novas figuras fingerent. *Wak.* — *Novis plagis.* Cicero, Tusc. Dispp. IV, 33: « etiam novo quodam amore veterem amorem, tanquam clavo clavum ejiciundum putant ». *Lamb.*

1067. *Ante*, antequam vulnus nimirum inveterascat. *Wak.*

1071. *Sanis;* amoris *morbo* non laborantibus. *Wak.*

1073. *Fluctuat.* Cf. Euripid. Phœn. 320.

1076. *Denteis illidunt labellis.* Hanc pancratii Venerei circumstantiam Plautus delicatissimis verbis, ut nihil supra, concepit, Pseud. I, 1, 65: « Teneris labellis molles morsiunculæ ». Lambinus provocavit etiam Curc. I, 3, 31; Mil. Glor. IV, 8, 25; Pseud. V, 1, 14; Horat. Od. I, 13, 11. *Wak.*

1077. *Affligunt.* Vulgo *affigunt;* sed nostra lectio sensum habet multo efficaciorem, atque adeo loci scopo commodiorem, omnia jam in deterius studio pravo detorquentis. Dictiones *affigo* et *affligo* sæpissime librariis confunduntur; de quibus Bentleium videas ad Horat. Sat. II, 2, 79. *Affligunt* nimirum *oscula*, « cum collisione quadam violenter imprimunt et impingunt ». *Wak.*

1079. *Rabies ollæ;* rabiei illius. Sic enim nomina quintæ olim inflectebantur. Vide Gell. IX, 14, init. Hæc est loci sententia: Et stimuli subsunt qui amantes incitant atque impellunt, ut id ipsum lædant, unde rabiei illius germina oriuntur atque augescunt; quodcumque illud tandem sit, sive color, sive facies, sive pars alia aliqua corporis. *Lamb.*

1080. *Pœnas frangit.* I. e. furorem dolorificum imminuit, domat, reprimit. Virg. Georg. IV, 400: « *Doli frangentur* inanes ». *Wak.*

1081. *Refrenat morsus.* I. e. ita comprimit diminuitque, ut abeant in meras molles *morsiunculas*. *Wak.*

Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam:
Quod fieri contra totum natura repugnat;
Unaque res hæc est, quojus quo plurima habemus,
Tam magis ardescit dira cupedine pectus.
Nam cibus atque humor membris assumitur intus:
Quæ quoniam certas possunt obsidere parteis,
Hoc facile expletur laticum frugumque cupido:
Ex hominis vero facie pulchroque colore
Nil datur in corpus præter simulacra fruundum
Tenuia; quæ vento spes rapta est sæpe misella.
Ut bibere in somnis sitiens quom quærit, et humor
Non datur, ardorem qui membris stinguere possit;
Sed laticum simulacra petit, frustraque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans:
Sic in amore Venus simulacris ludit amanteis;
Nec satiare queunt spectando corpora coram,

1084. *Totum.* Nescio qua ratione impulsi omnes Lucretii editores pro hac voce *coram* substituerint atque approbaverint, contra omnes MSS. Natura, inquit, *repugnat*, i. e. negat, et ostendit totum illud contra fieri. Ita lib. I, 694: « Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat ». I. e. negat operationes sensuum per sensus ipsos, ab iis sumens argumentum. *Hav.*

1086. *Dira cupedine.* Conf. supra vs. 1043.

1087. *Humor;* potus quo sedatur sitis. — *Assumitur;* in stomachum descendit, et in ventrem, ideoque certam corporis partem occupat: quo fit ut fames et sitis expleantur. — *Membris intus.* Sic Virg. Æn. VII, 192: *intus templo.* Vide etiam ad III, 563. *Forb.*

1091. *In corpus.* Nihil profluit quod sibi assumat corpus, præter simulacra inania. *Creech.*

1092. *Rapta est.* Vulgo *raptat.* Ordo est, ac constructio: præter tenuia simulacra; quæ spes misella (i. e. spes; hoc tantum, et nihil aliud!) sæpe vento rapta est. Quæ planissima sunt, et venustissima. In quantum hic versiculus doctos viros torserit, et quot intempestivas conjecturas progenuerit, piget recensere; mera ludibria ingeniorum male feriatorum et frustratorum. *Wak.*

1094. *Qui membris;* sic eleganter omnes omne genus libri; vulgo, non inscite minus, quam audacter, *in membris qui. W.* — *Stinguere;* II, 828.

1096. *Torrenti flumine;* ea nempe aquarum rapiditate, ut æstuet quasi, *ferveat*que. Virg. Ecl. VII, 52. *Wak.*

1098. *Spectando.* Hæc est verborum series grammatica, quæ non innotuit interpreti: Nec corpora queunt satiare spectando coram, i. e. dum coram spectantur. *Wak.* — Malim tamen ego alteram interpretationem, qua melius inter se concinunt totius loci partes; nam dicit Noster simulacris ludi amantes; qui neque *per oculos*, spectando corpora

Nec manibus quidquam tenereis abradere membreis
Possunt, errantes incertei corpore toto.
  Denique quom, membris collatis, flore fruuntur
Ætatis, jam quom præsagit gaudia corpus,
Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat arva;
Affigunt avide corpus, junguntque salivas
Oris, et inspirant, pressantes dentibus ora,
Nequidquam; quoniam nihil inde abradere possunt,
Nec penetrare et abire in corpus corpore toto:
Nam facere interdum velle, et certare videntur;
Usque adeo cupide in Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.
Tandem, ubi se erupit nervis conjecta cupido,
Parva fit ardoris violenti pausa parumper;
Inde redit rabies eadem, et furor ille revisit,
Quom sibi, quod cupiant ipsei, contingere quærunt;
Nec reperire, malum id possunt quæ machina vincat:
Usque adeo incertei tabescunt volnere cæco.
  Adde, quod absumunt nervos, pereuntque labore:

amata, *se satiare*, neque *per manus* quidquam abradere possunt, unde cupidinem expleant. Ed.

1103. *Muliebria conserat arva.* Virgilius etiam hac usus est decora translatione, Georg. III, 136: « .... nimio ne luxu obtusior usus Sit *genitali arvo* ». *W.*

1105. *Inspirant.* I. e. animam vicissim immittunt; intransitive, more Lucretiano. *Wak.*

1108. *Facere;* hoc scilicet, quod proxime significavit; nimirum τὸ *abire* toto corpore in amatum corpus: quod aliquando velle et conari videntur.

1110. *Liquescunt.* Tam cupide inter se cohærent Veneris vinculis adstricti: idque tamdiu, dum membra vi voluptatis labefacta liquescunt, et quasi in humorem resolvuntur. In aliis libris scriptum est *liquescant*, quam lectionem sic explico, ut conjungam hoc totum *usque adeo dum*, cum verbo *liquescant*, hoc modo: usque adeo dum, i. e. usque eo, seu usque ad id tempus, donec membra liquescant, etc. *Lamb.*

1111. *Conjecta;* vs. 1061.

1112. *Pausa;* II, 118.

1113. *Redit rabies et furor.* Cognata vocabula ad eumdem modum dedit adunata Statius, Theb. VII, 810, et Florus, II, 18, 15. Addas Lucanum licet, IV, 240: « redeunt rabiesque furorque », ipsissima Lucretii verba adhibentem. Idem similiter locutus est X, 72. *W.*

1115. *Quæ machina;* ratio, inventum: τίς μηχανή. Sic III, 957: « quod machiner inveniamque ». *Lamb.*

1117. *Adde.* Vs. 28 recenset in com-

Adde, quod alterius sub nutu degitur ætas.
Labitur interea res, et vadimonia fiunt;
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans:
Unguenta et pulcra in pedibus Sicyonia rident
Scilicet; et grandes viridi cum luce smaragdei
Auro includuntur, teriturque thalassina vestis
Assidue, et Veneris sudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ;
Interdum in pallam, atque Alidensia, Chiaque vortunt.

moda amoris, quæ res damnosa est, et misera servitus; suspicionibus obnoxia, et cujus, nisi prorsus insanias, pœniteat necesse est. *Creech.* — *Nervos;* id est, vires quæ domicilium et sedem habent in nervis. *Pius.*

1119. *Labitur res.* Res familiaris dilabitur, dissipatur, perit. *Lamb.* — *Vadimonia.* Amantes contracto ære alieno vocantur in jus, et vades dare coguntur.

1120. *Ægrotat fama vacillans.* Translata est oratio, et hominem, opinor, respicit a morbo convalescentem, atque se baculo suffulcientem: videas animadversa ad III, 503. Ceterum innumerabilia sunt exempla hujusce translationis in utriusque linguæ scriptoribus. *Wak.*

1121. *Unguenta rident.* In hoc Lucretii loco, duabus clausulis idem verbum sufficit, quamvis unam minus accurato sensu contingat, ad consuetudinem poetis, brevitati consulentibus, perquam familiarem, nec prosis etiam scriptoribus ignotam. Trita res est, atque alibi in his commentariis notata. *W.* — *Sicyonia.* I. e. calcei Sicyonii, quibus lauti homines et delicati utebantur. Interpretes certatim proferunt Ciceronem, De orat. I, 54, quem videas. Super his calceamentis plura legas apud Clem. Alex. in Pædag. II, 11. *Wak.*

1122. *Viridi luce smaragdei;* II, 805.

1123. *Teritur.* I. e. res amatoria non feliciter procedit, nisi vestes pretiosissimæ, quæ solummodo peculiares in occasiones induuntur, usu diurno conterantur. *W.* — *Thalassina vestis.* Id est, ἁλιπόρφυρος; *hyacinthina læna* Persii, Sat. I, 32. Conf. nostrum supra vs. 73, cum Plaut. Mil. Glor. IV, 4, 43. *Wak.*

1124. *Sudorem.* I. e. palæstræ Cypriæ laboribus elicitum, ut Petron. sect. 87. *Wak.*

1125. *Et bene parta patrum.* Patrimonia; bona quæ patres per virtutem et industriam paravere. — *Anademata, mitræ.* Glossarium vetus: «ἀναδήματα, redimicula». Nonnulli, collato Virg. Æn. IX, 616, de sociandis vocibus *anademata mitræ*, ut mitræ sit in casu patrio, cogitaverunt; sed his disjunctis aliquid inest αὐξητικόν. *Wak.*

1126. *Atque Alidensia, Chiaque.* Permultum negotii locus hicce mihi facessivit: cujus tamen suscepti nequaquam pœnitet, quum in tantum non certissimis haberi possit, me Lucretium redonavisse pristina ejus atque genuina lectione. Vulgo scribitur editoribus, *ac Melitensia, Ceaque,* ex emendatione conjecturali solummodo Adriani Turnebi. Jam vero, haud temere pronunciem, utrum sic *Alidensia* Lucretius ob versum scripserit, an debeamus reponere *Alinensia,* aut *Halydiensia* denique; quum diversimode scriptoribus ea civitas exhibeatur nominata: adi Plinium, Nat. Hist. V, 29, sub

Eximia veste et victu convivia, ludei,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur;
Nequidquam; quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat:
Aut quom conscius ipse animus se forte remordet,
Desidiose agere ætatem, lustrisque perire;
Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit;
Quod, cupido affixum cordi, vivescit, ut ignis:
Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri
Quod putat, in voltuque videt vestigia risus.

fin. et quos ibi suscitavit Harduinus, cum Stephano Byzantio in voce. Interea, non mirum est, sumptuosissimas vestes *Alinda* provenisse, civitate Cariæ, regionis conterminæ scilicet Lydiæ Phrygiæque : quarum provinciarum vestimenta purpurea maximo apud veteres haberentur pretio, sintque plurimum decantata. *Chia* etiam vestimenta non de insula hoc nomine intelligenda sunt, sed de Cariæ itidem civitate : ita ut altera vox alteram roboret, et invicem lumen præbeat. Stephanus Byzantius, voce Χίος: Ἔστι καὶ ἑτέρα πόλις Καρίας Χίος. Plinius insuper oppidi cujusdam *Chii* mentionem fecit, in Nat. Hist. XVI, 6. *Vortunt ;* neutro sensu, pro *vertuntur;* ut supra vs. 136, ad quem versum, ne dicamus alibi, satis diximus. *Wak.*

1127. *Eximia veste*, etc. Convivia pretiosis dapibus et toris instructa.

1129. *De fonte leporum.* etc. Id est, Nonnihil amaritudinis *ebullit* cum aquis eo ex fonte, unde exspectavisses dulces solas *scaturire.* Adeas autem, si venustates loci degustare rite velis, et sermonis proprietates perspicere, nostram Silv. Crit. III, p. 131; IV, p. 234. W.

1130. *In ipsis floribus angat.* Delabi potest videri noster ad novam figuram; i. e. anguis inter flores delitescentis, loco spinæ in caula rosacea subrectæ; priore deserta translatione : sed re vera non est hujusce inscitiæ postulandus; quod tibi satis declaratum dabit vs. 1127 cum III, 926 commissus : vel, si mavis, non minus eleganter interpreteris a II, 29-34, quasi per ripas reclinati γλυκυπίκρους latices fluvii prætereuntis biberent. Verum alia ratio videtur anteponenda, ut poetica magis et exquisita : spina scilicet subinde vulnerante, quæ in sertis relicta gerentem fefellerit. Sic omnia cohærent. *Wak.*

1131. *Quom.* Alii *quod.* — *Remordet ;* III, 839.

1132. *Lustris perire.* Cicero, Philip. II, 3, « vino *lustris*que confectus». *Lustra* quidem proprie sunt *ferarum habitacula.* Facile autem ad designanda *lupanaria* vox progressa est; plerumque, ut credibile est, ob harum rerum pudorem naturalem, in obscuris locis ab inspectione populi recondita. Confer Nonium Marcellum, IV, 272. *W.*

1133. *Verbum jaculata.* Aut quod ea quæ amatur aliquid ambigue locuta est. *Lamb.*

1134. *Quod ;* et illud, nempe verbum.

1135. *Aut nimium*, etc. Aut quia amator putat illam oculos nimium *jactare*, huc et illuc torquere, aliumque virum intueri. *Lamb.*

1136. *Risus ;* quem conspectus al-

Atque in amore male hæc proprio summeque secundo
Inveniuntur : in advorso vero atque inopi sunt,
Prendere quæ possis, oculorum lumine aperto,
Innumerabilia : ut melius vigilare sit, ante
Qua docui ratione, cavereque, ne illiciaris.
Nam vitare, plagas in Amoris ne jaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, et validos Veneris perrumpere nodos.
Et tamen implicitus quoque possis, inque peditus,
Effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes,
Et prætermittas animi vitia omnia primum,
Ut quæ corpori' sunt ejus, quam perpetis, ac vis.

terius jucundior elicuerat, ultra vires dissimulationis. *Wak.*

1137. *Male;* sic vere et exquisite optimi codices. Vulgo *mala.* W. — *Proprio.* I. e. vere nostro, cujus nullus est particeps; qui sine rivali feliciter exercetur. Hanc interpretationem duo proxime præcedentes versus cuivis animum advertenti statim suggerunt. *Wak.*

1138. *Inveniuntur. Invenior* nempe, ad morem vocis gemellæ Græcorum εὑρίσκεμαι, sæpiuscule vim quamdam verbi substantivi tantummodo continet. Testis sit Horat. Epist. II, 1, 112: «*Invenior* Parthis mendacior». Conferas S. Paul. ad Rom. VII, 10; 1 Cor. IV, 2, ne locos plures excitem. *Male inveniuntur* igitur valet *male sunt*, vel infeliciter cedunt, *in amore.* Simile legas in Homeri Il. I, 324. *Wak.* — *Inopi.* I. e. opibus suis, vel amica, non potito: uti probe Lambinus etiam. *Wak.*

1139. *Aperto.* Si modo oculos aperias, primo statim intuitu, ea possis deprehendere. Vide Disq. var.

1140. *Ante.* Hanc vocem cum *vigilare* jungit Creech. Id est, antequam te amor possumdet. Sed ea, quam recepere Wak. Eichst. Forb. lectio melius habet, *ante docui*, scil. vs. 1059 sqq. Ed.

1142. *Plagas*, retia, laqueos.— *Ne jaciamur;* ne nosmetipsos jaciamus vel immittamus. Lamb. quem edd. vulg. sequuntur, *laciamur* e conjectura.

1143. *Ita*, tam, *quam;* v. Disq. var. ad II, 1037. — Conferas Ovid. Remed. am. 81, in quo carmine multa sunt hunc locum totum Lucretii attingentia; a quibus tamen adscribendis ob copiam nimiam abstinemus. *Wak.*

1145. *Inque peditus.* Perstat in figura Noster. *Impedire* enim proprie valet, *illigatis pedibus* constrictum tenere: i. e. pedicis tenere: vide Nonium, I, 285. Glossator vetus accuratissime: «*Impeditus*, ἐμποδιζόμενος». Similiter Plautus, et appositissime, Truc. I, 2, 17, et Mil. Glor. IV, 9, 11. *Wak.*

1146. *Infestum.* I. e. τὸ βλαπτικὸν, τὴν βλάβην: namque eos falli puto, qui velint *amorem* nomen subintelligi. Ovidius Trist. V, 5, 51. *Wak.*

1148. *Ut quæ;* id est, *ita* prætermittas animi vitia, *ut* corporis *etiam vitia* prætermittis. Nihil perfectius, aut dilucidius: temerarii tamen et audaculi editores de suo scripsere *Tum. Wak.* — *Ejus quam perpetis;* feminæ illius quam misere amas. Vulgo *percupis.* — *Perpetis* recte, ut mihi videtur, nisi forte

Nam faciunt homines plerumque, cupidine cæcei,
Et tribuunt, ea quæ non sunt heis commoda vere.
Multimodis igitur pravas turpeisque videmus
Esse in deliciis, summoque in honore vigere.
Atque alios aliei irrident, Veneremque suadent
Ut placent, quoniam fedo afflictentur amore;
Nec sua respiciunt miserei mala maxuma sæpe.

Nigra μελίχροος est; immunda ac fetida, ἄκοσμος·
Cæsia, Παλλάδιον· nervosa et lignea, Δορκάς·

melius scribas *præcipis*, quod innuere videtur optimus ex Lugd. Bat. *perpetere* est valde petere, *præcipere* vero ante animo et imaginatione rapere. *Hav.*

1149. *Nam faciunt.* Editores infercire solent pronomen *hoc* inter *Nam* et *faciunt:* audacius, an inscitius, egomet haud dicam temere. Ordo est: « Nam homines, cæci cupidine, faciunt ea commoda (i. e. *confingunt*), et tribuunt, quæ non vere mulieribus contigerunt ». *Wak.*

1150. *Commoda.* I. e. elegantes dotes amori conciliando idoneas. Terentius, Heaut. III, 2, 10: « Mulier commoda et faceta ». *Wak.*

1151. *Pravas.* I. e. quibus in aliqua parte corporis est distortio quædam et depravitas membrorum: *turpeis* autem, quibus vultus fedus est atque inhonestus. *Wak.*

1153. *Atque alios aliei irrident.* Vide hominum vecordiam! qui invicem se irrident, alter alterum, dicentes amare turpiculum scortillum, illepidum, atque inficetum; quum ipsi habitudinis deterioris et deformioris puellam colant et adorent. *Wak.* — *Suadent.* De diæresi cf. ad I, 224; IV, 621.

1154. *Ut placent.* Atque adeo inimicitiam Deæ devincant, quæ ad amorem solet homines incitare, quoties illis irascatur. Plenæ sunt istiusmodi rebus poetarum paginæ. Appositus et Horatius, Sat. II, 3, 13.—*Afflictentur.* I. e. gravissime exerceantur, quasi *terræ* per ictum violentum *alliderentur:* καταπονῶνται. Dictys Cretensis, II, 5: « Telephus ... *dolore* vulneris immodice *afflictabatur* ». Ita Suetonius, et alii, figurate; respicientes consuetudinem summis miseriis laborantium, qui se volutabant humo, et sponte solo impingebant. *Wak.*

1156. *Nigra* μελίχροος *est.* I. e. nigra, quæ vero nomine debuerat audire μελάγχρους. Nigra, inquam, nomen nanciscatur *flavæ*, vel *melleo colore.* Sic Ovidius, *flava* Chlide; et Horatius, *flava* Chloe. *Wak.* — Ἄκοσμος. Quasi non idoneo cultu corpus curaret illa, comeretque. Ita rem voce leniore molliens, et obscuritatem quamdam, utpote non indigena, præ se ferente. *Wak.*

1157. *Cæsia.* Hinc igitur concludimus, *cæsios*, vel *glaucos*, oculos mulierum infamari apud veteres elegantibus formarum spectatoribus. W. — Παλλάδιον. I. e. dulcicula quædam atque tenellula γλαυκῶπις Ἀθήνη. *W.*—*Nervosa et lignea.* I. e. ita rigidis constrictisque nervis, ita duro strigosoque corpore, ac si *ligneis* fibris compingeretur. — Δορκάς, i. e. *dama*, vel *caprea;* cui, utpote ad rapidos cursus a natura comparatæ, rigidus nervorum *vigor* est, et *aridites* membrorum macilenta. *Wak.*

Parvola, pumilio, Χαρίτων μία, tota merum sal;
Magna atque immanis, κατάπληξις, plenaque honoris;
Balba, loqui non quit? τραυλίζει· muta, pudens est;
At flagrans, odiosa, loquacula, Λαμπάδιον fit;
Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom vivere non quit
Præ macie; ῥαδινὴ vero est, jam mortua tussi;
At gemina et mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho;

1158. *Parvola, pumilio.* Wak. conjunctum vult *parvola pumilio*, id est, parvissima omnium, adeo parva ut sit etiam pumilio; mihi tamen melius videbatur, commate post *parvola* restituto, locum sic intelligere : parvola, quæ aliis pumilio diceretur, ipsi amanti est una Gratiarum; aliter enim nimius esset pleonasmus. *Forb.* — Χαρίτων μία, vulgo ἴα; sed alteram lectionem diserte Lugd. 1, 2 exhibent. — *Merum sal.* Onomasticon vetus : « *Sales*, ἀστειότης », i. e. lepores. Confer nostram Silv. Crit. sect. CXLV. Hic autem usus vocabuli *salis* longe tritior est, quam qui se poscat operosis collectaneis illustrari. *Wak.*

1159. Κατάπληξις. I. e. quæ horrorem quemdam venerabilem specie corporis incutiat. *W.* — *Plenaque honoris.* Non de nihilo est vox *plena*, sed habet multum argutiarum : nempe, quasi dixerit, « Non *plena carnis* et *pinguitudinis*, sed honoris » : nam, in habitu hominis declarando, *plenus* et *gracilis* voces adeo invicem opponi solent, ut hæc *maciem* describat, *obesitatem* illa. Ovidius, Art. Am. II, 660, nostrum respexit, nec mediocriter illustrat. *Wak.*

1160. Τραυλίζει. I. e. Phavorino interprete, νηπιωδῶς λέγει. *Infractas* autem conantium infantulorum loquelas [illegible] m gaudio atque osculis excipere solemus scilicet. *W.* — *Pudens.* I. e. lepide loqui et fluenter polleuti nimia solum obstat verec[illegible]ndia. Longe appositissimus Horatii versus mihi in mentem venit, sed Lambinus, ut video, præcepit, Sat. I, 6, 57 : « *Infans* namque *pudor* prohibebat plura profari ». *Wak.*

1161. *Flagrans.* I. e. ingenio fervido et vehemente; quod accendit perpetua garrulitate linguam. Sic ira, libidine, et similibus, homines *flagrare* perhibentur. *Facula* autem, vel λαμπάδιον est ignis jucundus, et carens periculo. Porro, *Lampadion* nomen est mulieris in fragmento Varronis, apud Nonium, II, 906, quod Havercampus etiam indicavit : et *Lampadio* servi, in Plauti Cistellaria; primitus ex officio fortasse derivatum : vide Hom. Od. A, 428, et nostrum in II, 24. *Wak.* — *Odiosa*, ob nimiam scilicet *garrulitatem.* Plautus, Bacch. I, 2, 28. *Wak.*

1162. Ἰσχνὸν ἐρωμένιον. I. e. *gracilis amicula*, uti Lambinus accuratis verbis interpretatus est. *Wak.*

1163. Ῥαδινὴ, *teres;* cui lineamenta corporis delicata sunt tenuitate rotundata : quæ tenuitatem sane præ se fert, nec siccitatem macilentam tamen. Parum distant ἰσχνὸς ac ῥαδινὸς, *gracilis* et *teres. Wak.*

1164. *Gemina.* I. e. grandis, ampla, turgida, carnosa atque succulenta. Ita Græci usurpant δίπλοος, et Latini etiam *duplex.* — *Mammosa;* i. e. ὑπερμαζῶσα καὶ ἀσυμμέτρως ἔχουσα τῶν στέρνων, sicut Synesius elegantissime locutus est, in Epist. IV, non longe a fine. *Grandiores mammæ* scilicet minore erant in pretio veteribus. *W.* — *Ceres ab Iaccho.* I. e. mammosa facta ab Iaccho; quum

Simula, Σιληνὴ ac Σατύρα est; labiosa, φίλημα. 1165
Cetera de genere hoc, longum est, si dicere coner.
Sed tamen esto jam quantovis oris honore,
Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur;
Nempe aliæ quoque sunt: nempe hac sine viximus ante:
Nempe eadem facit, et scimus facere omnia turpeis; 1170
Et miseram tetris se suffit odoribus ipsa,
Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant.
At lacrumans exclusus amator limina sæpe
Floribus et sertis operit, posteisque superbos

nempe recens esset a Bacchi partu, adeoque uberibus mammarum prædita σατύροιν et lactantibus. Nimirum, plurimis veterum Bacchus erat Semele prognatus; nonnullis Cereris maritus (Anecd. Græc. Villois. I, p. 110); aliis rursus, Proserpinæ, vel Cereris (Herodot. II, 123) filius. *Wak.*

1165. *Simula*, Σιληνὴ, Σατύρα. *Silenum*, *Satyros*, et id genus numina agrestia, *simis naribus* donari, quis ignorat? Unus huic rei illustrandæ idoneus est Luciani locus, Deor. conc. sect. 4. — Φίλημα. I. e. «labris est ita prominentibus, ut videatur esse merum osculum»: vel, «nihil est, quanta quanta sit, nisi os parvulum et delicatulum». Nam «ab *ore* dicitur *osculum*», uti Nonius Marcellus, V, 11, docet, ex Varrone. *Wak.*

1166. *Cetera de genere hoc.* Similem omnino locum confer apud Horat. Sat. I, 3, 43 sqq. et apud nostratem Molière, *le Misanthrope*, act. II, sc. 5. Neque abludit plane Juvenalis in Sat. VIII, 32 sqq. Ed.

1167. *Sed tamen esto jam.* I. e. sed tamen demus, eam esse eximia forma, demus esse venustissimam, atque adeo ipsi Veneri parem: at aliæ sunt item formosæ: at sine hac antea vixímus. *Lamb.*

1168. *Veneris vis.* Cf. IV, 1050.

1169. *Nempe, nempe.* Elegantissime sermonis objurgatorii naturam expressit poeta. Sic apud Plautum, Rud. II, 7, 9. *Preig.*

1170. *Turpeis.* Vulgo scribitur, *turpi*: quum vero liqueat, omnia antiqua exemplaria præbere *turpis*, certissimum est τὸ *turpis* velle casum quartum pluralis numeri, et locum castissime procedere ad scripturam membranarum sine vel levissimæ mutationis ope; nam *eadem et* Lucretianam esse formulam usu discimus, pro vulgari *eadem ac*, vel *eadem atque*; alicubi supra, et III, 8. Sensus est: «Eadem omnia facit, quæ scimus turpes et immundas facere». Nempe rem indecoram honestis verbis obvolvit noster. Ceterum Creechius opportunissime quidem laudat Ovid. Remed. amor. 437. *Wak.*

1171. *Miseram*; nimirum quia fœtida et immunda. — *Tetris odoribus.* Id est, *potentibus* potius atque efficacibus, quam injucundis; nam naturales immunditiæ suffimentis bonis erant devincendæ. Ne dicam verbum ipsum *suffire* vix *odoribus* vitalibus competere. *Wak.*

1172. *Famulæ fugitant*; vel ob acres odores suffimentorum, vel, quia ne tunc quidem tolerare valeant, etiam tanto opere medicatam. *Wak.*

1174. *Floribus et sertis.* Per hendyaden, pro *floridis*, vel *floreis sertis*;

Unguit amaracino, et foribus miser oscula figit.
Quem si, jam immissum, venientem offenderit aura
Una modo, causas abeundi quærat honestas;
Et meditata diu cadat, alte sumta, querela:
Stultitiaque ibi se damnet, tribuisse quod illi
Plus videat, quam mortali concedere par est.
Nec Veneres nostras hoc fallit; quo magis ipsæ
Omnia summopere hos vitæ postscenia celant,
Quos retinere volunt, adscriptosque esse in amore;
Nequidquam: quoniam tu animo tamen omnia posses
Protrahere in lucem, atque omneis inquirere risus:

quod Tibullo (I, 2, 14) magis placuit, et Catullo, LXIII, 66. — *Operit.* Rem aggravat noster, et accendit, quo vividius amatoris stuporem declaret, quasi tantam vim florum congereret, ut limen obstrueret transire cupientibus. Ovidius, Fast. II, 563. *W.*

1175. *Amaracino;* scil. oleo, seu potius unguento ex amaraco. *Lamb.*

1176. *Immissum;* id est, se immittentem, cupide et quasi vi intrantem; sic Virg. Æn. II, 495, *immissi Danai.* Wak. sequimur, qui hanc lectionem ex uno P protulit; omnes enim reliqui *missum.* Vulgares editi *admissum*, sine codd. auctoritate, ut videtur; itemque *veniens* legunt. Sed librorum omnium lectio *venientem* defendi potest, si ita intelligatur: quem licet avide irruentem, si tamen in ipso limine, etiam dum venit, vel minima res offenderit, etc. Ed. — Porro in illustrationem vocis *auræ*, consulas me in VI, 221. *Wak.*

1178. *Cadat... querela.* Et illæ de crudelitate ejus querelæ, ex imo pectore petitæ (vel longius accersitæ, quasi de professo, et magno cum molimine, dequesturus esset omnia singillatim) ac multis meditationibus maturatæ, conticescent, atque in æternum abjicientur pariter cum amica. *Wak.*

1180. *Videat;* sentiat se plus tribuisse.

1181. *Nec Veneres nostras hoc fallit.* I. e. nec hoc ignorant nostræ puellæ. Nam quos volunt in amore retinere, eos omnia vitæ suæ postscenia celant; id est, non admittunt eos in eam familiaritatem, ut eis suas sordeis domesticas, suæque vitæ inhonestam rationem aperiant. *Fallit*, i. e. latet, λανθάνει. *Lamb.*

1182. *Postscenia.* Vide Disq. var.

1183. *Adscriptos.* Metaphora est, vel a civibus in album relatis, vel a consuetudine militum cogendorum, derivata. *Wak.*

1184. *Posses;* δύναιο ἄν scilicet, quocumque demum tempore, si celare vellet. Sic scribitur in libris omnibus antiquis; editores tamen nobis obtrudere suum *possis* non erubuerunt. *Wak.*

1185. *Protrahere in lucem;* e tenebris nimirum, quæ post scenam caligant, in apertam theatri lucem; ut canes feram trahunt cæcis ex latibulis: vide sis I, 410. *W.* — *Omnes risus.* Id est, omnia, quæ feminas faciunt ridiculas et odiosas; omnes ridendi causas; omnia, quæ reverentiam minuunt: nam *risus* optime *reverentiæ* opponitur; quum, qui deridendi sunt, nunquam reverearmur: ac vicissim. *Wak.*

Et, si bello animo est et non odiosa vicissim,
Prætermittere humaneis concedere rebus.
Nec mulier semper ficto suspirat amore;
Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit,
Et tenet assuctis humectans oscula labris.
Nam facit ex animo sæpe; et communia quærens
Gaudia, sollicitat spatium decurrere amoris.
Nec ratione alia volucres, armenta, feræque,
Et pecudes, et equæ, maribus subsidere possent,

1186. *Odiosa;* quoniam ea turpicula, quæ Lucretius modo subnotaverit, dum risus movent, ad odium etiam pariendum sunt nimis comparata. Hinc autem nostra loci interpretatio multam lucem, et stabilitatem, mutuatur. *Wak.*

1187. *Prætermittere.* Alii *Prætermittet te* contra libros. Et nihil te persuadeat æquo animo ac benigno vitia amicæ tuæ contemplari : quantumvis animi dotibus sit elegantioribus instructa, quantumvis iis omnibus, quæ creant odium, diligenter se abstineat; constanter tamen recuses, vel omittas, illis etiam rebus concedere, et veniam dare, quas humana natura cavere nequeat. Ad literam : « Prætermittere τὸ concedere humanis rebus » : i. e. *Te mittes* præter concessionem humanis rebus; ut qui locum præterit, vel prætervehitur, quasi, quem adeat et inspiciat, indignum. Jam vero futurum tempus, ex laudatissimorum scriptorum usu, non minus præceptis daudis inservire, quam imperativum et subjunctivum præsentem, adeo protritum est, ut huic indocti cujusdam fortassis objectioni pene nos pudeat occurrere. Horatius, ad Epist. I, 18, 37 : « Arcanum neque tu *scrutaberis* illius unquam, Commissumque *teges,* et vino tortus et ira ». *Wak.*

1188. *Ficto suspirat amore.* Broukhusius ad Tibull. I, 7, 41 legendum proponit, *fictos amores :* oppido inscite. Nempe, *suspirare amores,* est « cum desiderio cupere » : rursus *suspirare amore,* valet « præ violentia amoris ducere suspiria ». *Wak.*—De meretriculis, quæ tantum propter quæstum faciunt, et prohibent conceptum, satis. Jam dicturus cur liberi sint modo patribus, modo matribus, modo utrique parenti similes, aliquando vero avos et proavos referant, præmittit vss. 17, quibus docet quasdam feminas ex animo facere, propter voluptatem quam non minus quam mares percipiunt. Communia enim sunt Veneris gaudia, quod brutorum animalium conjunctiones abunde probant. *Creech.*

1190. *Oscula labris.* I. e. comprimit *os tenerum* amatoris ore proprio; vide notata ad vs. 1165. *Wak.*

1191. *Facit;* scil. illa omnia, quæ dixi, *ex animo* nihilque simulans; vel *facit ex animo,* id est, amat ex animo. *Lamb.*

1192. *Sollicitat;* nempe mulier virum. Interpretes non ceperunt constructionem : et hinc varietas *sollicitant* exorta est; quam lectionem sane vulgatæ prætulissem, si τὸ *quærens* non obstaret. *Wak.*

1193. *Ratione alia,* quam per mutuam gaudii cupiditatem scilicet. *Wak.*

1194. *Subsidere.* I. e. succumbere. Venusinus vates vocem arripuit, in Epod. XVI, 31. *Wak.*

Si non, ipsa quod ollorum subat, ardet abundans
Natura, et venerem salientum læta retractant.
Nonne vides, Memmi, quos mutua sæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
In triviis quom sæpe canes, discedere aventes,
Divorsei, cupide summis ex viribu' tendunt,
Quom interea validis Veneris compagibus hærent?
Quod facerent nunquam, nisi mutua gaudia nossent;
Quæ jacere in fraudem possent, vinctosque tenere.
Quare etiam atque etiam, ut dico, est communi' voluptas.
Et commiscendo quom semine forte virili
Femina vim mulxit subita vi, corripuitque;

1195. *Si non*, etc. Nisi illarum quoque libido ardesceret. *Cr.* — *Subat, ardet;* vide Disq. var.— *Abundans Natura;* confer Aristotelem, Hist. An. VI, 18, et Virg. Georg. III, 281, ut discas unde translata sit Lucretii locutio. *Wak.*

1196. *Retractant.* Vulgari solet, *læta retractat;* sed has varietates constructionis poeta noster studiosissime consectatur, et optimis libris obtemperandum est. Sic, in versu superiore, *illorum* maluit, ut ad *animalia* vox referretur, præ *illarum*, quod præcedentia exposcere videbantur. *W.* — *Salientum læta.* Ovidius, Art. Am. II, 485, nostrum forte an respexerit: « *Læta salitur* ovis ».—*Retractant.* I. e. *rursus*, αὖ, vel vicissim, pro sua parte, *tractant;* de rariore scilicet dictionis usu, nec lexicographis memorato, vide mox ad vs. 1266. *Wak.* — Vide Disq. var.

1197. *Memmi.* Alii *etiam.* Observavimus jam non semel aberrationes scribarum in propriis nominibus esse frequentiores; ut supra, vs. 1126. *W.*

1198. *Excrucientur.* Tam violens nimirum est hic ardor naturæ, tanta hæc mutuæ voluptatis sitis, ut per cruciatus etiam appetatur. *Wak.*

1199. *In triviis quum.* Est exemplum versuum illorum *nonne vides*, etc. Vulgo *quin*, vel *non*, contra libros.

1200. *Divorsei.* Hic versus in universis libris antiquis sequitur vs. 1206, sed videtur huc recte retractus editoribus hodiernis. *Divorsei.* I. e. *se*, alius in aliam partem, *vertentes;* ad mediæ vocis potestatem. *Wak.*

1201. *Compagibus*, vinculis, nodis, nexu.

1203. *Jacere.* Lambinus, et editores plures, eum secuti, *lacere;* audacissime, contra libros universos veteres. Redeas autem ad vs. 1142 superius. — *In fraudem.* I. e. in decipulam; quasi in *laqueos*, vel *rete;* translatione, quam per totum locum poeta persecutus est, nondum omissa. Ad eumdem modum omnino Virg. Æn. VI, 609, locutus est: « *fraus innexa* clienti ». *Wak.*

1205. *Semine virili.* Vulgo scribunt ex arbitrio, *semen virile:* sed nomen post verbum sequens facile potest subaudiri, et tantam temeritatem lucrifacere. *W.* — *Commiscendo semine.* Huc referri debet Virgil. Georg. II, 327: « magno commixtus corpore ». *Wak.* — Vide Disq. var.

1206. *Vim mulxit.* Sic cum Eichst. edidimus, ut sensus totius loci sit: Si in

Tum similes matrum materno semine fiunt,
Ut patribus patrio: sed, quos utriusque figuræ
Esse vides juxtim, miscenteis volta parentum,
Corpore de patrio ac materno sanguine crescunt,
Semina quom, Veneris stimulis excita per artus,
Obvia conflixit conspirans mutuus ardor;
Et neque utrum superavit eorum, nec superatum est.
Fit quoque, ut interdum similes exsistere avorum
Possint, et referant proavorum sæpe figuras;
Propterea, quia multa modis primordia multis
Mixta suo celant in corpore sæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt a stirpe profecta.
Inde Venus varia producit sorte figuras;
Majorumque refert voltus vocesque comasque:
Quandoquidem nihilo minus hæc de semine certo
Fiunt, quam facies et corpora membraque nobis.
Et muliebre oritur patrio de semine seclum,

utriusque sexus semine commiscendo femina vim seminis virilis subita vi emulget, id est, elicit et attrahit, etc. Quæ latius persequi pudet. De forma *mulxit* vero pro *mulsit* cf. Prisc. IX, 9, § 50; Diomedes, p. 363 P. et Ruddim. Inst. Gr. I, p. 221, not. 2. *Forb.* — Vide Disq. var.

1207. *Similes matrum*, et similes *patribus*. Nimirum, Latini sermonis usus frequentior te docebit, *externæ figuræ* similitudinem tam secundo, quam tertio casu substantivi cum nomine *similis* consociati posse significari; similitudinem vero *morum* tertio casu designari nunquam. *Wak.*

1209. *Volta*, seu *vulta*, ut Nonius Marcellus III, 260, qui neutrius generis aliud exemplum protulit, ex Ennio. *Wak.*

1212. *Conflixit*, quasi commisit, collisit. *Lamb.*

1213. *Neque utrum*, id est, neutrum, οὐδὰ ἕτερον exemplo rariore. *W.*

1214. *Similes*, non facie tenus, sed et mente. *Hav.* — Crediderim tamen de corporis habitu tantum loqui poetam; quod confirmat seq. *figuras*. Ed.

1216. *Multa modis*, etc. I, 1023; II, 115, 654.

1218. *Patribus*. Filiis nimirum suis, qui susceptis liberis patres sunt. *Lamb.*

1221. *Quandoquidem nihilo minus*. Hoc referendum est ad illud quod proxime dixerat, Venerem sæpe referre non solum vultus, verum etiam voces et comas majorum. Quod quia mirum alicui videri poterat, subjiciens rationem, quandoquidem (inquit) hæc, nempe comæ et voces, nihilo minus constant de semine certo, quam oris forma, et totius corporis habitus et figura. *Lamb.*

1223. *Muliebre seclum*, genus, propago, I, 21.

Maternoque mares exsistunt corpore cretei.
Semper enim partus duplici de semine constat:
Atque, utri simile est magis id, quodquomque creatur,
Ejus habet plus parte æqua, quod cernere possis,
Sive virum suboles, sive est muliebris origo.
Nec divina satum genitalem numina quoiquam
Absterrent, pater a gnatis ne dulcibus unquam
Appelletur, et ut sterili Venere exigat ævom;
Quod plerumque putant; et multo sanguine mœstei
Conspergunt aras; adolentque altaria donis,
Ut gravidas reddant uxores semine largo.
Nequidquam Divom numen sorteisque fatigant:
Nam steriles nimium crasso sunt semine partim,
Et liquido præter justum tenuique vicissim.

1224. *Corpore;* quoniam semen per membra atque artus toto corpore decedit; vs. 1039. *Creech.*

1227. *Plus parte æqua.* Plus æquali parte: i. e. habet plus ejus cui magis similis est, quam ejus cui minus similis est. *Lamb.* — Huc facit opere maximo fragmentum Stobæi Ecl. phys. lib. I, p. 87. *Wak.*

1228. *Virum*, virorum.— *Origo.* Sic Ovid. Met. I, 352, *patruelis origo. W.*

1229. *Divina numina*, Deorum nutus, II, 633. *Wak.* — *Satum.* Non. Marc. II, 806, «*satu* positum pro *semine*». *Wak.* — Causæ sterilitatis, quas attulit ex temperie seminis vss. 31 probæ quidem et veræ: quas e motibus nequioribus vss. 15, illæ non absurdæ, sed parum pudicæ: a Diis autem viro vel feminæ sterilitatem immitti negat, neque id mirum si e thalamis excludat istos Deos, quos in intermundiis collocavit. *Creech.*

1230. *Gnatis;* sic omnes libri, non *natis.*

1232. *Plerumque.* De suo editores, *plerique;* audacter nimis et inscite, contra libros universos. Constructio vera est, «*plerumque* hominum *putant*»: consulas doctos commentatores ad Sallust. Jug. XXI, 2, ed. Cort. Liv. XIV, 9, 2. *W.*

1233. *Aras, altaria.* Conferas Virg. Æn. II, 514, 515; VIII, 284, 285. — Vide nos ad Lucan. III, 404. Ed. — *Adolent altaria donis.* Idem Mantuanus, ibid. V, 54, «strueremque suis *altaria donis*»: et VII, 71, «castis *adolet* dum *altaria* tedis»: ne totam phrasim Lucretii non insumeret. Et notanda est Virgiliana interpretatio vocis *adolet,* in Æn. XI, 50 :« *cumulat*que altaria donis»: i. e. *crescere* facit, vel *adolescere;* struit, auget, *adolet:* cave dicas, cum interpretum vulgo, τὸ *adolere* idem esse cum *incendere.* Nos videndi infra ad V, 798. *Wak.*

1235. *Fatigant;* II, 1170. Horat. Od. I, 2, 26; Silius Ital. VI, 573, ubi vide Drakenborch.

1236. *Nam*; causas nunc affert sterilitatis, duasque statuit: unam, quod semen nimis crassum sit; alteram, quod nimis tenue. *Lamb.*

1237. *Præter justum*, supra quam

Tenue, locis quia non potis est affigere adhæsum,
Liquitur extemplo, et revocatum cedit abortu.
Crassius hic porro, quoniam concretius æquo
Mittitur, aut non tam prolixo provolat ictu,
Aut penetrare locos æque nequit, aut penetratum
Ægre admiscetur muliebri semine semen:
Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur;
Atque alias aliei complent magis, ex aliisque
Suscipiunt aliæ pondus magis, inque gravescunt.
Et multæ steriles Hymenæis ante fuerunt
Pluribus, et nactæ post sunt tamen, unde puellos
Suscipere, et partu possent ditescere dulci;
Et, quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent
Uxores parere, inventa est olleis quoque compar
Natura, ut possent gnatis munire senectam.

satis sit. *Lamb.* — *Vicissim;* opponitur τῷ *partim.*

1238. *Affigere adhæsum*, quasi affigere particulas, aptas adhæsioni, insolito dicendi genere : redi sis autem ad III, 382. *Wak.*

1239. *Abortu;* i. e. *cum* abortu, per abortionem : sic enim junctim scribitur in B. L. M. Ω, reliqui, ut vulgari solet *ab ortu*, disjunctis vocibus : quod non capio, neque editores declaraverunt. *W.*

1240. *Hic.* Sic bene Wak. quum hæc particula vel apud optimos scriptores rei progressum denotet : vulgo *hoc. Forb.*

1241. *Non tam prolixo;* ideo non tam longe fertur quam par est. *Creech.*

1242. *Aut penetratum;* i. e. *quum se penetraverit;* ad veram scilicet Græcorum mediæ vocis potestatem. *Wak.*

1244. *Harmoniæ Veneris.* Docet, alios viros aliis feminis ad procreationem liberorum convenire. Itaque multum interesse qui vir cum qua muliere matrimonio copuletur, et nuptias contrahat. *Harmoniæ*, i. e. convenientiæ. *Lamb.*

1245. *Complent;* sic *implere* apud Ovid. Fast. V, 617; Lucan. VIII, 409. *Wak.*

1246. *Pondus* uteri.—*Ingravescunt.* Virg. Georg. II, 429, « fetu nemus omne gravescit ». *Wak.*

1247. *Hymenæis.* Multæ pluribus hymenæis, i. e. pluribus nuptiis, antea steriles fuerunt, neque ex viris pluribus liberos suscipere potuerunt, etc. *Lamb.*

1248. *Et nactæ post sunt tamen.* I. e. et tamen postea alias nuptias nactæ, et alii viro junctæ sunt, unde liberos suscipere et fecundæ esse possent. *Lamb.*

1250. *Ante fecundæ;* i. e. in prioribus Hymenæis; ut hoc exemplum undequaque consentiat priori, in vs. 1247 proposito. Lambinum hæ dictiones valde cruciatum habuerunt, neque intellectæ sunt interpretibus. *Wak.*

1252. *Natura.* Lamb. intelligit, τῇ φύσει comparem uxorem; equidem malim jungere *compar natura* recto casu, id est, femina comparis naturæ. Ed. —

Usque adeo magni refert, ut semina possint
Seminibus commisceri genitaliter apta,
Crassaque conveniant liquideis, et liquida crasseis.
Atque in eo refert, quo victu vita colatur:
Namque aliis rebus concrescunt semina membris,
Atque aliis extenuantur, tabentque vicissim.
Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni refert; nam more ferarum,
Quadrupedumque magis ritu plerumque putantur
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt,
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
Nec molles opu' sunt motus uxoribus hilum:
Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet,
Atque exossato ciet omni pectore fluctus:
Eicit enim sulcum recta regione viaque

Gnatis munire; quasi præsidium sint nati parentum senescentium, et fulcimen domus inclinatæ: vide nobis animadversa super hac re, ad II, 643. *Wak.*

1253. *Usque adeo magni refert.* Vide Disq. var.

1254. *Genitaliter apta;* quæ Virgilius, in Georg. II, 324, *genitalia semina* nuncupavit: i. e. Servio interprete, semina, quibus aliquid procreatur, et gignitur»: vel Plutarcho, Plac. phil. vs. 9, σπέρμα, ἐν ᾧ τὸ ζωοποιητικόν ἐστιν.

1258. *Extenuantur;* contracta syllaba, ut *tenvis* pro *tenuis.*

1261. *Quadrupedum ritu.* Cf. Ovid. Art. A. III, 786. *Wak.*

1262. *Loca,* vs. 1031. — *Sumere semina,* semen virile accipere.

1263. *Positis,* planis prostratisque.

1264. *Molles;* i. e. agiles; vide vs. 791 hoc libro: et de hoc regimine, quod sæpenumero attigimus (v. c. I, 1050), *motus opus sunt,* Nonium IX, 5 consulas. *Wak.*

1266. *Clunibus ipsa viri, etc.* Si clunium motu ipsa læta *Venerem,* i. e. voluptatem viri, *retractet,* i. e. iterum atque iterum tractet, et viro cluneis agitanti pariter respondeat. Sic sup. 1196: «et Venerem salientum, læta retractant». *Lamb.*

1267. *Exossato pectore.* I. e. pectore, ita mobili et tortuoso, ac si privaretur ossibus. Sed, si venustates exquisitas harum locutionum accuratius velis percipere, redeas ad III, 721. *Wak.*

1268. *Eicit,* διαύλαβος, ut III, 890. — *Sulcum recta via Vomeris;* adeo ut ille vomer, quum necesse sit ager curvus varos sulcos habeat, nullo modo valeat ὀρθοτομεῖν: vide nostram Silv. Crit. t. IV, pp. 58, 59. Virgilius ejusdem metaphoræ involucro rem velavit inverecundam, Georg. III, 135: «*Sulcos* oblimet inertis». *Wak.* — *Recta regione, viaque.* Per hendyaden hoc dicitur pro *recta regione viæ;* quam formam posuit superius, II, 249, et

Vomeris, atque locis avortit seminis ictum:
Idque, sua causa consuerunt scorta moveri,
Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent;
Et simul ipsa vireis Venus ut concinnior esset:
Conjugibus quod nil nostreis opus esse videtur.
Nec divinitus interdum, Venerisque sagittis,
Deteriore fit ut forma muliercula ametur:
Nam facit ipsa suis interdum femina factus,
Morigerisque modis, et mundo corpore culta,
Ut facile insuescat secum vir degere vitam.
Quod superest, consuetudo concinnat amorem:
Nam, leviter quamvis, quod crebro tunditur ictus,
Vincitur id longo spatio tamen, atque labascit.
Nonne vides, etiam guttas, in saxa cadentes,
Humoris longo in spatio pertundere saxa?

Virg. Æn. VII, 215. — *Suleum vomeris.* De his involutis obscœnitatibus Gatakerus egit copiose, in Opp. p. 70 et seqq. *Wak.*

1270. *Idque.* Π. *Atque.* Nempe exquisitiorem constructionem, ad quam centies habuimus *hoc* et *quod* in Lucretio, librarius inscitior, neç usu doctus, minime percalluit. Doleo Lambinum, Fabrumque, se nihilo sagaciores præstitisse. *Moveri*, i. e. *se movere*, ad mediam Græcorum vocem; ut alii Latinorum multi in hoc ipso vocabulo. *W.*

1271. *Gravidæ.* I. e. feminæ; quæ dictio in *scorta* comprehenditur, ad formulam dicendi pervagatam, et nobis sæpenumero illustratam. *Wak.*

1272. *Vireis*, viris; in dat. casu.

1274. *Nec divinitus.* Epicuri effatum poeta interpretatur, quod legitur in Diog. Laert. X, 118: Οὐδὲ θεοπεμπτὸν εἶναι τὸν ἔρωτα. *Wak.* — *Venerisque sagittis;* nempe, *deæ* 'cujuspiam, suo numine res amatorias hominum administrantis. *Wak.* — Demum quum amor a simulacris excitetur, et simulacra e formosis corporibus profluentia eum potissimum conciliant: unde deformes sæpe sint in honore et deliciis vs. 10? Cave ne divinitus hoc fieri dixeris, nam Dii id non magis curant quam Manes sepulti; in obsequio autem est venustas, et a munditie sæpe veniunt sagittæ: saltem consuetudo conciliat amorem. *Creech.*

1277. *Modis*, moribus obsequentibus et commodis, dum morem gerit viro. Alii *moris*, tarditatibus; minus apte. — *Mundo corpore culta.* Alii *corpori* culta; alii *munde corpore culto*, minus bene.

1278. *Facile*, libenter.

1281. *Labascit*, cedit titubatque, ut jamjam casurum; I, 538.

1282. *Guttas in saxa cadentes;* I, 314. Ovid. Pont. IV, 10, 5.

IN LIBRUM QUARTUM

DISQUISITIONES VARIÆ.

11. *Nam veluti*, etc. Quintilianus Inst. Or. III, 1, 4 locum hunc sic laudat: *Ac veluti... pocula circum aspirant mellis*, etc. In quo, præter levem diversitatem voculæ *Ac* pro *Sed* (I, 935) et *Nam* (IV, 11) nostrorum librorum positæ, majorem etiam reperimus differentiam, quæ nec librariis, nec infideli Fabii memoriæ tribui posse videtur. Pro verbo enim *aspirant*, «odore et sapore mellis imbuunt», apud Quintilianum obvio, codices nostri tantum non omnes exhibent *contingunt*, ita tamen ut nonnulli certe Lambini et Gifanii codices (quibus addi potest edit. Junt.) Quintiliani lectionem tueantur: quare, «quum *aspirant* utpote difficilius critico magis placeat, *contingunt* vero ipsum habeat aliquem vetustatis colorem», Spaldingius jam ad Quintil. l. l. hanc diversitatem e diversa ipsius Lucretii editione explicandam censuit. Quam tamen duplicem editionem ab auctore ipso profectam quum plura argumenta (vide supra pag. 50 sqq.) repudiare videantur, potius hanc differentiam seriori illi, quem sumo, editori vel corruptori in acceptis ferendam arbitror, ita ut *aspirant* ipsius Lucretii sit scriptura, *contingunt* vero serior correctio, quæ certe propter vetustum colorem non statim Lucretio ipsi necessario tribuenda est, quum ex libri primi vss. 933 et 946, (seu IV, 9 et 22) facillimo negotio derivari potuerit, quæ unius ejusdemque vocis crebra repetitio et ipsa probabilem reddit opinionem, Lucretium vel in uno horum versuum aliud scripsisse vocabulum. *Forb.*

26 sqq. *Sed quoniam docui*, etc. Index repetitionum, supra p. 69 exhibitus, continet locum III, 31-34, quem dixi hic iteratum legi; jam vero libris fidem habituro aliter collocandum esse pronuntio. Uno enim cod. Mus. Brit. Σ excepto, in quo, si Wakefieldum recte intelligo, versus illi omnino non repetuntur l. IV, in omnibus fere libris MSS et editt. vett. illo loco, quo vulgares editiones et ipse Wakefield. versus nostros l. IV iteratos exhibent, non leguntur, sed infra demum inseruntur post vs. 51, qui tamen et ipse alium occupat locum, ita nimirum, ut omnis locus, plane alia, quam in emissis adhuc editionibus, forma indutus, si Wakefieldi numeros spectamus, sic se habeat: vss. 25, 30-47, 51, 26-29, jam 33 et 34 iterati, 48-50, 52, etc. Verum quidem est, sensum et ordinem loci mire sic turbatum esse; quid vero, si ipsa illa, quam sumo,

serior interpolatio ansam dederit his turbis? ut nimirum codices summamus nostris antiquiores, in quibus ex utriusque recensionis, et a Lucretio ipso et a seriori ejus editore profectæ, collatione locus sic conflatus sit, ut seriores codd. eum receperunt, unde etiam vs. 33 et 34 repetitio optime explicari possit; nisi malis hos versus, a librariis oscitantibus propter simile initium vs. 35 et 48 huc positos, perturbationem jam cœptam magis etiam auxisse, quod tamen minus probabile videtur. Quocunque vero loco quatuor hos versus ponendos aliquis censeat, ego non l. IV a Lucretio repetitos, sed serius e libro III in hanc carminis seriem illatos censeo. Hanc suspicionem mihi injecit primum hæc ipsa res, quod illi in omnibus fere libris alieno loco positi cernuntur, in uno etiam omissi; deinde quod Lucretius vix ac ne vix quidem libri III argumentum vs. 30 his verbis adjecturus fuisset: *Atque animi quoniam docui*, etc., si jam antea vs. scripsisset: *Sed quoniam docui*, etc.; denique et hoc, quod horum versuum sententia, eorum indicem continens, quæ libro II jam demonstrata erant, a Lucretii more abhorrere videtur, qui sub initium novi libri aut ea modo solet in memoriam revocare, quæ proximo libro ante disputaverat (ut III, 31-34; VI, 43-46), aut omnium præcedentium librorum argumentum paucissimis verbis obiter potius innuit, quam diserte repetit (ut V, 56-64). *Forbiger.*

46. *Effigias.* MSS quidam habent *effugias*, quasi diceret Lucret. minimum hoc esse, quod Orcum non subiret, neque annihilaretur; verum superstes effugeret interitum reliquarum partium. Sed præfero vulg. lect. quam ipse confirmat vss. 83 et 103. *Hav.*

47. *Summo de corpore earum.* Sequutus sum cod. Vaticanum: nam ceteri habent *summo de cortice:* quam scripturam rejeci, quia ferri non potest. *Lamb.*

61. *Quæ.* Vulgo *hæc*, sine librorum auctoritate.

64. *Hiscendi est nulla potestas.* Magnam profecto gratiam debemus codici Bertiniano et Memmiano, quorum beneficio hic locus restitutus est: nam ceteri libri scripti nihil me juverunt, nisi quod in eis legitur partim *ostendi est*, partim *hostendi est.* Vulgati autem, in quibus legitur partim *ostendit*, partim *ostendi est*, multo sunt depravatiores. *Lamb.*

67. *Et formai.* Versum sic repræsento, ut Vossius quoque videtur constituisse ad libros omnes antiquos. *Wak.* — Vulgo *veterem et formæ.* Alii, *Solitam;* quidam *et consimilem*, seu *et conformem:* Gifanius, *et con formæ servare figuram;* scil. conservare.

70. *Nam certe jacere ac perciri.* Postremam vocem ex conjectura rescripsimus; est enim in hoc loco diversitas vexatissimæ scripturæ. *W.*

—In vett. libris: *jacere ac mergiri, corgeri, ciergiri.* Vulgati: *jaculari.* Ex quibus scripturis hanc feci, *Nam certe jaci, atque emergere.* Quod si quis malit ita reponi, *Nam jacier certe, atque emergere* (seu *emergi*) *multa videmus,* non pugnabo; satis est mihi lectori ingenioso scripturam veterem exposuisse, ut ex ea veram eliciat. Adr. Turneb. Adv. VII, 12 scripsit, sibi videri legendum, *Nam certe jacere, ac tergeri multa videmus,* etc. cui in eo, quod *tergeri* restituit, assensus sum in secunda editione: *tergeri* autem interpretor eradi, excerpi. *Emergere* tamen non est fortasse rejiciendum, neque a scriptura antiqua admodum abhorret. Judicet lector. Licet etiam fortasse legere, *Nam detergeri, atque emergere,* sive, *atque emergi multa videmus,* etc. Omnino enim, ne quid dissimulem, adverbium *certe* hic me suboffendit. *Lamb.*

75. *Fluctant.* Veteres libri quidam: *fluctus.* Quidam: *circum.* Alii aliter. Vulgati: *pendent.* Ego ex veterum librorum vestigiis, et ratione ductus, *fluitant* reposui. Numerus sic aptissimus peperit errorem. Vide et sup. III, 190. *Gifan.* — *Fluctant.* Post varias MSS mendas hanc lectionem suppeditat Voss. vet. quod mihi omnium optimum videtur, pro *fluctuant* videlicet dictum, neque tamen necesse est ideo mutare, quod sequitur vs. 78, *fluitare.* Nam dum *fluitant,* leni motu ventorum agitata vela sensim atque lente amœnam colorum ostendunt varietatem; dum *fluctuant,* majorem motum, pro venti moventis ratione, et non sine susurro et strepitu causantur. *Haverc.*

100 sqq. *Nam cur illa cadant.* Suspecti sunt hi tres versus, quorum primus et postremus leguntur jam vss. 63, 64, qui vero iis insertus est vs. 101, a plerisque libris non agnoscitur, nulla alia, puto, de causa, quam quia librarii alterius loci memores, in quo hic versus non appareret, hic etiam spurium eum habuerunt. Qui versus interjectus quum jam omnem locum suspectum reddat, sententiarum tamen connexus suspicionem nostram magis comprobare videtur. Quod enim Wakefieldus dicit, repeti hos versus, «ut argumentum rite concludatur et ad summam disputationis hujusce revocetur lectoris recordatio,» non satis huc convenire arbitror. Primum enim his verbis nondum concluditur argumentum, ad quod pertinent etiam vss. 103-108, arcte cum vs. 99 cohærentes; deinde plane non intelligimus, cur hic etiam in mentem lectoris revocandum sit, quod paullo ante lectum ut quisque recenti memoria teneat necesse est, cui si vere excidit, ne his quidem versibus repetitis in eam denuo redigetur, qui sine altero illo loco plane intelligi nequeunt. Ut enim non urgeam duplex illud *corpora ... corpore* in una eademque sententia et eodem versu positum, omnem tamen rem admodum mire et obscure expressam esse, nemo non videt, ita ut anxium imitatoris studium exquisitioribus Lucretii verbis et formulis utendi hoc etiam in loco ipsi fraudi fuisse appareat. Licet enim Lucretius I,

298, *aperto corpore* dicat pro manifesto corpore et oculis percipiendo, quod in illo loco propter ejus argumentum et oppositionem inter cæca et aperta corpora aptum est et conveniens, id propterea non in hunc etiam quadrat, in quo quum potius aliquid quæratur, quod verbo *tenuia* in sequenti versu respondeat, illud *aperto corpore* jejunum et absonum videtur. Quare omnes tres versus, qui expulsi minime desiderantur, a seriori manu temere adjectos puto. *Forbiger.*

115. *Ut horum*, etc. Vulgo *eorum* .....: *ut possit*. Sed illud *ut* secundi versus editoribus debetur.

122. *Præterea, quæcumque*, etc. Lucretius, quam tenuia sint simulacra seu imagines a superficie rerum solutæ, expositurus, omnino provocat ad subtilitatem primordiorum, e quibus simulacra etiam composita sint, quam e parvitate quorumdam animalium ostendere studet. Quibus quum addat exemplum ab odorum primordiis petitum, quæ tam exilia sint et minuta, ut, quamvis naribus percipiantur, neutiquam tamen conspici possint, licet hoc per se nihil habeat, quod offendere possit, ita tamen, ut hic expressum est, vix a Lucretio propositum fuisse arbitror. Primum enim vox *simulacra*, quam hic de corpusculis ex odoris rebus effluentibus usurpatam videmus, in triginta pluribusque versibus, in quibus apud Lucretium occurrit, semper de imaginibus tantum adhibetur, quæ per membranulas illas, quas sæpius dixi, formatæ in oculos cadant sensumque videndi lacessant, vel de iis etiam spectris, quæ in somniis animum moveant et percellant (ut hujus libri vss. 760, 770, 790, 1029, 1095); quibus admodum similes sibi cogitasse videtur Lucretius illas tenuiores adeo imagines, quæ quasi internos animi oculos stimulantes omnem rerum notiones sibi informandi facultatem efficiant et propterea ipsæ quoque simulacra nominantur (cf. inprimis vs. 751 sqq. 726, 735, 757, 783, 882, 1057, etc.). Nunquam vero de aliis particulis e rebus emissis, quam quæ corporis vel animi quasi oculis percipiantur, hoc verbum usurpatum invenimus, ut potius vss. 602 et 611 simulacra ab aliis particulis rebus emanantibus, quales ibi sunt et soni corpuscula, diserte discernantur. Quare in nostro loco vox illa prorsus contra Lucretii morem adhibita videtur, quod non minus valet de verbis præcedentibus *Quin potius*, non soluin præter Lucretii, sed contra cujusvis alius boni scriptoris consuetudinem usurpatis; quæ ut excusemus, etiamsi ad Havercampi sententiam confugiamus, versum aliquem librariorum incuria excidisse statuentis, quod sane ob miram versui præcedenti adjunctam in libris clausulam (*duobus* pro *crebis*) non omni caret similitudine veri, alia tamen restat difficultas, quam Meineckium jam sensisse video. Maxime enim offendunt verba illa *cassaque sensu*, quæ si ita interpretaris, ut corpuscula odoris ipsa nihil sentire pronuntientur, non solum prorsus absona et inepta sunt, sed etiam ad verba præcedentia

nulla vi non bene quadrare videntur, si vero intelliguntur, ut vim nullam in sensus exercere dicantur, tum adversantur et verbis *quin potius noscas* et omni rei naturæ, quum, licet oculis non perspiciantur corpuscula illa odoris, naribus tamen sentiantur. Denique accedunt vss. 128 et 129 e priori loco (vss. 175, 176) sine justo sensu huc translati nec in ullo MS nobis cognito apparentes, qui, sive a librario aliquo, sive ab Aldinæ I editore, in qua primum leguntur, additi sint, hunc jam in locō nostro offendisse nec quo referatur intellexisse demonstrant. Quibus omnibus de causis totum locum admodum suspectum habeo. *Forb.* — Hæc omnia optime, ut mihi videtur, disputat vir eruditus, quare alteram adorti sumus interpretationem in notis ad vs. 126; quæ tamen non satis quoque placet. Ed.

125. *Quorum.* Editi *horum*, ex correctore haud dubie. *Wak.* — *Leviter si forte ciebis.* Quum in quinque libris manuscriptis reperissem scriptum, *si forte duobus:* quia *ciebis* propius abesse ab antiqua scriptura mihi videbatur, quam *movebis*, quod est in vulgatis, ita excudendum curavi. *Lamb.* — Vide notam proxime præcedentem.

133. *Qui dicitur aer.* Post hunc versum, duos statim subjungit Wak. qui nobis sunt 138, 139; versus autem 134, 135, pro parentheticis habet. Vulgarem cum Forb. ordinem, quanquam multi dissentiant codices, retinuimus, quia melior visa est sententiarum series. Ed.

137. *Ut nubes facile interdum*, etc. Wakef. correxit *Ut nubes facere interdum, quum crescere in altum cernimus;* sed eum sequi noluimus, quia non adeo inepta videbatur vulgata lectio; neque admodum placebat infinitivum *facere,* quod unde pendeat, nisi per duram constructionem a τῷ *cernimus*, non video. Forb. tamen correctionem admittit, quam ex uno Lugd. 2 Wak. confecit. Ed.

155. *Redundent.* Alii *gerantur;* Lamb. ut solet, *genantur.*

167. *Quocumque obvertimus oris, Res ibi.* Quum in duobus codd. MSS Bertiniano et Memm. scriptum reperissem, *quocumque obvertimus oris:* curavi excudendum, *quiscumque obvertimus oris,* i. e. quibuscumque regionibus obvertimus. Vaticanus porro habet, *quocumque obvertimus, illuc Res tibi respondent,* etc. nempe speculum. Adr. Turneb. hanc scripturam antiquam, *quocumque obvertimus oris,* paullum immutatam, tuetur, nempe ex ea faciens, *quoicumque obvertimus æris:* eamque sic explicat, *cuicumque æris,* i. e. cuicumque speculi parti obvertimus, etc. non placet. Alii scripturam cod. Vatic. retinent. Ego, si quid sit mutandum, sic malim legi, *quoicumque obvertimus oræ,* vel, *quamcumque obvertimus oram:* pro *ob quamcumque vertimus oram. Lamb.* — Gronov.

Observ. III, 19 veritati proxime conj. *quacumque* (scil. parte) *obv. oris*, id est, extremitatibus. *Forb.*

171. *Rearis.* Vind. Poor. Brit. 1, 2, 3, Cant. Brix. Ven. Ald. 1, Bon. *retecto*, mira varietate, quæ non mediocrem præ se fert veritatis speciem ut parum absit, quin hic versum aliquem excidisse suspicemur. *Forb.*— Cf. tamen VI, 251.

179. *Teratur* editores receperunt e Junt. et Ald. 3; ceteri libri omnes *feratur*, ut vulgo editur. *Forb.*

188. *Cuduntur.* Ita plerique libri. In quibusdam, *traduntur.*

200. *Ex altoque foras.* Antiqui codices Pii *Ex alto in terras*, odiosissime et putidissime: hoc enim pacto, quæ statim veniunt, infelicem per anticipationem frigore feriuntur. *Wak.*

210. *Verum.* Corrige *specimen veri*, h. e. indicium et signum veritatis. Persius, V, 105: «Veri specimen dignoscere calles Ne qua subærato mendosum tinniat auro». *Pius.* — *Verum.* Indicium, et quasi argumentum certum. Sic autem legitur in quatuor libris manuscriptis, quo modo et in plerisque vulg. *Lamb.*

217-230. Hi versus, qui repetuntur lib. VI, 923-936, ab hoc loco alieni videntur. Etenim hic auctor, ut in iis, quæ proxime præcedunt, sic in sequentibus loquitur tantum de simulacris seu imaginibus rerum, quæ tanquam tenues membranæ ex superficie earum solutæ in oculos cadant et visum lacessant: non in universum agit de corpusculis illis, quæ ex omnium omnino rerum interioribus partibus effluentia ceteros etiam sensus afficiant; quare quæ de odoribus, frigore, calore, auditu et sapore illis versibus dicta sunt, ab omni disputatione hic instituta abhorrere mihi videntur. Etiamsi enim sumere velimus, Lucretium hæc etiam corpusculorum effluentium genera similitudinis causa breviter commemorare voluisse, tamen hoc vel una vocula indicare, vel omnino vs. 219 sqq. aliqua certe ratione cum prioribus conjungere debuisset, quod auctor, qui omni ambiguitati et falsæ interpretationi locum dare studiosissime cavit, eo magis necessarium putavisset, quo facilius illarum particularum effluentium natura cum simulacrorum ratione confundi potuisset; hæc autem minutissimarum particularum duo genera plane diversa esse, Lucretius non modo supra vs. 88 sqq., sed rursus infra vs. 605 sqq. monuit; quid quod longum post intervallum, a versu demum 325, de ceteris etiam sensibus quærere instituit, hosque adfici docuit corpusculis ex interioribus rerum partibus emissis, v. c. auditum vs. 531, olfactum vs. 676 sqq. et sic porro. Sicuti ergo omnes hos 13

versus ab hoc loco prorsus alienos censeo, ita etiam, quomodo vss. 217 et 218, cum prioribus apte conciliari possint, non video. Universa enim hæc conclusio, esse omnino ejusmodi corpora, quæ oculos feriant visumque adficiant, quam in fine totius expositionis prorsus suo loco positam judicarem, quid hic sibi velit in media disputatione, ubi de celeritate, qua imagines moveantur, sermo fuit, equidem non magis perspicio, quam quo pacto hanc sententiam de imaginibus, sæpius jam ut certam propositam (vs. 46 sqq., 61 sqq., 88 sqq., etc.), jam propter hanc unam causam, quæ mira ipsi res videtur, propter speciem siderum extemplo in dolio aquæ pleno visam, veram haberi Lucretius velit. Accedit etiam ipsa vs. 217 natura et constructio, in quo quum ex omnium librorum consensu legendum sit: « Qua re etiam atque etiam mira fateare necesse est Corpora, etc. », primum offendunt verba *qua re mira* pro: de qua re mira, vel: ob quam rem miram, posita, siquidem Lucretius superfluas potius præpositiones addere, quam necessarias omittere soleat; deinde magis etiam dubitandum est de vocabulo *fateri*, quod equidem nec apud Lucretium, nec apud alium bonum scriptorem sic me legere memini, ut simplici accusativo junctum pro *agnoscere verum*, *concedere aliquid esse* usurparetur, quare hæc potius seriorem Lucretio auctorem sapere videntur. Quæ omnia me movent, ut hunc etiam locum IV, 217-230, a seriori auctore adjectum arbitrer, qui fortasse, quum vs. 216 et 231 non bene cohærere putaret, aptissimum transitum sibi videretur facturus his versibus e l. IV inferendis, in primis quum etiam in his, quæ proxime sequuntur, quædam de tactu obiter dici vidisset, quibus, si de reliquis quoque sensibus pauca adderentur optime congruere censeret. *Forbiger.*

219. *Obortu.* Omnes MSS *odores.* Wak. ex una editione Juntina, quam jam Lambinus antea textui immissam postea rursus rejecerat, denuo in contextum recepisse scripturam *obortu*, quam maxime miror. Nihil enim nisi editoris Florentini vel amici ejus conjecturam esse vocem illam, qua sensui loci, conjunctivo illo *fluant* magis etiam depravati, succurrere studuit, nemo non videt; immo in vitii adeo typographici suspicionem ea incurrit, quum Pius, qui ceteros omnes libros sequutus, nec ullam codicum diversitatem notans, *odores* legit, disertis verbis dicat: « Sunt, qui *abortu* scribendum censent, et hi per abortum simulacra volunt, quæ subito a corporibus nascentia emanant et subito intermoriuntur: unde graphice possunt abortus dici: quippe quum imitentur fœtus abortivos, qui modo sunt, modo non sunt »; quod eo magis verisimile videtur, quum vocabulum substantivum *obortus* nullus alius Latinorum scriptor agnoscat. Sed etiamsi Candidum, vel Marullum, vel alium quemvis conjecturæ illius auctorem vere plane novum et inauditum verbum codicum scripturæ substituisse credere velimus, non solum languida et

jejuna esset, sed omni etiam sensui adversaretur hæc correctio, quum non a certis tantum rebus, sed ab omnibus ejusmodi simulacra, quæ « feriant oculos sensumque lacessant» effluere et ex mente Lucretii et e natura rei credenda sint. *Forbiger.* — At ipse Forb. postea in editione sua verbum *oborta*, licet ἅπαξ λεγόμενον, præferendum censuit, et in textum admisit.

238. *Esse in imaginibus quapropter.* Ex imaginibus rerum perpetuo effluentibus, et in oculos nostros advolantibus atque incurrentibus, fit visus, ex sententia Epicuri. Platoni ex conjunctione et cognatione duorum ignium seu luminum, alterius ex oculis nostris exeuntis, alterius a sole manantis, efficitur visus. Mathematici aiunt, radios quosdam ex oculis nostris effluenteis, et ad rem quæ cernitur accidenteis, videndi causas esse. Aristot. lib. II de Anim. docet, non ex emissione radiorum ab oculis, visum effici, sed ex functione et actu rerum, quæ sub aspectum cadunt, in oculos crebro ventitante. Arnobius lib. II adv. Gent. nihil horum sciri posse putat, quorum hic et deinceps causas explicat Lucretius, quibus causis mergamur in somnos, quibus evigilemus, quibus modis fiant insomnia, quibus visa, etc. Sequitur mox: « Radiorum et luminis intentione videamus, an rerum imagines advolent, et nostris in pupulis sidant : utrum sapor in rebus sit, an palati contagionibus fiat, etc. » *Lamb.*—Adde Modii Novant. Lectiones Epist. 57. *Hav.*— Hanc Epicuri sententiam ita explicat Gell. Noct. Att. V, 16 : « Epicurus autem effluere semper ex omnibus corporibus simulacra quædam corporum ipsorum, eaque sese in oculos inferre, atque ita fieri sensum videndi putat ». Macrob. autem Sat. VII, 14 : « Censet Epicurus ab omnibus corporibus jugi fluore quædam simulacra manare, nec unquam tantulam moram intervenire, quin ultro ferantur inani figura cohærentes corporum exuviæ, quarum receptacula in nostris oculis sunt, et ideo ad deputatam sibi a natura sedem proprii sensus recurrunt ». Epicurus ipse apud Laertium docet simulacra ἐπεισιέναι : et apud Plutarchum εἰδώλων εἴσκρισις simulacrorum insinuatio, et apud Ciceronem εἰδώλων ἐμπτώσεις occurrunt. *Creech.*

278. *Pertinget.* Lugd. a *pertegeť;* unde speciem habet arbitraria scriptura criticorum, *perterget;* sed ea vox multo minorem habet efficaciam in hoc loco : H. *pertingit;* quæ videtur forma facilior ac magis obvia : sed aliter Lucretio visum est, et quidem consultissime : nam futurum tempus nos quasi manu ducit per omnem negotii progressum, et justam seriem vividis coloribus depingit. *Wak.*

289. *Semota.* Sic omnes omne genus libri. Supra ad vs. 271 noster maluit *remota*, sed sine verbo *distare*, cum quo prius vocabulum male convenisset, ac fuisset supervacaneum. *Wak.*

193. *Nunc ea, quæ nobis*, etc. Quum ex hoc loco, tum ex aliis multis intelligere licet, quod traditum est, Epicurum neque mathematicis artibus, neque ullis aliis disciplinis, quibus qui instructi sunt, eruditi dicuntur, politum fuisse. Affert enim rationem admodum ineptam, et infirmam, et popularem, quare quæ nobis dextra sint, in speculis læva videantur, et contra: nempe quia imago a nobis in speculum jacta, et in id offendens, non revertatur ad nos incolumis, sed retrorsum elidatur: quemadmodum si quis personam aliquam e creta etiam nunc humidam et madidam allidat ad columnam aut trabem, et ea retro convertatur expressa, ita ut servet priorem figuram: tum enim fiet, ut qui antea dexter erat oculus, nunc sit lævus, et contra. Sic igitur Epicurus seu Lucretius. At mathematici longe aliter, quemadmodum et quamobrem hoc fiat, demonstrant: exstatque hujus rei cognitio et perceptio (seu θεώρημα) ordine 19 apud Euclidem. Docent igitur illi, reflexionis angulum, ei angulo quem facit linea a puncto rei visæ in speculum incidens, æqualem esse. Itaque semper fit reflexio in partem oppositam ei parti speculi, in quam incidit linea a puncto rei visæ producta. Præterea imagines quæ in speculo cernuntur, qualecumque sit speculum, quam brevissimis fieri potest lineis continentur. Quum igitur pars dextera rei visæ, lineæ reflexionis sinistræ respondeat ac subjaceat potius quam dexteræ; et contra pars læva rei visæ, dexteræ reflexionis lineæ subjecta sit potius quam lævæ: fit ut linea reflexionis, quæ magis dextera sit, sub dexteram imaginis partem cadat: et quæ sit magis læva, lævam imaginis partem tangat. Quare læva rei visæ pars, dextræ imaginis parti opponitur: et contra dextera rei visæ pars, lævæ imaginis parti respondet. Denique visa imago et res visa sic se habent inter se, ut duo gladiatores, qui frontibus adversis inter se certant: hic enim alterius oculus lævus, alterius oculo dextro opponitur, et contra. Plato denique in Timæo paucis verbis hanc rationem affert, Ὅτι τοῖς ἐναντίοις μίρεσι τῆς ὄψεως περὶ τὰ ἐναντία μέρη γίνεται ἐπαφὴ κατὰ καθεστὼς ἔθος τῆς προσβολῆς, i. e. «quia contrariis partibus aspectus contrariæ partes speculi attinguntur, pro consuetudine adjectionis, seu commissuræ.» Sciendum est autem hoc fieri dumtaxat in speculis planis et convexis: nam in concavis respondent dextra dextris, et læva lævis, cujus rei rationem disces etiam ex Platone et Euclide. *Lamb.*

301. *Fiet ut ante oculos.* Vulgo legitur *oculus*. Wak. recte restituit *oculos* e Bodl. Cant. et Ver. — *Hic idem.* Retinui cum Eichst. vulgarem lectionem quam Wakef. e conjectura sic mutavit: «fiet *et* ante... *ut* idem». *Forb.*

304. *Quinque, etiam sex, ut fiert.* Vulgo, sed minus elegantèr, *Quinque, etiam sexve ut.*

311. *Inde retro rursum redit, et.* Sic edendum curavimus ad fidem codicis L inter summam varietatem lectionis. *Wak.* — Habent libri vulgati, *Indeque retrorsum redit.* Alii, *Inde retrorsum etiam redit*, etc. ut habent tres manuscripti. Nam Bertin. neque habet copulationem *que*, neque *etiam*. Itaque sic restitui, « Inde retrorsum reddit se, et convertit eodem ». Sententia autem hæc mihi videtur esse : Inde, id est, ex primo speculo, vel ex parte dextra, imago reddit se retrorsum, id est, in lævam partem, in secundo speculo scilicet, et convertit se eodem, nempe in lævam. *Lamb.*

322. *Nequeunt.* Sic vulgares edd. cum libris melioribus, quibus obsecutus sum; Wak. e Lugd. 1, Vind. Brid. 2, 3 et Cant. *nequeant*, qui conjunctivus non suo loco esse videtur. *Forb.*

354. *Quadratasque procul turreis.* Nunc nonnullas visus fallacias seu captiones proponit : quas tamen negat esse fallacias sensus, sed animi opinationes. Qua de re legendus Q. Septimius Florens Tertullianus lib. De anima, ubi de quinque sensibus disputat : cujus sententia neque sensus mentitur, neque opinio. Ita partim assentitur Epicuro, partim dissentit. Satis autem probabilem et acutam rationem reddit, quare quadrata figura procul rotunda videatur : quoniam scilicet omnis angulus, si longius distet, obtusus videtur, seu potius non videtur : cujus rationis causa est, quod, dum simulacra rei quæ cernitur, per multum aera feruntur, ab eo aere anguli ictus, sive ipse angulus, obtunditur ; et ita videndi sensum effugit : quo fit, ut quæ sunt quadrata, tamquam rotunda videantur. Mathematici et optici hoc sic demonstrarent : Quidquid cernitur, definitam habet loci distantiam, ultra quam non potest cerni. Finge igitur, magnitudinem aliquam in ultima distantia cerni : cernetur igitur sub quam minimo fieri potest angulo. Removeatur nunc hæc magnitudo longius ab oculo; proculdubio non cernetur : alioqui sub minore angulo cerneretur, quam qui est minimus, quod fieri non potest : magnitudo autem angulis prædita circa suos angulos minor est, quam circa quaslibet alias suas parteis : ita fiet, ut oculus, corporis quadrati longissime distantis angulum, quamvis sibi propinquiorem, minus cernere possit, quam reliquas illius corporis parteis : ex quo efficietur, ut quadratum, rotundum videatur. *Lamb.*

377. *Primaque dispereunt, quasi in ignem.* Illustri et luculenta similitudine demonstrat, prima quæque lumina disperire, et semper recens suboriri : nempe, quemadmodum si lana in ignem aut flammam aliquam traheretur, quidquid lanæ in ignem incideret, absumeretur : ita et de lumine sentiendum. Videtur non longe abludere a proverbio, εἰς πῦρ ξαίνειν. Hunc locum autem sic reperi scriptum in duobus lib. manuscr. Bertiniano et Memmiano, ut excudendum curavi, quum in vulgatis

miserabilem in modum sit depravatus : alii enim habent *quasi imagine*, alii *qua margine*, alii *quasi margine*. *Lamb.* — Scaliger autem Observ. ad Tibull. legit : « Quasi carmine lana trahatur ». *Carmen* autem est instrumentum lanificum. *Creech.*

399. *Ingens.* Post hunc versum, cujus vox ultima propterea in *iidem* mutatur, in vulgatis edd. omnibus hic versus legitur : « Apparent, et longe divolsi licet, ingens »; quem ex omnibus libris vett. solæ Junt. et Ald. 2 agnoscunt, ut ex Marulli officina prodiisse et optimo jure a Wak. deletus esse videatur. *Forb.*

401. *Atria versari, et circumcursare.* Atria (inquit), ubi pueri circumcursarunt et circumacti fuerunt, videntur ipsa pueris circumvolvi et circumagi, ubi illi se circumagere desierunt : hujus animi opinationis hæc causa est, quod spiritus, ad visum pertinentes, intus concussi, ex motu totius corporis, huc et illuc oberrant, et circumaguntur, neque, movendi corporis fine facto, et quiescente corpore externo, spiritus interni quiescunt. Nam quum multo sint leviores corpore concreto, multo etiam sunt mobiliores, et minor animæ potestas eos commovet : illi autem commoti formas et imagines rerum commotas atque agitatas potestati seu virtuti res distinguenti atque internoscenti objiciunt ac repræsentant. Ea enim omnia, quorum formæ commotis spiritibus animæ potestati objiciuntur, etiam quiescente eo qui cernit, moveri videntur : quemadmodum rota ab aliquo impulsa diu movetur, postquam manus, a qua impulsa est, moveri desita est. *Lamb.*

420. *Corpora mirande.* Alii *mirando.* — Si scripturam vulgatam retinebimus, ut non sequatur copula verbum *videre*, in versu superiore, et (quod primum est) si hunc versum Lucretianum esse judicabimus, *mirando* interpretabimur : dum miraris, scilicet corpora, etc. sin addemus copulationem, *mirando* cohærebit cum voce *cælo* : ut intelligamus, id cœlum esse mirabile, quod sub pedibus nostris cernatur. Sed libri scripti reclamant, in quibus partim scriptum est *mirandæ*, partim *mirande* : cujus lectionis rationem explicare nequeo. Nam *mirande* adverbium inauditum et insolens. Ego sic putabam reponendum, « cœlum ut videare videre, et Corpora mirari sub terras abdita cœlo » : vel sic, « Corpora mirandi sub terras abdita cœli ». Omnino si hic versus tollatur, nihil de sententia hujus loci depereat. Verum tamen judicet lector. *Lamb.* — Pluribus Lucretii in locis librarii, quum non adverterent illud *mirande* studiose adverbialiter positum a poeta, corruperunt in adjectivum *mirandus*, uti et inferius vs. 463. *Haverc.* — Wak. locum sic distinguit : *hiatus; nubila desp. et cœlum : ut videare videre corpora*, etc. ad hanc constructionem scilicet : « præbet despectum ad penitissimam usque altitudinem, nempe (per epexegesin Lucretio valde familiarem)

despicere, etc.? Equidem malui vulgatam qualemcumque sequi, recepto tamen τῷ *mirande*; quod fecit quoque Forb. Ed.

430. *Paullatim trahit angusti.* Videbitur tibi paullatim superne, atque inferne, a dextra et læva contrahi et coarctari, et coni similitudinem præ se ferre. Est autem *conus* vertex rotundus atque obtusus cujuscumque pyramidis, sive rotundæ, sive quadratæ, et lateribus præditæ. Causam autem, cur ita videatur, afferunt mathematici pluribus quidem verbis, sed ego in pauca conferam. Parallelarum linearum partes ab adspectu remotiores ad extremum fere concurrere videntur : quod sic demonstratur. Primum lineæ parallelæ plures eamdem necessario soli seu planitiei extremitatem occupant. Fingamus igitur, duas lineas parallelas esse centum pedes longas, atque inter se distare pedes decem. Ducantur lineæ decem transversæ ab altera illarum duarum parallelarum in alteram. Hæ singulæ scilicet erunt inter se æquales, et denos pedes longæ. Esto igitur oculus in summa parte hujus planitiei, in qua parte ducta est prima linea transversa. Dico, secundam lineam, quæ est oculo proxima, (nam primam non numero, quæ oculum tangit,) ei qui cernit, longiorem videri tertia, et tertiam quarta, et quartam quinta, et ita deinceps: adeo, ut ultima linea transversa et decima, quæ ab oculo remotissima est, brevissima videatur : cujus rei ratio est, quod, quo quæque magnitudo a nobis longius abest, eo angulum, qui sub oculum cadit, efficit minorem : et contra, quo quæque magnitudo a nobis propius abest, eo angulum, qui sub oculum cadit, habet majorem. Ex quo sequitur, magnitudinem tanto nobis videri majorem, quanto a nobis propius abest : et contra, tanto videri minorem, quanto remotior est. Sic fit, ut extrema et remotissima pars tectorum porticus solum prope tangere, et dexter paries lævo confusus esse videatur. *Lamb.*

437. *At maris ignaris*, etc. In omni re cernenda aut radii ab oculis incidunt dumtaxat in rem visam, quamvis tales radii non sint causa visus; et hic visus fit recta per unum corpus diaphanes seu pellucidum; aut radii, qui ab oculis in rem visam inciderunt, reflectuntur in oculos : aut iidem illi radii franguntur. Incidunt dumtaxat in rem visam, quum verbi gratia, equum, aut corpus aliquod, aut colorem in corpore non lævi, aut si lævi, non tamen denso cernimus. Reflectuntur radii, quum speculum, id est, corpus aliquod politum et densum cernimus. Franguntur, quum rem aliquam per plura corpora pellucida, verbi gratia, per aerem, et vitrum, aut aquam cernimus. Quod igitur dicit hic Lucret. maris ignaris navigia in portu clauda, et eam remorum partem, quæ in mari mersa est, fractam et curvam videri; is error oculorum nascitur ex tertio cernendi modo, qui fit per duo corpora διαφανῆ, quorum alterum sit magis pellucidum, quam alterum : ut aer magis pellucidus est quam aqua:

aqua densior est aere. Nam quum (verbi gratia) remum seu potius remi partem sub aqua cernimus, eam remi partem non recte, sed oblique cernimus, neque ipsa remi pars re vera cernitur in eo corpore pellucido, quod est densius aere, sed imago et similitudo dumtaxat, quia linea a re visa non reflectitur recta ad oculum, sed in extremitate secundi corporis pellucidi, nempe aquæ, refringitur. Quo fit, ut oculus rem non suo loco cernat, sed alio; immo non rem ipsam, quippe quæ recta sit, sed umbram quamdam rei incurvam ac refractam videat: et, quum remi partes continuæ directæ apparere non possint, appareant continuatæ indirecte. *Lamb.* — *In portu.* Legendum *in Ponto.* Quid enim navigia *in portu* obnitantur undis? *Creech.* — Sed legetur ita contra omnes MSS, qua ego violentia non delector. Quid, *ignari maris*, an non priusquam jam in *pontum* provecti sint, etiam talia effecta in *portu* vident? Maneat itaque poetæ sua vox et sententia. *Havere.*

438. *Navigia aplustris*, etc. Distichon integrum ita vulgo scribi solet, ac distingui: « At maris ignaris in portu clauda videntur Navigia, aplustris *fractis*, obnitier *undis.* » Jam vero, postea quam lectiones nostras et vulgariter receptas ad codicum veritatem, vel veri similitudinem potius, revocaveris, contempleris velim, quot sermonis exquisitioris elegantias nos redonaverimus loco: adeo ut prior versuum constitutio præ jam posita sordescat. *Clauda aplustris* phrasis est pervenusta; diciturque ut usitatior, *claudus pede.* Hominis autem claudicantis gressus optime transfertur in navis instrumenta, subsultim fluctibus agitata. Et fortassis rarior ac doctior constructio dictionis *obnitier* cum quarto casu librarios terruerit; sed immerito, nam verbum compositum sæpissime apud probissimos etiam scriptores casum regit, quem simplex habet præpositio: quæ structura feliciter, in hoc verbo, quæ ambigua sunt, evitat; confer nostrum, VI, 559, cum Virg. Georg. III, 233, et, quid velim, scies. *Wak.*

445. *Tum venti... quum splendida.* Sic Wak. et Eichstædt; alii *quum venti... tum splendida.*

447. *Quam quo.* Wak. codicum quidem auctoritatem secutus *ac quo*, elisione prætermissa. Sed dura mihi videtur ea ratio; et vulgatæ standum censui, quod jam fecere Eichst. et Forb. Ed.

448. *At si forte oculo.* Quamobrem hoc fiat, rationem afferens Aristot. Problem. sect. 3: « Idem accidit, inquit, si quis inferne oculum premat, quod ebriis, nempe, ut unum cernentibus, duo videantur. Motum est enim principium aspectus, ita, ut oculus alter convenire in unum non possit. Hoc tantum interest, quod hic motus fit extrinsecus; ille autem, qui fit a vino, intrinsecus ». Hactenus Arist. Licet et hanc causam

afferre: Tum oculus directe videt, quum radii a re visa in pupillam cadunt ad perpendiculum, et recta ad principium visus conjunctionemque nervorum ad visum conferentium feruntur. At quum oculus alter manu premitur, curvatur aspectus, et nervi sursum ac deorsum moventur, et huc et illuc distrahuntur. Ita fit, ut unum plura videantur. *Lamb.*

463. *Mirande.* Ita et hic reposuimus ex MSS Lugd. Bat. approbante etiam Tollio Fortuitor. c. 20, p. 149. Vide sup. ad vs. 420. *Hav.*

468. *Nihil ægrius est.* Vulgo legitur *nihil egregius*, vel *egregiu' est.* Hos duos versus rejiciunt interpretes, improbe: vs. 466 docuit « Nos addere opinatus animi »; igitur in vs. 469, pro *abdit* legatur *addit*, et tum omnia plana erunt et facilia : Fallimur in omnibus istis exemplis quæ modo enumeravit, idque etiam admoniti; difficile enim profecto est non addere opinionem animi rebus a sensu delatis. *Creech.* — *Nam nihil egregius, quam res est cernere apertas.* Sic Sanct. in Min. lib. I, cap. 2. Ceterum ut *proprior* a proprius apud Plaut. in Most. II, 2, 60, auctore Salmasio, ita *egregior* ab egregius, unde et neutrum comparativum *egregius*, quod sic occurrit. *Preig.*—Adde Jo. Ger. Vossium de Anal. II, 27. At vero speciosa satis est altera illa multorum MSS lectio *ægrius est*, sed minus videtur satisfacere et respondere instituto poetæ nostri, qui docere vult sensus non falli, licet falli videantur; et illum, qui percipiat sensus suos non falli, virum esse egregium, etc. ut II, 7 : « Sed nil dulcius est, etc. » Scripsi vero *secernere*, cum MSS optimis. *Hav.*

471. *Quo se nil.* Sic Eichst. edidit vett. librorum vestigia pressius sequutus. Lamb. *quoniam nil*, quod Haverc. et Wak. receperunt. Vulgo editur *qui se nil* contra libros. *Forbig.*

479. *Invenies primis ab sensibus.* De hoc consentiunt inter se omnes philosophi, præter Academicos, scientiam oriri a sensibus. Sed, quod dicebat Epicurus, Κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, οὐδ' εἶναι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι, i. e. « Judicium veritatis penes sensus esse, neque esse quidquam quod eos refellere queat; » id negabant etiam veteres Academici, et multi alii. Mentem enim volebant esse rerum arbitram atque judicem: sensus autem omneis, hebetes et tardos, nec ullo modo res eas percipere, quæ sibi subjectæ viderentur : utpote quæ essent aut ita tenues et parvæ, ut sub sensum cadere non possent : aut ita mobiles et celeres, ut nihil umquam unum et idem esset, quia omnia continenter fluerent et laberentur. *Lamb.* — Jam tandem versibus his 22 sensus esse criteria veritatis demonstrat. Id enim veritatis criterion sit necesse est, quod falsum corrigere et refutare possit: illud vero faciunt sensus. Ipsos autem sensus quid corrigat, aut refellat? An ratio? Ratio autem a sensibus tota pendet. An alii sensus

alios convincent? Hoc minime dicendum, nam singuli sensus circa propria sua objecta versantur; nec quid alii sensus agunt curant, aut cognoscunt: an iidem igitur sensus seipsos emendent? Id fieri non potest, quoniam sensibus æqua fides est semper adhibenda. Simplici igitur sensuum repræsentationi (i. e. primis sensibus) fidendum. *Creech.*

513. *Omnis, quæ, contra sensus instructa, parata est.* Hunc versum habent codex Vatican. Tettian. etMemmian. et ejus sententia est non inconcinna, meo quidem judicio. Gifanius vero delevit. *Lamb.*—Quum autem vs. 509 in utroque cod. Voss. et Bodl. necnon in editt. Ver. et Ven. prorsus omittatur, in Cantabr. vero MS alieno loco post vs. 519 inseratur, versus 513 autem a codd. Vind. Bodl. et tribus Mus. Brit. libris absit, et præterea etiam uterque versus habeat, quod offendat, siquidem vs. 511, per se satis languidi, exitus plane idem sit cum prioris versus clausula, et vs. 513 duplex illud *instructa, parata* per molestam tautologiam positum admodum claudicet, nescio, annon omnis ille locus vs. 510-513 in dubitationem vocandus sit. *Forbig.*

517. *Obstipa.* Jam vero quum Festum vere *obstita* legisse ex omni loco luce clarius appareat, membranarum vero omnium mira in altera scriptura consensio vix de librariorum mutatione cogitari patiatur, hic etiam duplicis recensionis vestigium deprehendi suspicor, ita ut exquisitiorem illam vocem *obstitus* a Lucretio, Ennii studiosissimo imitatore, profectam, alteram vero utpote usitatiorem et faciliorem a seriori interpolatore substitutam esse arbitrer. *Forb.*

529. *Propterea;* sic codices emendatissimi et antiquissimi omnium Lugd. 1, 2; optime. Recentiores interpolationem editorum exprimunt, *præterradit enim vox. Wak.*

533. *Redditur.* Alii *raditur;* male.

534. *Rauca viis.* Alii *suis;* quæ potest defendi lectio, si *oris* pro extremitatibus intelligis: ut innuat vocem raucam reddi expletis suis oris: quum regiones per quas vox pertransit sunt oblimatæ et oppletæ: quo liquida vox impeditur egredi. *Pius.*—Hunc autem versum rejicit Lambinus. Sed ad sensum omnino est necessarius et quoad singula verba prorsus Lucretianus. *Forb.*

543. Post hunc versum editiones plures ponunt vss. 553, 554; nulla de necessitate auctoritatem omnium veterum exemplarium conculcantes. *Wak.*

546. *Et revocat raucum,* etc. Alii *revocant raucum Retrocitu cornua.*—Hunc versum Lucretio abjudicat Lambinus: sed Lucretius, opinor si

viveret, ad alios judices provocaret. Interpres scilicet non viderat, neque multi vident, quid tandem illud sit *retrocita barbara*, vel *retrocita cornua*. At ego videor firmare posse, intelligi illud instrumentum musicum, Syriacæ, opinor, originis, quod *sacbute*, vel *saque-boute*, vocamus a veteri voce Gallica *saquer*, quod trahere est, et *bouter*, quod pulsare significat. Qui instrumentum illud musicum norunt, facile intelligent cur *retrocita* dicatur a Lucretio. Si qui meliora dabunt, paratus illis apud me plausus est. *Faber.* — Vossius ad Catull. p. 227 dicit *Retrocita* vulgo inepte legi, scribit autem, « Et reboat raucum Berecynthia barbara bombum »; i. e. Tibia Phrygia, Αὐλὸς Βερεκύντιος, ut habet Hesychius in Βερεκύνται, etc. *Creech.* — « Et revocat raucum retrocita barbara bombum. » Ita edidi, sequutus optimorum MSS fidem, et ipsius Lucretii genium; gemino enim (ut sæpius) adjectivo utitur, et tubam eamdem *retrocitam* vocat et *barbaram*. *Hav.*

547. Mirifica, sicubi alias, circa hunc locum variantium lectionum multitudo est, nam in quibusdam legitur, « Vallibus et validis ne tortis ex Heliconis », in aliis, « Vallibus et Cycni nece detorti ex Heliconis », in aliis, « Et gelida Cycni nece torti ex antro Heliconis ». Lambinus, « Vallibus et Cycni gelidis orti ex Heliconis »: loco *orti* Faber substituit *córti*. Vossius tandem ad Catullum legit, « Et validis Cycni torrentibus ex Heliconis ». Ex Helicone nempe, tum alii torrentes, tum ipse Helicon amnis profluit. — Multiplici lectionum varietate impulsi varie locum hunc tentarunt interpretes. Eadem de ratione, et quod nulla eorum emendatio plene mihi satisfaciat, ipse quoque tentavi ita emendare: « Vallibus et cycni melicis forte ex Heliconis ». *Valles Heliconis*, ut cycnorum conventui locum proprium describit poeta, sicut, *Asia prata*, Virgil. Georg. I, 383. Dein *melicos* eosdem appellat, uti sonoros V, 335. Denique verbum *forte*, quod nostro admodum est familiare, proxime ad *torti* vel *tortis*, quod unanimi consensu exhibent MSS, accedit. *Hav.* — Wak. autem edidit « Et valli cycnis, nece tortis, ex Heliconis ». Sed non modo sic intricata constructio mihi videtur, verum etiam displicet *nece tortis*, quod recte impugnavit Lambinus, quum profecto cycni non cantant, nisi *sine vi* morientes. Eichstadt. sequente Forbigero, Gifanii lectionem reduxit, « Vallibus et cycnei, nece tortei, ex Heliconis », viris doctis olim, ut opinor, merito explosam; ob id etiam quod metrum ita constare non possit. Nunc itaque, si codices non subveniant, amissa in perpetuum Lucretii scriptura, ad simplicissimam vellem confugere versus refingendi rationem. In omnibus enim MSS deest vox *cycnei*, quæ tamen hic certissime apparere debet: hujus autem vestigia vel reliquias invenire videor in τῷ *nece*; et vix a literarum ductu recesserim si pro *nece tortis* audeam legere *cycnei detortis*. Sed *detortas valles* dici latine non censeo. Oportet igitur Lucretius hic obsoletum aliquod verbum adhi-

puerit, in quo offenderint librarii : vel admittenda Vossii emendatio, *Et validis cycnei torrentibus ex Heliconis*, quæ codd. scripturæ propior est. Ed.

566. *Missum;* vulgo *emissum* contra omnes libros.

570. *Incidit.* Ita Wak. cum omnibus libris præter Brit. 3, qui solus favet vulgatæ lectioni *accidit*, a Lamb. profectæ. *Forb.*

572. *Lapis,* Wak. edidit e Vind. Brit. 2, 3; a quibus paullulum modo differunt Lugd. 1, 2, Cant. *lopis* præbentes; unde factum videtur *locis* in Bodl. Poor. quod omnes edd. vulgares servarunt. Fortasse vox *lapis* genere femin. usurpata offendit librarios; qua de re cf. Nonius III, 123; XI, 52. *Forb.*

574. *Quæ, bone;* sic Wak. cum Bodl. Ver. Ven. Ald. 1, et Bon. ceteri libri *bene*, ut vulgo editur.

579. *Sex etiam, aut septem.* Plutarchus refert περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσ. βιϐ. β' in Ægypti pyramidibus vocem unam intus editam, quatuor et quinque reddere. Idem lib. Περὶ ἀδολεσχ. in princip. commemorat porticum quamdam, quæ Olympiæ fuit, ἱπτάφωνον appellatam, quia scilicet vocem septies iteraret. Pausanias Corinth. narrat ad dextram templi Chthoniæ Cereris, porticum esse, quam incolæ Echonis porticum nominant : cujus ea natura sit, ut imaginem vocis triplicet. Nos in vico, Lutetiæ admodum propinquo, (distat enim ab urbe non multo amplius quam tria millia passuum,) cui nomen est *Charento*, Echonem audivimus voces septies iterantem. Sed quid mirum ter, quater, quinquies, sexies, et septies imaginem vocis iterari aç multiplicari, quum Ticini in aula magna Basilicæ ter et decies referatur? Eadem autem propemodum ratio est vocis imaginis sæpius redditæ, atque imaginum a speculis in specula translatarum. Jam Echonis exquisitæ et perfectæ hæc propria sunt, ut cito respondeat, ut longam verborum seriem connectat, ut aliquoties et iterum atque iterum vocem articulatam referat. *Lamb.*

598. *Per loca, qua.* Evulgari solet, *quæ loca per*, perquam inficete, ob consimilem ordinem similium vocabulorum in seq. versu. *Wak.*

600. *Colloquium.* Alii legunt *cum loquimur.* Alii *colloquimur.....quod sæpe tenemus.* Nonnulli spurium esse versum censent; sed frustra.

617. Lambinus et alii edidere. *Hæc, queis sentimus*, quamvis omnes manuscripti habeant, *Hoc qui sentimus :* excusi autem fere alii omnes, *Nec qui sentimus;* plane mendose.

618. *Plus operæque.* Sic edidi cum Bodl. Poor. Brit. 3 et Brix. Ver.

Ven. Ald. 1 et Bon.; Cant. *operæ quod;* Brit. 1 *plus operarum;* ceteri libri omnes *plus operæ;* unde Wak. fecit *plus operai.* Vulgo *plusque operai* contra librorum auctoritatem. *Forb.*

640. *Est itaque ut serpens, hominis quæ tacta salivis.* Lambinus, « Est utique : ut serpens hominis contacta salivis ». Vel etiam « Sæpe et enim serpens hominis contacta salivis, etc. » Quum non immerito vox *utique* Lambinum offenderit, recte, ut puto, ex optimis MSS *itaque* restitui. Quum tanta distantia, etc. sit inter naturam animalium, ita est ut serpens, etc. i. e. hinc videmus quomodo serpens occidatur saliva hominis, quæ ipsi homini est salubris, sicuti contra homo veratro, quo pinguescunt alia quædam animalia. Inf. vs. 690 : *Est alio ut,* i. e. fit passim ut, etc. *Haverc.*

648. *Generatim. Variatim* legendum esse multis contendit Faber, quia *Variantque figura* vs. 650, et *Variare viæ* vs. 659, vocem istam confirmant; denique quia non agitur nunc de differentiis secundum unumquodque genus animalium, quatenus videlicet species a specie differt; nam in specie humana quot sunt singularia seu individua, tot sunt varii gustatus, etc. Et profecto aliquid dixisset Faber, nisi Poeta instituisset hisce versibus docere, quam ob causam una eademque res alteri generi animalium salubris, alteri foret noxia; *Generatim* igitur legendum. *Creech.*

665. *Nunc facile est,* etc. Hi versus, uti nunc se offerunt, cuivis lectori scrupulum injiciant necesse est. Lucretius nimirum, de gustu et sapore exponens, ejus varietatem partim ex ipsorum primordiorum, quibus cibi et potus compositi sint, varia forma et figura, partim e diversitate foraminum atque viarum in corpore animali, oris inprimis et palati, quas alimenta permeare debeant, explicare studet; quæ efficiant, ut his nutrimenta sint, quæ illis venena, ut alia aliis dulcia, aliis amara videantur, etc. Quibus quamvis recte adderetur observatio, propterea etiam ægrotis interdum aspera et amara videri, quæ prospera valetudine utentibus dulcia et jucunda fuerint, sic tamen, ut hic verbis concepta est, omnino Lucretio indigna judicari debet. Primum quam mira ratione cum prioribus conjuncta est! Ex iis enim, quæ in prioribus doceri modo diximus, quomodo *quæque* cognoscere liceat, quisnam intelligit, inprimis quum una tantum res sequatur, quæ inde explicari possit? Non magis autem apparet, quid sibi velit vs. 673 cum sequente. Mel enim cur hic commemoretur, omnino nulla justa causa indagari potest, multo minus quo pacto hæc verba particula *enim* prioribus tanquam causa adjungi queant, quum ex omnibus, quæ præcedunt, mutati saporis causa non in ciborum, sed in ægroti conditione quærenda sit. Porro quænam sunt *utraque* illa, vs. 673 melli attributa? Haud dubie

dulcia et acerba, quamquam hæc magis divinari, quam colligi, debent e prioribus. At vero quis unquam putavit, mel amaras etiam et acidas partes continere? Ne Lucretius quidem, licet sæpius adeo hoc se dixisse nostro in loco disertis verbis indicaret; immo haud raro mel utpote summæ dulcedinis exemplum laudat (conf. I, 937, sive IV, 13; I, 946, seu IV, 22; II, 398); quare etiam vs. 674, cum prioribus non cohærere videtur quem licet Wakefieldus sic excusare studeat, ut auctorem in universum placitum de diverso semine in unoquovis corpore latente respicere dicat, miro tamen et obscuro modo priori versui adjectum censeo. Sic igitur, licet vss. 668-674, Lucretium non omnino spoliaverim, rationem tamen, qua hic inserti et spuriis nonnullis versibus admixtis cum prioribus et posterioribus conjuncti sunt, non Lucretianam duco. *Forb.*

691. *Sed tamen haud quisquam, tam longe fertur.* Ratio est, quia odor tarde fertur, et prius perit interdum, quam ad sensum pervenire possit: nimirum quia odores ex alto et penitus manant, quum imagines ex summis rerum cæsuris fluant. Plato in Timæo ait, odores omnes esse aut fumum, aut nubem, seu nebulam: atque horum quidem id quod ex aere in aquam mutatur, esse nebulam: quod autem ex aqua in aerem, fumum: ex quo tenuiores quidem aqua esse odores, aere autem crassiores. Cui rei argumento esse, quod si quis nares obturet, aerem quidem trahet una cum spiritu ducto: odorem autem nullum intromittet. Aristotel. lib. II De anima, et libr. De sensu, et iis quæ sub sensum cadunt, odoris vim in calido ac sicco sitam esse dicit: idcirco non esse mirum, si congelatio et frigus odores obtundant. Odores nihil conferre ad alendum, neque ea quæ bene olent, edendi aut bibendi cupiditatem excitare, immo potius nauseam movere: suaves odores valetudinem adjuvare eo, quod cerebrum tum sua natura, tum propter exhalationes alimenti humidum suo calore temperent atque exsiccent: præterea nullas animantes quæ respirant, odorari, nisi respirent. Quum igitur respirando, eum aerem qui nobis est proximus, ducamus, non absque ratione odores et non ita longinquo ex loco sentiuntur, et tardius ad nares nostras perveniunt. Quod si dicas, aerem esse continuum, et idcirco per consensum fieri debere, ut etiam ex longinquo loco odores a nobis sentiantur: respondebo, quominus id fiat, crassam odorum naturam impedimento esse. *Lamb.*

712. *Quin etiam gallum.* Wak. ex uno tantum codice Lug. 2, *Quur etiam,* cui respondeat *nimirum.* Sed vulgatam bene tuetur Forbiger.

724. *Nunc age, quæ moveant.* Nunc docet, animum tenuissimis et celerrimis imaginibus moveri. Epicurus enim existimabat, non solum videndi sensum, verum etiam διανοητικὰς φαντασίας, i. e. visiones ad cogitandum intelligendumque valentes, simulacris et imaginibus excitari;

et quemadmodum sine imaginibus cernere non possimus, ita sine imaginibus cogitari non posse. Plut. Placit. IV, 8, et Cic. lib. I De Natura Deor. *Lamb.*

734. *Videmus.* Videre videmur, nempe somniantes : vel videmus animo, et cogitamus vigilantes : vel dic Centauros, i. e. Centaurorum imagines, etc. Centauri autem, Scyllæ, Cerberi non fuerunt, ut statim dicet, quum tamen eorum imagines ad animos nostros perveniant. Ad hunc locum pertinent illa Ciceronis ex l. I De N. D. 38 : « Quid quod ejusdem hominis imagines aliæ in meum animum incurrunt, aliæ in tuum ? quid quod earum, quæ nunquam omnino fuerunt, neque esse potuerunt, ut Scyllæ et Chimæræ, etc. » Ibid. : « Quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimæram putat? » Sic Virg. Æn. VI, 286, conjuncte posuit *Centauros* et *Scyllas*, ut res inanes. *Lamb.*

770 sqq. *Quod superest*, etc. Hi versus ab omni tempore crux interpretum fuerunt, quamvis nemo eorum animadvertit cardinem, in quo omnis res versatur. Postquam igitur dixerimus, sermonem esse de mentis humanæ notiones sibi fingendi omninoque sentiendi facultate, tenuissimis rerum imaginibus seu simulacris animum stimulantibus effecta, quam mentis effectionem auctor in proxime præcedentibus simillimam dicat animæ potestati in somniis se exserenti iisdemque rerum simulacris excitatæ et nutritæ, jam singulos versus loci nostri (ut in hac ipsa editione apparent), ex ordine inspiciamus. Vss. 770-772 licet per se prioribus facile adjungi possint, admodum tamen suspecti redduntur vss. 790-793, in quibus plane eadem sententia verbis longe elegantioribus repetitur. Porro quam languidi et superflui sunt vss. 772 et 775. Versus autem, qui interjecti sunt, 773 et 774 in omnibus libris MSS et editt. vett. iterantur post vs. 801 (ubi, a prioribus editoribus omissi, a Wakefieldo, codd. auctoritatem sequuto, restituti sunt), pariterque post vs. 775 in omnibus scriptis libris et antiquioribus inter excusos typis repetitur vs. 801, quem, simul cum duobus sequentibus a serioribus editoribus hic omissum, idem in contextum recepit Wakefieldus. Duo autem versus sequentes, et ipsi in omnibus codd. conspicui : « Tantaque sensibili quovis est tempore in uno Copia particularum, ut possit subpeditare », etsi non propter aliquam repetitionem, tamen ob internas causas maxime offendunt. Primum quantopere claudicent post versum : « Tanta est mobilitas et rerum copia tanta », aptissimam, ut videtur, totius loci clausulam, quisque ut sentiat necessarium puto, quum meram tautologiam contineant, quamvis quodammodo amplificatam, et, omni loco male intellecto, versibus 796-800 accommodatam, de quibus statim videbimus. Deinde etiam vox *sensibilis* scrupulum movet. Ut enim nihil dicam de vi et significatione, qua hic adhibetur, in forma etiam hujus adjectivi offendo, quod, licet Vitruvium quoque,

Senecam philosophum et seriores quosdam scriptores hic ibi eo usos esse sciam, in hoc tamen Lucretii loco, aliis de causis jam suspecto, vix ferendum dixerim. Quum enim Lucretio in omni opere non nisi forma *sensilis* et *insensilis* usurpetur (conf. II, 866, 870, 888, 893, 895, 902, etc.), nec in Ciceronis scriptis, quantum scio, vox illa unquam appareat, an illa jam ætate vocabulum nostrum in usu fuerit, sane dubitandum videtur. Jam vero loco de motu spectrorum in somniis apparentium, ut videtur, finito, auctor, ad aliam materiam tractandam transgressus, vss. 779-790 incipit nos docere, quomodo eveniat, ut simul atque rem aliquam cogitare velimus, extemplo imago ejus animo obversetur; at vero filo rursus abrupto, vs. 790 iterum ad imagines illas redit, eamdem de motu eorum disputationem, quam antea jam finiisse videbatur, denuo retractaturus, cui quæ inde a v. 796 sequuntur pariter non convenire videntur, ita ut omnem locum maxime confusum et perturbatum esse appareat. Dicam igitur, quid mihi de eo statuendum videatur. Vss. 770 sqq. et vss. 790 sqq. unius ejusdemque sententiæ varias esse expositiones, quarum alterutra tantum a Lucretio proficisci potuerit, satis manifestum puto. Quare quum prior mire et languide expressa, partimque ex alterius versibus repetitis composita sit, hæc seriori interpolatori tribuenda videtur, in posteriori vero, quæ, licet manca et alieno loco interposita, simul cum seriori servata sit, ipsius Lucretii manus agnoscenda. Versibus autem 790-795, ab eo, quem nunc obtinent, loco remotis, optime cohærent vss. 781-789 cum vss. 796-800, quibus, omisso etiam vs. 801, quem et sensus et repetitio in priori loco ad alteram de somniorum imaginibus disputationem pertinere demonstrat, apte rursus junguntur vss. 802 sqq. Quare si quæritur, quomodo tandem locus a Lucretio ipso profectus videatur, ex mea sententia sic fere constituendus erit, vss. 769, 790-795, quibus ex altera loci parte mutila et corrupta addenda essent fragmenta vss. 773, 774 et 801 servata; tum vss. 779-789, 796-800, 802 sqq., ut igitur præter repetitiones supra indicatas interpolatori tribuendi sint vss. 770-772, 775, et duo illi in codd. versui 801 jam in superiori loco posito adjecti. *Forb.*

797. *Consentimus.* Versus, quomodocumque legatur vel explicetur, durissimus, quem propterea Lamb. Faber, Creech. aliique spurium censuerunt. *Consentimus id,* (scil. ita esse) Wak. præbet cum omnibus libris. Vulgo *cum sentimus. Ut* dant Junt. Ald. 2, quas editores sequuntur, ceteri libri *est,* quasi voluissent, *consentimus : id est,* etc. ut hæc verba contineant explicationem vocis *consentire. Forb.*

806. *Nisi quæ ex sese.* Lamb. *Nisi sic sese* in codd. suis invenisse videtur, quem cum Eichst. sequutus sum, fortasse non optimo jure. *Forb.*

809. *Sunt.* Sic omnes libri, quibus Wak. obtemperavit. Vulgo *sint* ex editorum arbitrio. *Forb.*

811. *Nec sine eo.* Etiam mathematici docent, primum, adspectus alios fieri per lineas a punctis rerum adspectabilium ad perpendiculum in oculum, seu in visum incidentes: et hi adspectus distincti appellantur: alios per lineas, quæ a rebus adspectabilibus non cadunt in visum ad perpendiculum; et hi indistincti nominantur: deinde omnem adspectum fieri vel inspectione simplici, et subita oculi adjectione ad rem aliquam; vel contuitione accurata et intenta. Ut igitur rem aliquam acute cernam, et plane ac perfecte inspiciendo cognoscam, duo concurrere oportet: unum, ut res quæ cernitur, oculo sit ad perpendiculum opposita, lineæque a re quæ cernitur, in oculum ad perpendiculum incidentes, pyramidem efficiant, cujus vertex sit in puncto medio oculi, basis vero in extremitate seu summa cæsura rei quæ cernitur: alterum, ut rei contuitio sit diligens et accurata, et tam diuturna, quantum satis sit. *Lamb.*

816. *Præter quam quibus est in rebus.* Alii volunt *præterea quam quæ est rebus;* male.

824. *Illud in his rebus vitium vehementer,* etc. Hos duos versus indignis modis corruptos, ego vestigia scripturæ veteris odoratus, et Lucretii sententiam ipsis cubilibus persecutus, non infeliciter, mea quidem sententia, restitui. Sed proponam primum scripturarum dissimilitudines: deinde ejus scripturæ, quam probavi, sententiam explicabo. Sic igitur scriptum est in cod. Vatic.: «Illud... inesse Effugere errore, multareque præmetuentor»: alii *errorem*, vel *errores;* alii *vitareque præmetuenter:* cod. typis impressi, Paris. et Venet. antiqui, «Effugere errorem, vitareque præmeditemur»: ceteri vulgati ita corrupti sunt, ut pigeat me referre. Sic igitur repono, «Illud in his rebus vitium vehementer, et istum Effugere errorem, vitareque præmeditator, etc.» id est, multo ante meditator in his rebus illud vitium, istumque errorem effugere ac vitare, ne scilicet facias, neve existimes, oculos ejus rei gratia esse creatos, ut cernamus; suras et pedes, ut ambulemus; brachia et manus ad ea facienda, quæ ad vitam sint utilia, etc. Non enim membra aut quicquam omnino in corporibus nostris natum est, ut eo utamur: sed ex eo quod natum est, proficiscitur usus. Neque enim viderunt homines, ante quam oculos a natura habuerunt, neque ante orationes habuerunt, aut omnino locuti sunt, quam lingua creata est: sed contra et oculi prius creati sunt, quam quicquam cernerent, et lingua prius nata est, quam loqui posset. Quod si id verum esset, quod quidam arbitrantur, membra esse creata, ut eis cerneremus, audiremus, fabricaremur, ambularemus, etc. sequeretur ex eo, nos et prius, quam oculos haberemus, cernere, et sine manibus fingere aut pingere, et sine pedibus ambulare potuisse. Nam quicquid alicujus rei fit gratia, id

ea re, cujus rei causa comparatur, posterius est tempore : ut lectus dormiendi et quiescendi causa factus est; poculum bibendi causa comparatum est; parma tegendi corporis et vitandæ plagæ gratia reperta est. At prius quam lecti, pocula, parmæ essent, et quiescebant, et bibebant, et plagam vitabant homines. Quum igitur neque ante quam oculi essent creati, cernere; neque ante pedum originem, passus proferre; neque ante manus factas, quicquam contrectare potuerint homines; falsum est et oculos cernendi, et pedes ambulandi, et manus contrectandi causa esse factas. Aliter sentiebant Stoici, ut refert M. Tull. lib. III De fin. Hanc autem Epicuri opinionem refellit et Lutatius, sive Lactantius, lib. De opificio Dei, cap. VI. *Lamb.* — Ceterum, si quod in physicis Epicuri maxime improbabile est, hoc ipsum, quod hic asserit Lucretius, tale est. Sed quamobrem ita judicavit? Videlicet (hæc mea sententia est, alii fortasse aliam afferent) si Stoicorum opinionem sequutus fuisset, videbat sibi necessario admittendam esse Providentiam; quæ ex consideratione et usu partium humani corporis elucescit maxime. Inde est quod dicere soleo, Galeni librum de usu partium ad comparandam Dei ejusque providentiæ cognitionem longe plus prodesse, quam omnes omnino aliorum libros, qui super iis rebus conscripti a veteribus fuerint. *Faber.* — Gronovius pro *inesse* emendat *inesto*, id est, hoc tibi inculcatum et infixum sit. Vossius legit « inesto effugere, errorem vitareque, præmetuenti ut Lumina, etc. ». — Ex hisce omnibus eam, quam vides in editione nostra, lectionem concinnavi, in qua non tantum scripsi *præmetuenter*, sed etiam *inesse;* illud ultimum nova ratione, non scilicet ut subintelligam *puta* vel *scito*, verum ex Græcismo adducta ratione; amant enim sæpe Græci, Attici præsertim, infinitivum pro imperativo usurpare, ut Phocylides : Μέτρῳ μὲν φαγέειν, πιεῖν, καὶ μυθολογεύειν i. e. « Moderate edito, bibito, ac loquere, » pro φάγε, πίε, καὶ μυθολόγευε. Neque dubito quin, ut alia multa, ita et hanc elegantiam politiores ex Latinis poetis sint imitati, nosque in iis videremus, si per editores licuisset. *Haverc.*

826. *Lumina ne facias*, etc. Certe festivum est in festivissimis hoc Epicureorum dogma; partes nempe corporis ad suos usus non esse primitus institutas, sed his sensim ab experientia accommodatas. Hinc mehercule credibile est, homines principio conatos esse loqui, et rerum nomina proferre, non ex ore, prout nunc dierum, (dii meliora!) sed ex foramine postico : quum vero res hac via non satis feliciter procederet, alia tandem cœperunt aggredi, ut μίροπες evaderent : unde factum est, scilicet, quamvis ratio deterior loquendi in desuetudinem quodammodo abierit, nos eam usque ad hunc diem haud prorsus dedidicisse : « adeo in teneris consuescere multum est! » Ceterum, omnem hanc doctrinam Epicuream agitavit acerrime Lactantius in tractatu de opificio Dei,

cap. VI, nec defricuit acerbo minus sale Prior nostras lepidissimus, in perdocto et ingenii subtilissimi poemate, *Alma* dicto, cant. I, vs. 136, ad vs. 192. *Wak.*

832. *Possemus, quæ foret usus.* Istud *foret* satis probare videtur, legendum, non *possimus*, sed *possemus;* neque ut aliter loquamur ratio ipsa sinit. *Fab.* — *Quæ foret usus*, i. e. quæ foret opus. Quidam tamen legunt, *quæ ferat usus.* Ego malim hic nihil mutare. *Creech.*

896. *Dispergitur.* Forbiger, hic sibi non constans, scribit cum Wak. *dispargitur.* Quia major pars codd. et edd. huic lectioni favet. Malui tamen eumdem scribendi tenorem per omnia servare. Ed. — *Quasque.* Sic omnes quotcunque libri præter duos, quare dubitavi tam probam et munitam lectionem e solis Lugd. 1, 2, cum Wak. et Eichst. in *quisque* mutare. *Forb.* — *Quisque*, optime! venustissime! exquisitissime! ac longe longeque supra captum librariorum, qui statim ad hanc elegantiam offenderent, et in lectionem ceterorum exemplarium immutatum irent, *quasque* dico. Jam vero *quisque aer*, quasi *multi* fuerint *aeres*, multa foramina penetrantes. Nihil rectius. Omnem dubitationem, si qua supersit tibi, tollet vs. 292 hujusce libri. *Wak.*

902. *Quippe etenim ventus.* Aristoteles μηχανικῶν cap. 7 rationem affert, quam ob rem, quanto antemna sit altius elata, tanto citius navis feratur, eodem velo, eodemque vento. Quæ ratio intelligi non potest, nisi ab eo, qui, quare vectis tantam vim habeat movendorum gravissimorum onerum, causam cognorit. Est autem *vectis* palus ligneus, seu ferreus lingulatus, seu rostratus: μοχλὸν Græci appellant. Nam, ut scribit Vitruv. X, 8, quod onus manuum multitudo movere non potest, supposita, veluti centro, et porrecta pressione (quod Græci ὑπομόχλιον appellant) et vectis lingua oneri subdita, ejusdem vectis caput, unius hominis viribus depressum, id onus extollit. Causa igitur hujus rei est, ut docet ibidem Vitruv. quia prior pars vectis brevior ab ea pressione, quæ est loco centri, subit onus: et quia caput ejus longius ab eo centro, i. e. a pressione, distans, quum per id ducitur, faciendo motus circinationem, cogit pressionem paucis manibus oneris maximi pondus examinare. Semper enim, quanto posterior pars, i. e. ea quæ est a centro, seu a pressione ad vectis caput, quod a motore premitur, fuerit longior priore, i. e. ea parte quæ a centro ad lingulam seu rostrum pertinet; tanto facilius onus movebitur. His igitur cognitis et præpositis, quamobrem velum vento inflatum, maxime si antemna non procul absit a cacumine mali, celerrime navem moveat, facile intelligere licet. Malus enim rationem vectis obtinet: mali sedes, seu mali calx, est loco hypomochlii, id est, pressionis: ventus, qui velum implet, est veluti motor. Itaque si antemna longissime absit a sede mali (ἰδώλιον nominat Aristo-

teles), quæ quidem mali sedes centri rationem obtinet, navis citissime feretur. Linea autem, quo longius abest a centro, eo majorem circulum describit. At, ut maximus quisque circulus est, ita celerrime et concitatissime movetur. Eodem enim temporis spatio, quo circulus minor, nempe is qui propius abest a centro, certi loci spatium metitur et conficit, circulus major ampliorem locum percurrit. *Lamb.*

904. *Et manus una regit.* Vitruvius eodem quem commemoravi libro: «Quemadmodum etiam» (inquit) «navis onerariæ maximæ gubernator ansam gubernaculi tenens, quod οἴαξ a Græcis appellatur, una manu momento per centri rationem pressionibus artis agitans, versat eam amplissimis et immanibus mercis et penus ponderibus oneratam, etc.» Aristoteles, cap. 6 μηχανικῶν, hujus rei causam hanc affert, «quod gubernaculum vectis locum obtineat, navis oneris, gubernator motoris, cardines, in quibus vertitur gubernaculum, hypomochlii». *Lamb.*

930. *Conflétur.* Vulgarem lectionem, etsi libris omnibus reclamantibus, ob rationes grammaticas et conjunctivum *possit* in sequenti versu retinendam duxi; quare hic quidem probare non possum Wakefieldum omnium librorum scripturam *conflatur* in contextum recepisse, quam Eichst. quoque respuit. *Forb.*

936 sq. Inter locos ob sensum valde suspectos retulerim hos versus qui non hujus solum loci argumento, sed alii etiam Lucretii loco clare adversantur. Auctor enim causas somni exponens, eas in auris sibi invenisse visus est, quæ partim extrinsecus, partim respirando absorptæ intrinsecus etiam corpus adficiant et debile reddant, ita ut somni appetitus necessario sequatur. Jam vero unum credibile est, Lucretium versibus illis de tutamentis, quibus natura animalia contra vim aurarum instruxerit, argumentum suum ipsum imminuisse et ex parte rursus sustulisse? Sed refragantur hi versus longæ etiam disputationi illi vs. 824 sqq., qua Lucretius evincere studet, nullum corporis membrum, nihil omnino in omni natura, usus causa et aliquo consilio esse procreatum, immo usum demum fortuitam rerum originem sequutum et ex ea ipsa deductum esse; quibuscum quomodo hæc de coriis, conchis et corticibus animalium conciliari possint, equidem non perspicio. Denique ipsa horum versuum compositio et cum ceteris conjunctio ita est comparata, ut νοθείας signum in fronte quasi expressum gerere videantur. *Forbig.* — Equidem facile crediderim cum Wak. Lucretium hic sibi non constitisse; vide supra notas. Ed.

953. *Cubanti sæpe tama.* Multa omnino specie se commendat hæc conjectura; nam *tama*, vocabulum inusitatius, facile degeneravit in

tamen, cui, quod sententiæ minus congrueret, *etiam* in quibusdam substitutum est. Apud Festum autem : « Tama dicitur, quum labore viæ sanguis in crura descendit, et tumorem facit ». Lucilius : « Inguen ne existat, papulæ, tama, boa ne noxit ». Ut vitium corporis ex delassatione contractum proprie notet. Noster metonymice forsan pro ipsa lassitudine pedum usurpavit, et *cubanti* potius dativus casus est, pro subsidenti, sive, adeo ut subsidas, neque stare amplius aut pergere queas. Loquitur enim de somno, quem satur aut lassus in primis capias. *Preig.* et *Hav.* — At hæc ipsa conjectura, quam uterque laudibus extollit, mihi quidem admodum artificiosa, et ab hoc loco plane aliena videtur. Quid enim ab hoc loco, ubi vulgares et quotidianæ somni causæ referuntur, magis alienum esse potest incognito illo morbi alicujus nomine, qui, ut ex ipso Lucilii loco et Festi interpretatione apparet, in tumore pedum et varicibus hæret? Hoc autem verbo Lucretium metonymice pro lassitudine pedum usum fuisse, admodum audax certe est opinio. Quare potius hunc versum, qui a pluribus libris abest, adscriptum puto ab interpolatore quodam, qui præcedentis, non recte intellecti, sententiam participio *cubanti* non apte finitam haberet, ideoque versum quemdam ad hoc participium pertinentem excidisse ratus, hanc lacunam versu a se adjecto explere studeret. *Forb.*

955. *Deinde cibum sequitur.* Idem tradit Arist. lib. de somno et exper-rectione : nempe cibi et potus halitus humidos sursum ferri : qui ubi in supernum locum pervenerint, tunc quia sunt graves et corporei, deorsum referuntur et recidunt, et una secum calorem vitalem et nativum, qui sua sponte sursum fertur, rapiunt, et ad interiora detrudunt ; quo facto creatur somnus. Itaque a cibo somnus altissimus et gravissimus esse solet : itemque a labore. Labor enim liquefacit, et quasi tabefacit. Quicquid autem ex corpore liquescente deteritur, est veluti cibus non coctus, et crudus. *Lamb.*

963. *Quo quisque fere studio.* Incipit ab hoc loco de somniis disputare : quæ inania arbitrabatur Epicurus, et prorsus divinitatis expertia : nec mirum, qui divinationem omnem tollebat. « Quum somnia sint (ut ait Aristot.) reliquiæ earum rerum, quas vigilantes sensu percipimus » : vel (ut idem Aristoteles definit) « visa ex motionibus rerum a vigilantibus sensu perceptarum animantibus inter dormiendum objecta, qua dormiunt » : quumque ea quæ a vigilantibus sensu percepta sunt non statim ut sensus afficere desierunt, evanescant, sed aliquantisper maneant : quemadmodum, si rem aliquam mobilem agitaveris, non continuo, simul atque eam movere desieris, et manum continueris, ea quoque conquiescit : non est mirum dormientibus nobis eorum imagines objici, quæ vigilantes aut egimus, aut locuti sumus, aut cogitavimus. De somniis legendus Tertullianus libro De anima. *Lamb.*

983. *Consessum.* Omnes fere codices *consensum*, perfacili errore. — *Consensum*, symmetriam et synodiam. Quidam codices servant *concentum*, i. e. suavem harmoniam quæ succentore constat et incentore et hujusmodi consensu. *Pius.* — Utraque lectio sese tueri potest, immo et *consessum*, quod vulgatum est, haud displicet. *Hav.*

990. *Palma.* Vulgarem lect. Wak. cum Forbigero retinuit, etsi in omnibus fere libris *palmis* legitur, quum numerus multitudinis minus aptus videatur.

991. *Sæpe quiete.* Versum, quem Lamb. Gifan. Faber, Creech. jam spurium judicarunt, non tamen cum Wak. uncinis inclusi, quia mihi quidem in ultimis tantum verbis corruptus, sed non omnino nothus videtur. *Forb.* — Versum retineri tamen posse judicat Lambinus, si legatur e II, 263 : « Tunc quasi carceribus patefactis tempore puncto » : e quo loco forsan in locum alienum delatus est. *Creech.* — Ego hosce versus ita puto esse emendandos et in ordinem redigendos : « In somnis..... sæpe; Haud, quasi carceribus patefactis, stare quiete, Et quasi de palma.... vires ». *Hav.*

994. *Crebro.* Vind. Brit. 1, 2, 3, *crebras*, ut edi solet contra castiores et antiquiores libros. *Wak.*

998. *Erroribus.* Ita Turnebus, et recte quidem. Valeant autem codd. Gifanii cum suis *terroribus*, quid enim terreat canes vestigia feræ, leporis forsan, persequentes? *Creech.*

999. *Consueta domu.* Vulgo *domi*, et sic omnes codd. Unde post hunc versum, Lamb. alterum substituit : « Degere, sæpe levem ex oculis, volucremque soporem ». Eo tamen opus esse non judico; dixit enim poeta *discutere* et *corripere de terra corpus*, quorum prius differt a posteriori, et ille catulorum actus est, quo, oborto terrore aliquo, quatiunt villos atque erigunt pilos. *Hav.*

1009. *Itidem.* Sic Hav. et Wak. cum omnibus libris præter Junt. et Ald. 2, ut vulgares edd. *etenim* præbentes. *Forb.*

1023. *Lacum propter ac dolia.* In omnibus libris legitur *propter se ac*; et in seq. versu vox *se* repetitur. Priorem omittere malui, quia beneficio cæsuræ versus pariter constat. Wak. edidit *seu dolia.* Ed.

1025. *Fundunt.* Alii *ut corpori' fundant.* Suspicatur Wak. *et* in fine versus præcedentis excidisse.

1056. *Frigida cura.* Liber Memmian. habet *fervida cura.* Ego nihil muto : sic enim Hor. Epist. ad Jul. Flor. I, 3, 26 : « Frigida curarum

momenta relinquere posses ». *Lamb.* — Necessario revocandam arbitror lectionem MS *fervida*; eam certe quilibet probabit, qui unquam ex animi sententia dixit, « Nunc scio quid sit amor ». *Faber.* — Probabit etiam ille, qui observat Lucretium ortum Cupidinis, atque incrementum explicare, primum Veneris gutta in cor stillat, deinde vehemens cupido, quæ per simulacra jugiter advenientia, immo per fabulas nutritur. *Creech.* — Pius nimirum affirmat in antiquis codicibus non legi *frigida*, sed *fervida*; at illam sane scripturam in Σ egomet offendi: sed unanime reliquorum omnium exemplarium multo pluris faciendum est testimonium, atque potissimum Lucretii ipsius mens et scopus; qui passim de *amore*, ut affectu γλυκυπίκρῳ, cujus lætis rebus utique malorum mensura par est, loqui solet: id, quod sequentia ex abundanti probant. *Wakef.* — Eichst. reduxit *fervida*, quod Forb. quoque tacitus recepit. Sed obvium erat cuivis hoc amoris epitheton, et a librariis huc intrudi potuit. Alterius vero lectionis reconditior est sensus, ideoque eam a poeta potius profectam arbitror. Sic Theocrit. II, 106: Πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον, et vs. 110: Ἀλλ' ἐπάγην δαγῦδι καλὸν χρόα πάντοθεν ἶσα. Ed.

1059. *Sed fugitare decet.* Quam pulchris versibus, quam gravibus sententiis deterret nos ab amore Lucretius? Quam aperte et luculente amantium furorem insaniamque ob oculos proponit? Quam docte et perite amoris incommoda et molestias enumerat? Quam merito et vere ejusdem voluptates extenuat, elevat, ac deprimit? Quam perspicue amantium in re ipsa Venerea transigenda, atque in ipso corporum complexu rabiem describit? Digni versus, qui accurate legantur atque ediscantur: digna præcepta, quæ et juvenes et viri his levitatibus amatoriis dediti penitus in animo recondant. *Lamb.* — In toto Latio, quantum quantum est, nihil, ut opinor, quidquam legas, quod æque legi oporteat, atque eos versus qui hunc sequuntur. Sed tamen reperti olim fuere nonnulli, hodieque reperiuntur ejus generis bene multi, qui illos ab oculis hominum, si fieri queat, removendos esse contendant, quasi si insigni quadam turpitudine scateant. Miserum itaque Poetam nostrum, cujus tam frugiferum, tamque salutare consilium, adeo improsperos eventus habeat, quamvis tot argumentis probarit, certissimam homini pestem ab re Venerea esse, atque adeo cane pejus et angue vitari oportere nugivendulas istas mulierculas, quæ suos amatores offrenatos ductitant; quamvis rem, famam, sanam mentis corporisque valetudinem, ea via defluere ostenderit. Hoc certe videor affirmare posse: Si, quæ a Lucretio hic scribuntur, ea pro fœdis et flagitiosis dictis habebuntur; longe illis turpiora, longeque fœdiora reperiri in eo libro posse, quem nemo sine præsenti famæ periculo reprehendat. At enim, sentio, virum illum sanctissimum (quem appellare, nunc quidem, haud sane magnopere attinet) dicent ea gratia rem ipsam, quamvis turpissimam, tam

aperte tamque perspicue tractasse, ut ex tanta tamque flagitiosa descriptionis fœditate vitium illud magis aversabile fieret. Fateor, neque unquam aliter sensi. Sed Lucretius quo fine scripserat? an ut lenonias operas præberet, et ex pessimo omnium mercimonio rem faceret auctiorem? Hoc quidem multis temporibus alii poetæ fecere, quibus profuit, et nunc fortasse nonnullis prodest; sed vitæ integritas, gravitasque morum, ac tot saluberrima præcepta hic illic per totum opus sparsa, hujusmodi suspicionem longe a Lucretio amoliuntur. *Faber.* — Hæc de consilio poetæ Faber, nec falso : nihil de dictione, quæ tamen est purissima, nec Lucretium in ulla parte totius operis quam in hac magis diligentem invenies; ita vero simplex et significans, ut interpretationem non admittat. Quippe in iis vocibus quæ parum verecundæ sunt, Latium, saltem quod ego scio, non est copiosum. Latina quidem habet et Romana verba (vid. Martialis lib. II, Ep. 20); sed ea tamen parce invenit, et parcius utitur. *Creech.*

1060. *Absterrere.* Lambinus ex ingenio reposuit *Abstergere*, offensus, et merito quidem, insolente dicendi genere, *absterrere pabula :* eamdem dictionem Gifanius affirmat se in veteribus libris invenisse, cui Lambidus non credit; nec injuria. Nimirum, neque ille, neque alius quisquam veram verborum seriem grammaticam perspexit, quæ sic se habet : «Sed decet fugitare et absterrere sibi simulacra, *quæ sunt* amoris pabula». Præterea, *Absterrere simulacra*, pulchre omnino, atque congruenter dictum est : nam et mortuorum umbras, vel *simulacra, terreri* fingunt poetæ. Virgilius, Æn. V, 738, VI; 491; Hom. Od. Λ, 48. *Wakef.* — Mihi tamen non necessarium videtur sumere *pabula amoris* tantum in appositione addita esse ad *simulacra :* quare commata, quibus Wak. verba illa inclusit, cum Eichst. rursus omisi. *Forb.*

1079. *Quodcumque est, rabies unde illæ germina surgunt.* Sic restitui ex auctoritate quinque librorum manuscr. a quibus non admodum dissentiunt codices vulgati Paris. et Veneti antiq. nam ceteri habent partim «Rabies unde illa hæc geminat urgens» : partim, «Rabies unde illa hæc germina surgunt.» *Rabies* autem positum accipio pro rabiei, præterea *illæ* generandi casus est, feminini generis, antiquus, de quo supra lib. II, ubi, « unæque figuræ ». De hac obsoleta genitivi quintæ declinat. forma cf. Sos. Charis. p. 18, et p. 52; Diomed. p. 281; Ruddim. Inst. Gr. I, p. 106, not. 52, et Schneid. Gr. Lat. II, p. 355 sq. *Forb.* — *Ollæ.* Retinui vulg. lectionem quam quinque codd. Lambini, Vind. et Brit. 3 tuentur. Wak. edidit *illæc.* Sed satis clarum est pronomen illud aptius voci *rabies* quam verbo *germina* addi. *Forb.* — *Surgunt.* Vocem prorsus insolentem pronuntiat Wak. et ex ingenio corrigit *turgunt.*

1085. *Quo.* Sic P. verissime, et longe supra scribarum captum; adeo ut reliquorum exemplarium scriptura, *quam*, multo suspectior sit de hodierni correctoris importunitate; redi ad notata in vs. 1002. *Wak.*

1111. *Ubi se erupit.* Recte interpretes retinuerunt hanc lectionem, quam et optimi MSS conservant, perperam vero Creechius, *rupit nervis.* Quidam *venis* legunt: ut sit sensus: Quæ voluptas in venarum interiori fomite bacchabatur. *Pius.* — *Collecta cupido.* Alii libri habent *conjecta cupido,* quod idem valet: *collecta* tamen malo. *Lamb.*

1117. *Absumunt nervos.* Ita in P. et, perpensis omnibus, hanc lectionem admittendam putavi; quamvis Virgilii exemplum adversari videatur, Georg. III, 215. Nihilo minus τὸ *vireis* multo magis interpretamentum resipit, quam *nervos;* et multo minus obnoxium fuerit aberrationibus scribarum. *Wak.*

1119. *Vadimonia.* Sic quidam Pii codices; reliqui libri universi, *babilonia,* vel *babylonia;* quod vitium huc videtur importatum ex vs. 1026. De sinceritate lectionis receptæ non est, me judice, dubitandi locus. *Wak.*

1139. *Aperto.* Retinui cum plurimis libris vulgarem lectionem quam nescio quomodo Wak. dicere possit rationibus loci non satis convenire. Optimus est sensus: si modo oculis utaris, nec ipse consulto cæcutias. Quæ verba multo melius respondent verbis *ut melius vigilare sit,* quam Wakefieldi *operto* e Lugd. 1, 2, Cant. receptum, quod sic explicat: quivis, vel sit licet Hypsæa cæcior, possit discernere. *Forb.*

1141. *Illiciaris.* Sic Ald. 1, 2, Bon. et Junt. quas cum Eichst. sequutus sum, quum lectio sit facillima, et aliis Lucretii locis commendata (cf. II, 788, et V, 170). Non tamen diffiteor, ob codd. lectiones me libentius Wakefieldi *inliniaris* recepturum fuisse, si modo mira ratio, qua hoc verbum usurpatum foret, a Wak. similibus exemplis comprobata esset. Vulgo *inlaqueeris* e Lamb. conjectura. *Forb.*

1153. *Atque alios alii irrident.* Hos tres versus deleri velit Lambinus; at ego nolim; sunt enim Lucretiani et optimi sensus. Amatores quidam suadent amico suo, qui deformem puellam amet, ut propitiam sibi Venerem faciat, a qua hujusmodi amor immissus sit, quum interim ipsi minus amabilem, minus venustam, ament, etc. *Faber.* — At ego vel nihil video, vel Lucretiani sunt, et positi olim ab ipso Poeta post vs. 1148. *Hav.*

1165. *Labiosa.* Vulgaris est lectio quam cum Eichst. retinui. Poor. Brit. 1, 2, Cant. *labrosa,* quam Wak. recepit. *Forb.*

1176. *Quem si jam admissum.* Ostendit inconstantiam et mobilitatem amantium, ubi quum exclusi fuerunt, desiderio puellæ contabescunt: ubi vero intromissi sunt, levissima re offensi discedere volunt: et tum resipiscunt, tumque se stultitiæ condemnant, quod mulierculam tanti fecerint. Fortasse autem significat, utile, atque adeo salutare esse amantibus, amicarum suarum ingenia, et mores, et victus consuetudinem, et vitia nosse: quoniam his cognitis, quantopere desipuerint, qui talem amarint, intelligunt. Cujus rei exemplum est notissimum apud Ter. Eun. V, 4, 8. *Lamb.*

1179. *Stultitia.* Sic Vind. V. ed. Β. Ο. Δ. Π. Σ. Ω. regimine minus trito, atque adeo importunitati scribarum magis obnoxio. Exemplaria reliqua, *Stultitiæ. Wak.*

1182. *Vitæ postscenia celant.* Quum in libris manuscr. reperissem partim *postcenia*, partim *postcœnia*, ego *postscœnia*, sive *postscenia*, litera *s* addita restitui. Erat autem *postscenium*, seu *postscœnium*, locus post scenam, ubi multa fiebant, quæ a spectatoribus audiebantur tantum, non autem cernebantur: quale erat βροντεῖον apud Græcos: in quo, ut scribit Julius Pollux, calculis compluribus in utres conjectis, et illis utribus per aera versatis, atque agitatis, tonitru similitudo referebatur. Alii *proscenia*. *Proscenium* autem (ut docet Diomedes) est pulpitum et locus ante scenam, in quod pulpitum prodibant actores. Itaque *proscœnia vitæ* hic non convenit. Nam per *postscœnia vitæ* (ut diximus) significat Lucretius absconditam et intimam puellarum seu meretricum vivendi consuetudinem, et omnia quæ domi faciunt, quum solæ sunt: quæ suis amantibus occulta esse volunt. *Proscœnia* autem *vitæ* contra significarent quidquid puellæ impudicæ, et hujusmodi mulieres, coram amatoribus suis et loquuntur, et faciunt: quod totum est fictum et simulatum, et ad illiciendos amantes comparatum: nihilque in eo verum, nihil simplex, nihil genuinum. At hæ mulieres fucum, munditiem, luxum, splendorem, risum, blanditias, et reliquum apparatum meretricium habent in promptu positum, et suis amantibus ostentant. Sordes autem suas, inopiam, ingluviem, illuviem, immunditiem, maculas corporis, rugas, crines emtos, et similia, occultant. *Lamb.*

1185. *Inquirere risus.* Sequutus olim fueram codices vulgatos, *anquirere in usus*, nisi quod illi habent *inquirere*. *Anquirere* autem seu *inquirere in omneis usus*, sic interpretabar, inquirere omnia meretricum facta scilicet in usus tuos: plane duriuscule. Itaque admonueram lectorem libros scriptos habere *omneis anquirere*, seu *inquirere risus*. Per *risus* autem, si hæc lectio recta esset, significaret Lucretius fallacias meretricum, quibus illudunt suos amatores: sententia huic loco conve-

niente, sed quæ non satis ex verbis posse elici videatur. **Nam per *risus*** significarentur potius derisiones et ludibria. Quare harum **lectionum** nunc mihi neutra placet. Venit postea mihi in mentem **hæc tertia, *omneis inquirere lusus :*** ut per *lusus* meretricum fallacias, **quibus suos** amatores illudunt, intelligamus. Sed ne hæc quidem mihi **satis postea** probata est, quia et aliquanto remotior sit a scriptura vel **recepta**, vel antiqua : et minus cum antecedentibus aut **consequentibus cohærere** videatur. Quum me tandem in omnes partes **cogitando vertissem**, existimavi, aptissime legi posse, *omneis anquirere nisus :* **ut per *nisus*** significet Lucretius studia, quæ adhibent puellæ illæ **ad artes ac fallacias suas occultandas**, ceteraque sua vitia tegenda. **Quæ sententia** cohæret aptissime et cum illis superioribus, « **Omnia summopere hos** vitæ postscenia celant, etc. » et cum iis quæ sequuntur, « **Prætermittet** te humanis concedere rebus » ; i. e. non admodum studebit, **aut nitetur** te sua mala et vitia celare. *Lamb.* — Immo *risus* **inquirere jubet num veri sint, num ficti.** *Hav.*

1187. *Prætermittere ;* lectio est plurimorum exemplarium **quam Hav.** et Wak. receperunt, sed diverso modo intelligentes. Ille enim hiatu admisso, *prætermittere* habet infinitivum, sic explicans : « quæ non odiosa est prætermittere, id est, facile prætermittat » ; hic vero *prætermittère* putat esse futurum pro imperativo. (Vide supra in notis.) Mihi hæc altera ratio præferenda videtur. *Forb.*

1195. *Subat, ardet abundans.* Sic reperi scriptum in libris manuscr. pro quo vulgati habent *subito ardet*, mendose. Dicuntur autem *subire* quadrupedes feminæ, quum libidine flagrantes marem appetunt, et maxime sues. Auctor vocabularii Latino-Græci manuscr. *Subat*, inquit, ὀργᾷ. Ὀργᾷν autem est « complexum maris aut fœminæ appetere ». Utitur hoc verbo Hor. Epod. XII, 11. Dictum est autem *subat, ardet*, ἀσυνδέτως : quale illud apud Hom. Il. XI, vs. 119 : Σπεύδουσ' ἰδρώουσα, i. e. *properans, sudans*, et alia sexcenta. *Lamb.*

1196. *Retractant.* Si legemus *retractant*, subintelligitur pronomen *illa*, nempe animalia, hoc modo : et animalia illa, de genere feminarum, Venerem marium salientium atque irruentium læta vicissim et pro sua parte tractant, i. e. maribus in Venerem ruentibus pariter et mutuo respondent : una cum maribus voluptatem rei Venereæ tractant : sin *retractat*, quo modo hic edi jussi, subintelligemus « natura illorum animalium ». *Lamb.*

1205. *Et commiscendo quum semen.* Nunc quærere incipit, quamobrem filii patribus ac matribus similes sint, aut dissimiles. *Commiscendo* au-

tem, i. e. inter commiscendum, seu in commistione viri et feminæ; qua de re Lactantius lib. De opif. Dei. *Lamb.*— Quum semina inter se permixta coalescant, si virile superaverit, patri similis provenit sive mas, sive femina; si muliebre prævaluerit, progenies cujusque sexus ad imaginem maternam respondet. Hincque plerumque fieri solet, ut unius tantum lineamenta prætendant: si vero æqua fuerit ex pari semine permixtio, figuræ quoque miscentur, ut soboles illa communis aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet; aut utrumque quia partem de singulis mutuata est. Quod autem nati avos aut proavos aliquando referant, id fit, quia semen contexitur e moleculis pluribus, quæ non semper exsolutæ omnes ad atomos usque, nec proxime ipsas in generatione prima proximave aliqua, sese deinceps in aliqua consequentium sic explicant, ut quod potuissent in proxima id agant solum in remota. Hæc Salmasius Ep. 51 ita legit: «Et commiscendo cum semine, forte virilis Femina vim vicit, subita vi corripuitque». *Creech.* — Turnebi (vide notam sequentem) conjecturam, etiam non inspectam, ultro eram sequutus, et porro sequor. *Hav.*

1206. *Femina vim mulxit subita vi, corripuitque.* Quum sequutus essem in prima editione, omni ex parte libros vulg. nisi quod *mulxit*, non, ut illi habent, *mulsit*, excudendum curaram, in hoc uno scripturæ veteris auctoritatem non aspernatus, quod ex *mulcit*, feceram *mulxit;* in ceteris autem scripturam veterem, ut depravatam, rejecissem: de toto hoc loco ita senseram, itaque scripseram, et vero his ipsis verbis usus. Si quis tamen veteris scripturæ rationem habendam putabit, quemadmodum mihi maxime videtur; sic aliqua poterit haberi, ut hoc modo legamus: «Et commiscendo quum semen forte virile Femina commulxit subita vi, conripuitque»: vel hoc modo, «Et commiscendo quum semen forte virile feminei mulxit subito vis, conripuitque, etc.» quæ lectio omnium planissima est, et fortasse vera. Adrian. Turnebus autem multo severius ac religiosius veterem scripturam retinet, hoc modo: «Et commiscendo cum semine, forte virile Femina vi mulxit subita, vi conripuitque». Venio nunc ad receptam, eam dico, quam sequutus sum, quamvis non admodum probem: quæ talis est, «Et commiscendo quum semen forte virile Femineum mulxit subita vi, conripuitque, etc.» quam sic explico: quum in commiscendo, atque in concubitu, seu complexu maris et feminæ, semen feminæ vi quadam subita *mulxit*, i. e. attraxit, et corripuit semen virile, (quod non semper accidit: ideireo addidit *forte*. Nam sæpe semen virile effluit ex locis muliebribus, neque mulgetur, aut rapitur a matrice:) tum igitur ex materno quidem semine fiunt filii matrum similes; ex paterno autem, patrum. Hæc mihi videtur esse hujus loci sententia. Ego tamen malim legi, «Feminei mulxit subito vis, etc.» ut sit «vis feminei seminis.» Hæc igitur tum mea fuit sententia, seu po-

tius opinio quædam probabilis, talisque hujus loci explicatio. In sec. editione sic scripsi, ut fere est in veteribus lib. « Femina commulxit subita vi, conripuitque » ; eamdemque hic quoque retineo : cujus sententia ita aperta est, ut declaratione non egeat. Sed quod Lucret. hic « maternum semen » appellat, Aristot. lib. de ortu animalium, negat feminas in re Venerea semen ullum mittere : cujus sententiam improbant ac refellunt medici. Jam quod ad similitudinem ac dissimilitudinem filiorum attinet, medici item aiunt, si semen paternum sit potentius ac dominantius et semine materno, et sanguine menstruo, tum filios et animo et corpore patri esse similes : sin ab utroque superetur, tum eos et ingenio, et figura corporis ad matrum similitudinem propius accedere. *Lamb.* — Wak. Salmasii emendationem *vim vicit* in contextum admisit.

1210. *Ac;* ita Brit. 2, et deamat hanc voculam Lucretius, ideoque poetæ restitutam volui. Vulgo *et. Wak.*

1216. *Multa modis.* Libri omnes *multimodis;* quare Wak. conj. *multimodis primordia multei*, quod cum *parentes* vult constructum; quemadmodum I, 814, 894; sed vide I, 1023, etc. *Forb.*

1221. *Minus;* sic Vind. Brit. 1, 3, quos omnes editores post Lambinum sequuti sunt. Ceteri libri universi *magis.*

1247. *Et multæ.* Sic omnes fere libri, quibus cum vulgaribus edd. parendum duxi. Wak. et Eichst. *quom multæ* ex uno Lugd. 1. *Forb.*

1248. *Post sunt.* Hæc est admirabilis emendatio Lambini pro librorum vitio *possunt. Wak.* — *Et nactæ post sunt tamen.* I. e. et tamen postea alias nuptias nactæ, et alii viro junctæ sunt, unde liberos suscipere et fæcundæ esse possent. *Lamb.* — De forma *puellos* pro *pueros*, quam etiam apud Gell. XIX, 11; Apul. Met. (p. 351, 646 Oud.) et sæpius reperias, cf. Sueton. Vesp. 8; Nonius, II, 688; Prisc. VI, 8, § 42; Festus s. v.; Columna ad Ennium p. 73, aliique. *Forb.*

1253. *Usque adeo magni refert*, etc. Vel legendum necessario, *Usque adeo magni hoc refert*, etc. videlicet, quæ mulier cum quo viro jungatur et misceatur, ad id, ut semina seminibus commisceri possint genitaliter apta, i. e. accommodata ad gignendum, etc. vel dicendum, post versum « Crassaque conveniant », etc. versum talem, et qui talem sententiam contineat, desiderari, « Quæ cum quo cupide jungatur per Veneris res-», i. e. usque adeo magni refert, quæ femina cum quo viro corpus suum commisceat. Quo versu addito, integer et planus erit hic locus : alioqui

lacer, mutilus, et obscurus. Quum hæc superiora scripsissem, missum est ad me ab Jo. Columbino, viro docto, populari meo, exemplum Lucretianum olim Lutetiæ typis excusum, ad cujus oram e regione hujus loci adscriptus erat hic versus cum hac inscriptione, et quasi commendatione: Versus restitutus ex V. C. « Quæ cui juncta viro sit femina per Veneris res» : qui quidem versus ita mihi videtur Lucretio dignus, ut non dubitem, quin sit Lucretianus. *Lamb.* — Sed nihil mutandum, ut equidem opinor; nam ex his quæ modo attulit, nunc concludit, magni referre ad tollendam sterilitatem ut semina inter se generationi apta conveniant. Ed.

1258. *Atque aliis extenuantur.* Nihil muto, tametsi duo codices scripti, Faerni et Tettii, habeant, *Atque aliis tenuantur item :* impressi autem Florentini, *extenuantur itemque aliis :* quas lectiones suspicor esse ab iis excogitatas, qui putarent, hunc versum esse vitiosum propter verbum *extenuantur:* sed fugit illos, aut hic esse anapæstum pro dactylo, aut spondeo, aut verbum *extenuantur,* hic ita pronuntiandum esse, ut sit quatuor syllabarum duntaxat, et *u* sit consonans. Quorum alterutrum sæpe fieri in voce *tenuis,* ante docuimus. *Lamb.*

1267. *Exossato.* Antiqui Pii codd. *exossatim,* ad formam adverbiorum Lucretio inprimis usitatorum, vide ad I, 21. *Forb.*

1268. *Sulcum vomeris.* Lamb. ex arbitrio *sulci vomerem;* perperam.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC PRIORI VOLUMINE CONTINENTUR.

Novi editoris præfatio ..... vij
Wakefieldi præfatio 1
Eichstædtii de T. Lucretii Cari vita et carmine dissertatio 19
A. Forbigeri de T. Lucretii Cari carmine dissertatio. 46
De orthographia et interpungendi ratione in edendo Lucretii carmine adhibitis 69
Index repetitionum quæ in Lucretii carmine occurrunt 83
De Caio Memmio 84
Notitia literaria de T. Lucretio Caro, auctore Fabricio. 86
Recensus editionum in tres ætates digestus 92
De Lucretii codicibus MSS 115
Testimonia ac judicia 117
T. Lucretii Cari De Rerum Natura liber primus ... 119
In librum I Disquisitiones variæ 204
— Liber secundus 243

In librum II Disquisitiones variæ..... 329
— Liber tertius..... 359
In librum III Disquisitiones variæ..... 444
— Liber quartus..... 465
In librum IV Disquisitiones variæ 563

FINIS PRIORIS VOLUMINIS.